

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

https://books.google.com





Digitized by Google

C 80.5



Harvard College Library

BOUGHT WITH INCOME

FROM THE BEQUEST OF

HENRY LILLIE PIERCE,

OF BOSTON.

Under a vote of the President and Fellows,
October 24, 1898.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ACTA
SANCTAE SEDIS

IN COMPENDIUM OPPORTUNE REDACTA ET ILLUSTRATA

STUDIO ET CURA

IOSEPHI PENNACCHI ET VICTORII PIAZZESI

SEU

Acta iuridica et solemniora ex Supremo Romano Pontifice immediate dimanantia: acta inter ea quae publici fieri possunt iuris, sive sint Decreta, sive Instructiones, sive Responsa, et alia huiusmodi; praesertim vero Causarum expositiones et resolutiones ex variis EE. Cardinalium Sacris Congregationibus, ad ecclesiastici iuris accuratam intelligentiam et observantiam conferentes, in compendium diligenti studio redactae: alia denique iuridica, quibus opportune illustrantur quae in expositis actis vel difficultatem parere possint, vel ad vigentis iuris notitiam ulterius conducant: in utilitatem eorum qui in Ecclesiae legibus studiose dignoscendis, et in regimine christiani gregis, vel in colenda Domini vinea sedulo adlaborant.

Volumen XVII.

ROMAE
TYPIS POLYGLOTTAE OFFICINAE
S. C. DE PROPAGANDA FIDE
MDCCCLXXXIV.

Digitized by Google

~~III. 10205~~
C 80.5

Pierrefunt.

Digitized by Google

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

SEINEN.

MATRIMONII

Die 16 Februarii 1884.

Compendium facti. In parochiali Ecclesia Szumsk dioecesis Seinensis sive Augustoviensis die 11 Febr. anni 1872 puella Anna Sluzynska, annos nata 18, matrimonium celebravit cum Sigismundo Akerman annorum 32, viduo, qui ex quinquennali contubernio cum altera uxore prolem susceperat. Sexennio maritalis vitae nondum expleto, domum parentum uxor repetiit, ad coniugem suum non amplius reversura. Immo die 22 Februarii 1881 apud Episcopalem Curiam Seinensem virum suum impotentiae accusavit, et solutionem vinculi matrimonialis postulavit.

Quapropter ad iudiciale examen mulier accita, iuramento praestito, assuerit se sine mora a celebratis nuptiis contubernio mariti sui, thoroque geniali usam fuisse, integroque biennio in pago Kybarty cum ipso consummationi matrimonii vix non singulis diebus operam dedisse; deinceps vero Suwalki, quo lares domesticos transtulerunt, quamvis saepe saepius a dicto marito remeante pristinam possessionem suam relinqueretur, tentamini perficiendae copulae carnalis saepenumero institisse: omnes tamen nisus suos cassos fuisse, maritumque numquam hastam virilem suam in genitalia uxoris inducere, perforationemque perficere valuisse: semen suum, si quod fundebatur, extra vas muliebre manasse, eapropter matrimonium suum esse invalidum, irritum ac nullum ex capite impotentiae viri.

Maritus vero pariter sub iuramenti fide testatus est: se mox ab inito connubio, cum uxore cohabitasse, ipsamque,

Digitized by Google

prout priorem modo demortuam uxorem suam, ex qua prolem suscepit, cognovisse perfectamque copulam carnalem absque ulla difficultate integro quinquennio frequentissime, et vix non quotidie, exceptis casibus quibus morbo impediebatur, cum ipsa exercuisse, penemque suum sufficienter erectum uterum uxorium, intus sperma spargendo, permeasse, ac consequenter matrimonium a se contractum ac consummatum minime nullitati subiacere posse.

In hoc partium conflictu, Curia Seinensis per sententiam diei 8 Aprilis eiusdem anni iussit, tum virum, tum mulierem corporis inspectioni subiici, a peritis in arte peragendae. Hinc tres obstetrices, cum assistentia matronae, devenerunt ad explorationem genitalium mulieris, praemisso balneo unius quadrantis, singulae singillatim, ac seorsim altera post alteram, et sub iuramento retulerunt, reperisse labia maiora et minora solida, coloris rubri, arctaque, prout et parietes vaginae levigatos minimeque plicatos sibi invicem adhaerere, hymenemque orbicularem tenuem tenerumque esse integrum, hiatum vaginae arctissimum, ac propterea ipsam indubie certissimeque in statu integerrimae virginitatis suae permanere. Duo quoque medici sub iurisiurandi fide testati sunt rite sufficienterque ab ostetricibus inspectionem peractam esse, ex quarum relatione ipsos censere, Annam indubitanter ac certissime virginei pudoris florem intemeratum hucusque gestare.

Cum vero Sigismundus inspectioni oculari subiacere contumaciter recusaverit, eadem Curia alterâ sententiâ diei 22 Septembris eiusdem anni partibus litigantibus iniunxit iuramentum suppletorium, quod corroborandum foret testimonio septimae manus et viciniae.

Ad tramites huius decreti mulier produxit quatuordecim personas sive consanguineas, sive affines suos, qui omnes, exceptis tribus, mulierem minus agnoscentibus, asseruerunt eidem plenam adhibendam esse fidem in cunctis, quae in hac causa protulit. Virum autem, attenta sui agendi ratione, prouti lusui chartarum deditum, nullique honesto ne-

Digitized by Google

gotio vacantem, nullam prorsus mereri fidem. Post haec praestito a muliere iuramento super veritate cunctorum a se productorum, praefata Curia die 5 Novembris sententiam definitivam tulit, qua matrimonium Annae cum Sigismundo, utpote cum impedimento impotentiae contractum, nullum et irritum esse decrevit.

Haec sententia ut Sigismundo innotuit, recursum habuit ad Consistorium metropolitanum varsaviense edicens, se non contumaciae sed infirmitatis causa, adducto localis medici testimonio, sistere haud potuisse coram Tribunali Seinensi; hinc rogabat summis precibus ut mandaret ocularem inspectionem suae personae. Quapropter in via revisionis et appellationis interpositae a matrimonii defensore, sententia Seinensis Curiae ad Consistorium varsaviense delata fuit.

Hoc autem sub die 27 Martii 1882, ratione habita testimonii producti a viro, qui se paratum inspectioni subeundae exhibebat, et ratione habita quod in iudicio primae instantiae ad nullitatem decernendam respectus habitus sit inspectionis solius mulieris, et quod ordo *Instructionis* S. C. anni 1840 non plene servatus fuerit, nullam declaravit sententiam Curiae Seinensis.

Ab hac decisione gravatam se sensit mulier, et obtenta promissione quorumdam membrorum Consistorii varsaviensis huius sententiam reformari posse, modo suppleretur defectus inspectionis ocularis viri per medicos perficiendae, horumque testimonia iungerentur actis causae, supplici libello ad Seinensem Cnriam diei 17 Aprilis eiusdem anni petiit, ut vir oculari medicorum inspectioni subiiceretur.

Huiusmodi precibus Curia annuens, inspectionem viri decrevit. Qua peracta, tres medici sub sacramenti fide retulerunt, membrum virile Sigismundi esse mediocriter evolutum, parvum, molle, irritationem sui nullum effectum sive mutationem producere, testicula esse parva molliaque, uno verbo, ipsum esse vere impotentem ad copulam carnalem, et huiusmodi statum iam perdurare a pluribus annis: hanc vero impotentiam esse causatam vel abusu veneris, forsan

Digitized by Google

in adolescentia, vel alio morbo. Attenta vero eiusdem viri aetate, cum iam sit plusquam quadragenarius, hunc defectum esse difficillimum ac impossibilem medendo.

Actis porro ad Consistorium varsaviense remissis una cum medicorum attestationibus, illud die 17 Iunii 1882 edixit « se officio suo functum fuisse in praesenti causa, stareque in decisis. »

Mulier huic decreto non acquievit, et ad Sanctam Sedem confugit, ut causa in tertia instantia pertractaretur. Hinc ex attestatione Ordinarii Diocesani circa mulieris paupertatem illiusque commendatione, causa hodie oeconomice discutienda proponitur una cum voto Theologi et Canonistae, nec non animadversionibus Defensoris matrimonii ex officio; quorum damus synopsim.

Disceptatio Synoptica

Votum Theologi. Dolet Theologus quod causa tanti momenti, a curia Diocesana leviter pertractata fuerit: siquidem maximâ diligentiâ erat adhibenda in librandis depositionibus tum partium litigantium, tum testium et medicorum, tum peritarum matronarum. Forma enim iudicialis in causis pertractandis, illa exhibet media, quibus veritas elucet et iustitia roboratur. Hinc si ritus substantialis aspernatur irrita fit, ex iure, iudicis ordinarii sententia. Qua de re, ait Consultor, quum multa desint quae fieri debebant, praesens causa difficilis sibi visa est, tum circumstantiarum complicatione tum sterilitate processus; et ideo cum animi suspicione censuit acta libranda esse, et severiori lanceâ interpretanda quae desunt.

Et re quidem vera tam libellus introductionis causae, quam depositio mulieris actricis suspicionem inducunt in animo legentis. Et ultima pars depositionis viri conventi magis magisque auget suspicionem. Mulier loquitur de vexationibus, quibus subiicitur, de absentia prolixa mariti, et postea de impedimento dirimente impotentiae ex parte viri sui; ita ut concausae potius appareant causae principalis

Digitized by Google

separationis quam postulat. Vir autem refert non honestam communicationem uxoris suae cum quodam medico: et id suspicionem insinuat relate ad mulieris praetensionem, et relate ad depositiones medicorum, et mulierum peritarum.

Iudici ordinario profundius investigandum erat, prae oculis habendo graves hasce circumstantias. Praeterea mulier in contradictionem incidit; nam per quinque annos ait, maritum abscedisse continuo; et tamen per annum integrum copulam cum marito habuisse. In depositione ait quod passim ab initio matrimonii loquebatur cum viro suo de divortio petendo; cui maritus consentiendo respondebat. Mulier tamen in eadem depositione ait: initio prorsus nescivi an matrimonium meum posset dirimi. In libello introductionis ait, sese reliquisse virum suum, et in depositione ait, maritum reliquisse eam. In iure, ait Consultor, statutum est certissimum quaerendum esse argumentum, et praecipue in matrimonialibus: ast contradictio potest ne esse validum argumentum? Insuper curia Dioecesana vocavit virum pro inspectione oculari, hic sese excusavit adducens causam infirmitatis. Quare ergo episcopalis Curia declaravit virum contumacem? Contumax erat qui dilationem postulabat?

Insuper sententia lata fuit solâ mulieris inspectione; et quin maritus inspiceretur declaratum fuit impotentiam viri esse absolutam, perpetuam et antecedentem. Ast quomodo Iudex dioecesanus simpliciter et absolute tulit sententiam absque opinione periti, qui retulisset de vera impotentia viri, praeviâ oculari inspectione? Testes a muliere tantum inducti non fuerunt unanimes in depositione; nam priusquam mulier relinqueret virum, veram causam separationis ignorabant; et inter eos aliqui quamdam, alii alteram causam illius facti referebant. Ipsa mater et soror Annae nesciebant veram causam divisionis. Testes a muliere inducti contra virum deposuere; eumdem accusando quod ludo chartarum esset intentus: ast quaenam relatio cum impedimento impotentiae?

Sed comparando coniugum confessiones aliqua effulget

Digitized by Google

lux; nam depositiones conveniunt virum seminasse, affectum fuisse morbo, a quo dubitandum an impotentia originem habeat; mulierem numquam conquestam fuisse de debito maritali non consummato; maritum in vagina mulieris introduxisse digitos suos. Ex quo deducitur, virum, aquiescente muliere, consummasse et semen effundisse inter crura. Sicut autem operatio maris inter crura et tactus mutui sponsorum, virginitatem mulieris non tollunt, ita nec impotentia dici nequit antecedens et absoluta. Si autem viri morbus processit a modo quo delectabantur coniuges, cessante hoc modo, cessabit et morbus. Mulier deposuit virum in hypocondriam esse lapsum eo quod non habebat vim ad perfectam copulam; sed hypocondria apparuit circa duos annos postea. Ergo in ipso matrimonio fuit causa impotentiae, et effectus nempe hypocondria.

Vir autem deposuit mulierem alere simpathiam erga quemdam medicum; qui eam in uxorem duceret si divortium obtinuisset. Ex hac depositione dubia enucleantur, ut quisquis videt et praesumptio, ut ait Sanchez *lib. disput. 103 n. 9.* stat pro viro: cum enim natura virum istum potentem produxerit, onus probandi incumbit asserenti, eum aliquando impotentem fuisse. Haec praesumptio maxime valet quando coniux de alterius impotentia, diu post contractum matrimonium conqueri incepit; si enim reclamare voluit, cur tamdiu tacuit? Cito enim et brevi tempore scire potuit si semen coire potuisset.

Loquens autem de inspectione corporis mulieris, ait Consultor, hanc parum proficere; eo quod virginitas stare potest cum copula imperfecta. Nam, uti plures inter recentiores docent, semen potest ingredi per meatum menstrui et mulier, quae sterilis non sit, praegnans effici, et usque ad partum omnia Virginitatis retinere signa.

Primus medicus autem qui virum inspexit, ait, eum reperisse impotentem ad coeundum et foecundandum. Quae infirmitas derivans ab abusu sexuali, in iuvenili aetate durat ab aliquot annis, et prorsus incurabilis est.

Digitized by Google

Secundus medicus ait, virum habere genitalia parva respectu totius organismi; quae non videntur habere vim sufficientem. Ex quo argui potest virum esse impotentem, talemque statum ab aliquot annis durare, sed impossibile est definire an semper fuerit impotens, et an medicina suppetat remedia ad roboranda eius genitalia.

Tertius Medicus, exacta viri descriptione, conclusit eumdem esse impotentem, quia haec impotentia durat ab aliquot annis; censuitque eius statum reparari non posse medicinae remediis. Omnes tamen testes conveniunt impotentiam esse ab aliquot annis; ergo dici potest eius originem esse ex aliquo facto in praesenti matrimonio, quoniam in primo matrimonio genuit filios. Et tunc verum est quod deposuit sponsus, id est quod, adveniente morbo, durante paesenti matrimonio, aliquando coire nequibat. Omnes pariter conveniunt curationem esse difficilem, sed non impossibilem. Nunc vera impotentia viri tunc habetur, quum nullo modo potest haberi generatio, quae est finis substantialis matrimonii; non autem quando vir habet vim expellendi substantiam seminalem, et ex eius congressu, licet difficulter, tamen generatio sequi potest. Nam apud medicos recentiores receptum est quod non sit necessarium viri semen ingredi femineum vas, sed sufficere si effundatur ad os vel ingressum vaginae.

Votum Canonistae. Summus Pontifex sanare posset defectus processus in hac causa, ait Consultor, eoquod Curia episcopalis eumdem compilavit non in omnibus ad ss. canonum normam. Ast magna difficultas versatur in determinando an probationes a Curia collectae, eae sint, quae revera evincant, matrimonium ob viri impotentiam esse invalidum ac nullum ut eadem Curia pronunciavit.

Theologi et Canonistae omnes claras et suasivas probationes exposcunt, quae certitudinem moralem producere valeant, quando agitur de vinculi dissolubilitate. Ad rem Schmalzgrueber *Tom. 4, edit. rom. part. 2, tit. 15, n. 70.* « Debet autem propter arduitatem negotii procedere ad

Digitized by Google

matrimonii dissolutionem, ex causa impotentiae, faciendam, iudex maxima circumspectione; neque solis coniugum etiam utruisque assertionibus credet; sed eam solum decernet, obtentâ plenâ impotentiae probatione. » Idem habet Sanchez *lib. 7 de Matrim. disp. 407, n. 1.*

Hisce praehabitis examini subiecit Consultor probationes quae collectae fuerunt ad probandam viri impotentiam. Ad hoc perficiendum, ait, ad duo capita hae probationes reducuntur, nempe ad iuramentum mulieris, roboratum iuramento septimae manus; et ad inspectionem corporis ipsius mulieris ab obstetricibus peractam. Ast, notavit Consultor, depositionibus mulieris opponi diametraliter depositiones mariti, tum quoad consummationem matrimonii, tum quoad maritalem conviventiam. Mulier enim ait, numquam consummatum fuisse matrimonium ex deficientia erectionis; vir contra autumavit se potuisse rite consummare matrimonium, exceptis tantum momentis morbi vehementis. Cuinam credendum est? Sanchez *de Matrim. lib. 7, disp. 109 n, 9* ait: « Itemque credendum viro dubie impotenti, si perfectam habuisse copulam affirmet, et mulier neget, quatenus signa tantum dubia et ambigua, non autem certa impotentiae resultent; et pro valore matrimonii in utroque casu est pronunciandum. »

Ast vir in casu nostro tempore matrimonii erat ne certe impotens, vel tantum dubie? Ex actis constat virum aliam habuisse uxorem a qua prolem suscepit. Ergo ipsius impotentia, si aderat non erat naturalis, sed relativa et proveniens ex infirmitate. Ast ex Schmalzgrueber et ex aliis quando dubitatur an impotentia praecesserit vel subsecuta fuerit matrimonium, respondetur: impotentia *naturalis* praesumitur praecessisse; *accidentalis* vero esse *subsecuta.* Quod viri impotentia in themate matrimonium subsecuta fuerit confirmat longum mulieris silentium; nam ipsa nisi post novem annos regulariter reclamavit. Sanchez *de matrim. lib. 7 disp. 109 n. 2* ait: « Quando mulier fatetur impedimentum et vir negat, nec illa Matrimonii initio

Digitized by Google

proclamavit, minime audienda est proclamans adversus matrimonium. »

Septima manus parum adiicit probationi; nam primo ex actibus nescitur quinam sint hi quatuordecim testes adducti; de quibus tantum loquitur extensor sententiae. Et si praeter testimonium *de credibilitate*, aliquid de impotentia viri deposuerunt, hoc non est attendendum, quia nimis sero ad ipsorum notitiam pervenisset.

De probatione ex mulieris inspectione deducta loquuturus Consultor ait; quando haec probatio plena est et ex omni parte indubia maximam habet vim ad evincendam veritatem. Ast non omnes cautelae sunt adhibitae quas praescribit Instructio S. C. C. 1840: haec enim praescribit quod mulier permanere debeat in balneo per spatium saltem trium quadrantium horae, Mulier vero in casu remansit in balneo per unum quadrantem. Una ex obstetricibus ait: « introitum in vagina observavi angustum, parietes illius *politos* et ad invicem attingentes. » Particularitas haec assumitur ceu virginitatis indicium; ast Zacchias *Quaest. med. leg. lib. 4, tit. 1 n. 12* habet: « Averöes porro lib. 1 Colig. cap. ult. dicebat orificium vulvae in virgine esse *crispum*, in ceteris autem, quia rugae ex coitu atteruntur, magis leve et planum esse, sed hoc signum nonnisi tunc apparet cum coitus pluries frequentatus extiterit, unde vix apparebit in ea, quae unicum congressum substinuerit. » Ex hoc ergo signo deducendum potius videtur, matrimonium de quo agitur pluries consummatum fuisse.

Quoad alia signa quae obstetrices reperierunt, animadvertit Consultor, eadem etiam destructa ex iterato coitu, reparari posse in muliere quae aliquo temporis spatio a carnali commercio abstinuit.

Existentia hymenis ab Obstetricibus asserta apud canonistas magni fit; ast una ex illis satis ostendit non esse in hac re satis perita. Et insuper Zacchia *lib. 4. tit. 2, quaest. 1, n. 28 ad 31* docet, quod potest hymen, integrum remanere etiam corrupta existente muliere, praecipue « si

Digitized by Google

virga tenui existente in viro, hymenis orificium sit ampliusculum : nam absque hymenis laceratione, mulier corrumpi potest et concipere. » In casu consummatio matrimonii locum habere potuit absque fractione hymenis; quum medici visitatores retulerint quod penis viri fuerit parum evolutus.

Loquens tandem Consultor de inspectione corporis viri ait: omnes deputatos convenire in hoc, ut dicant eum reperisse impotentem ; sed non apparere neque determinari posse a quo tempore factus sit impotens. Ergo nescitur etiam an impotentia praecesserit vel subsequuta fuerit matrimonium, et ideo deest etiam essentialis requisitus, seu probatio quod impotentia sit antecedens ut matrimonium dirimere valeat. Quinimo, ut supra dictum fuit, in casu nostro iure praesumitur quod matrimonium subsequuta sit. Pariter ex relatione medicorum curabilitas vel incurabilitas impotentiae, de qua est sermo, ignota remanet. Hinc deest etiam probatio alterius essentialis, ut nempe dici queat insanabilis ad matrimonium dirimendum. Sed ad valorem matrimonii sufficit quod potentia coeundi non sit destructa; iuxta Schmalzgrueber *part. 3, tit. 15, n. 36.*

Hinc attestationes medicorum haud sufficiunt ad probandam viri impotentiam, etiamsi vir inspectus fuerit post decem annos a contracto matrimonio. Et ideo quum in casu nostro desit plena impotentiae probatio, videretur standum esse potius pro validitate quam pro nullitate matrimonii. Quum tandem moralis certitudo de inconsummatione matrimonii non adsit, ideo neque per viam gratiae in casu nostro procedi potest, consulendo SSmo pro dispensatione matrimonii rati et non consummati.

Tandem animadvertit Consultor quod aliquando vel unus vel uterque coniux committere solent fraudes circa impedimentum impotentiae, ut ad alias transire valeant nuptias. In casu nostro deposuit vir quod mulier capta videtur amore erga alium virum, qui eam in uxorem duceret si sententiam nullitatis obtineret.

Animadversiones defensoris matrimonii. Innuit hic

Digitized by Google

processum Curiae episcopalis haud factum fuisse ad tramites ss. canonum; dum Ecclesia mater habeat dissolutionem matrimonii uti negotium magni momenti. Ideo cautelas, leges, solemnitates aliquas observandas iussit in causis matrimonialibus, sub poena nullitatis processus, si negligerentur. Ast in casu multa neglecta fuerunt, quae omnino prohibent excipere mulieris petitionem. Nam, aliis omissis, deficit septima propinquorum manus; et tantum ex Episcopi relatione scimus, mulierem produxisse quatuordecim consanguineos vel affines. Sed hi testes cur formiter non fuerunt interrogati, et iuramentum eisdem delatum non fuit?

Mulier autem deposuit, virum adhibere varia medicamina ex consilio peritorum; vir id abscisse negavit. Vulgaris prudentia expetebat ut isti periti vocarentur, et examini subiicierentur ad veritatem eruendam. Neque mater mulieris interrogata fuit de relatione cum medico, quae eidem innotuit.

Non minus autem peccatum fuit in exploranda integritate mulieris: ita ut videatur habitum fuisse firmum propositum violandi Instructionem Concilii. Matrona ex iudice est deputanda; in casu non iudex sed ipsa mulier matronam selegit; peccatum pariter est in examine medicorum, qui viri corpus inspexerunt. Nam dum interrogari debent a defensore matrimonii, id omissum fuit, et relictum fuit ut medici narrarent quidquid ipsis melius visum fuerit.

Ast res melius processerunt ab intrinseco? Hanc provinciam reliquit defensor consultoribus, qui omnino repulerunt vinculi nullitatem; quorum sententiae omnino adhaesit s. vinculi adsertor.

Quibus animadversis propositum fuit enodandum

Dubium

An sententia Curiae Metropolitanae Varsaviensis sit confirmanda vel infirmanda in casu.

Resolutio. Sacra C. Concilii, re discussa sub die 16 Februarii 1884, censuit respondere:

Digitized by Google

Non constare de nullitate matrimonii.

Ex quibus colliges. I. Maximam iudici ordinario adhibendam esse circumspectionem, propter negotii arduitatem, quando agitur de dissolutione matrimonii ex capite impotentiae, ad vitandas fraudes et collusiones coniugum; qui saepe mutuae habitationis pertaesi, solutionem quaerere audent ut ad alias transeant nuptias.

II. Qua de re nullam iudicis superfluitatem reprehendi in indaganda veritate et exquirendis probationibus quoad impotentiam; quum dissolutio matrimonii sit res gravissima et animae periculum subesse possit vel dissolvendo matrimonium validum vel approbando irritum.

III. Pro valore matrimonii ex DD. esse pronunciandum si vir dubie impotens asserat perfectam habuisse copulam, et mulier neget: quatenus tamen non adsint signa certa impotentiae, sed tantum dubia et ambigua.

IV. Impotentiam naturalem praecedere matrimonium, accidentalem vero matrimonium subsequi; praesumitur enim praecessisse naturalis, quia qualitas a natura parta, semper inesse retinetur; accidentalis vero praesumitur matrimonium subsequi; quia natura potentes producit, et asserenti aliquem esse impotentem onus inest id iuridice probandi.

V. Viri impotentiam in themate subsequutam fuisse matrimonium, praeter iuris praesumptionem, innuere longum mulieris silentium; quae multos post annos reclamavit.

VI. Mulierem non ab initio sed tarde proclamantem adversus matrimonium minime esse audiendam etiamsi illa fateatur impedimentum, quod tamen vir negat.

VII. Attamen maximam habere vim nullitatis probationem quatenus uxor per aspectum probet se a viro cognitam non fuisse, fatentibus id ipsis matronis inspicientibus; tunc enim potius creditur uxori neganti copulam, quam viro affirmanti; et mulier quae virgo est et virginem permansisse constet, etiam multos post annos reclamare valet.

VIII. Probationem virginitatis in themate omni ex parte plenam et indubiam non fuisse; tum ex omissione formae

Digitized by Google

iuridicae, tum ex deficentia debitae peritiae in matronis: neque indubie constare de viri impotentia matrimonium praecedenti.

IX. Hinc prudentissime egisse S. C. Congregationem ex quo non declaravit validum matrimonium, sed tantum deesse innuit probationes sufficientes, quae alias afferri possunt, ut nullum declarari valeat matrimonium in casu.

ANDRIEN.

FUNERUM ET EMOLUMENTORUM

Die 8 Martii 1884.

Compendium facti. Andria 40,000 circiter incolarum civitas, unicam olim efformabat paroeciam, in qua Cathedrale Capitulum actualem animarum curam exercebat, et ex duobus aliis civitatis Capitulis ss. Annuntiationis et s. Nicolai, hoc alterum in parochiali ministerio subsidiarias partes habebat.

Porro per id tempus, dum animarum regimen sic curabatur, peculiaris funeris agendi modus inolevit. Haec enim a Cathedrali capitulo, confirmante Episcopo, asseruntur, cives nempe vix universos alicui pio sodalitio esse adscriptos; si quis autem ipsorum moriatur, familiam ad funebrem caeremoniam disponendam animum intendere non solere, sed hanc curam magna ex parte in illud sodalitium transfundere cui defunctus in vita iungebatur. Sodalitia vero pleraque in Cathedrali, alia in alterutra ex Collegiatis, nonnulla tandem in ecclesiis veterum monasteriorum iam tum ab anno 1809 suppressorum existere. Porro ex hisce quae in Cathedrali vel in alterutra ex Collegiatis resident, vix singula cum suo Capitulo iam ab antiquo in hanc regulam relate ad funera convenisse dicuntur, ut nempe Sodalitium suum Capitulum invitaret, eique, libellas 25,50, persolveret: accitum vero Capitulum cadaver in incessu per vias co-

Digitized by Google

mitaretur, exequialem missam litaret, et duodecim cereos circa tumulum, funeris tempore accensos, disponeret.

Huic regulae non subsunt duae Confraternitates *Alborum* et *Virginis Perdolentis* et omnes illae Confraternitates quae olim erectae fuerant in Conventus suppressos anno 1809. Quoadusque autem animarum cura *actualiter* exercita fuit a Capitulo Cathedralis, istius oeconomus, indutus stolam, Capitulum praecedebat, absolutionem super feretrum perficiebat, atque Stolae iura exigebat: missam vero hic Oeconomus non celebrabat, neque eleemosynam ad hoc percipiebat, utpote quia ex conventione superius relata Capitulo cadaver comitanti missam litare spectabat.

Decreto anni 1852 in sex paroecias civitas divisa fuit, et parochi novi receptum funerandi morem, integrum initio observaverunt, nihil adversum obmussitantes; sed imo, contenti iure in veterum oeconomorum officio, quoad hoc, succedendi, missam a Capitulis celebrari aequanimiter permiserunt.

Verum anno 1881 occasio parochis data est contra inolitam praxim insurgendi. Siquidem Sodalitium s. Monicae erectum in s. Augustini ecclesia (ubi etiam Capitulum ss. Annuntiationis modo residet, unaque simul paroecia anno 1857 constituta) non modo Capitulum suae ecclesiae ad funus accivit, sed et Cathedralis, ea forsan de causa quia Capitulum ss. Annuntiationis temporum conditionibus pressum valde imminutum est. Invitatum Capitulum intervenit, eleemosynam percepit, et iuxta receptum morem missam de requie super cadaver celebravit. Parochus, qui Cathedralis capitulum invitari nolebat, seque ita excludi tum a missae celebratione, tum a pinguiori percipienda eleemosyna, illico coram Sodalitio et Canonicis suum ius laedi protestatus est; et subinde recursum apud Curiam interposuit, dein vero una cum aliis tribus civitatis parochis apud S. C. C. a qua enixe flagitavit solutionem plurimorum dubiorum. Quae tamen dubia post varias vicissitudines, omissa fuerunt, sequenti excepto, nempe: « *quando ad parochiales ecclesias sunt deferenda cadavera associata etiam a clero Cathedralis,*

an sit ius parochis congruam horam assignandi pro delatione eorumdem. » Quoad alia dubia Capitulum Cathedralis ait sese nolle contestationem facere, amore pacis et litigiorum vitandorum gratiâ.

Disceptatio Synoptica.

Parochorum iura. Favore parochorum animadversum fuit, hosce quoad suorum parochianorum funera habere intentionem fundatam in iure; Maschat *de sepult. q. 5 num. 12.* Quisque enim fidelis, nisi aliquid obsistat, apud eam ecclesiam per se tumulari debet a qua in vita sacramenta suscepit, scilicet in parochiali; Ferraris *v. Sepultura n. 20;* ideoque ius funeris dici communiter solet ius parochiale, Barbosa *de off. et potest. paroch. c. 26 n. 20;* idque pressius relate ad cadaveris elationem. Nemo enim de domo corpus iure efferet, irrequisito vel absente parocho, cui imo cadaver benedicendi, et antiphonam *Exultabunt* praecinendi ius semper est. Adeo ut corpus defuncti, qui quidem sepulturam apud Regulares elegerit, ipsi Regulares sine requisitione et praesentia parochi levare et ad suas ecclesias deferre numquam possint, nisi unice quum parochus requisitus consentire vel venire recuset. Hoc post *Const. X Conc. Later.* uno ore docent DD., praesertim vero Reiffenstuel *tit. de sepult. num. 34*; Barbosa *l. cit. n. 66*; Ferraris *loc. cit.* — Et in *Callien.* diei 20 Decembris 1828 proposito dubio « *An et ad quem spectet ius deferendi stolam, aquâ benedictâ aspergendi cadavera, et praecinendi antiphonam* Exultabunt *in funeribus Canonicorum Ecclesiae Cathedralis in casu,* » *S. C. C.* respondit: « *Affirmative ad parochum defunctorum.* »

Porro si funus agere, ac strictius corpus de domo levare, pars sit parochialium iurium, congruam huius iuris exercendi horam definire parochi esse videtur; non quidem ut hac sua facultate abutatur, sed ut quod melius est consulat, conveniat nempe cum familia, aliaque prae oculis ha-

Digitized by Google

beat, et iis etiam deferat qui invitati sunt; ast non ita ut ipsorum voluntatem necessario subire cogatur, eorumdemque servus appareat. Aequum enim non videtur quemquam in sui iuris exercitio ab extraneo gravari et vix impediri.

Argui etiam a pari forsitan potest. Siquidem, ut notum est, ad defuncti parochum spectat viam declarare per quam cadaver exportetur; Vecchiotti *lib. 2, c. 5, §. 62.* Porro in hoc iuris exercitio sicut nec suam voluntatem nimio vel abusive urgere potest parochus, ita nec aliorum voluntatem, eorum praesertim qui invitati essent, in eorumdemque commodum, subire tenetur. In genere enim parochis in partem pastoralis sollicitudinis vocatis sua iura sarta tecta ac libera quo melius possint praeservanda videntur, ut eorumdem exercitium in bonum et utilitatem fidelium magis vergat. Neque omittendum, aiunt parochi, quod Canonici iubere velint horam chori, ut sibi possibile fiat tum chorali officio vacare, tum pluribus in die funeribus interesse. Quod tamen saepe fit cum populi admiratione; quia non raro parvus adest canonicorum numerus in choro, ob horam officiorum choralium anticipatam, causâ plurimorum funerum, quibus omnes capitulares interesse student.

Verum equidem est, Capitulum aliis necessariis functionibus aliquando detineri: ast iuxta parochos hoc nihil aliud importaret quam quod cathedralis clerus ab iis funeribus abesset, quibus intervenire, omnibus inspectis, non potest. Hoc autem grave malum non fore affirmant, minus certe ac illud quod Canonicorum servitio omnia cedere iubeantur. Demum cum enarrent parochi, Canonicos capitulariter intervenire non solere iam peior Canonicorum causa fit. Etenim si quid honoris, si quid praecedentiae in funeribus Canonici consequuntur, id obtinet quoties ipsi capitulariter intersint; Ferraris *v. Crux num. 14, 15;* Barbosa *sum. Apost. Decis. v. Praecedentia n. 1;* et ceteri DD. passim.

Capituli iura. E converso autem meminisse iuvabit, Capituli honori ac dignitati consulendum esse etiam in funeribus. Huic enim capitulariter intervenienti honorabilior

Digitized by Google

reservatur locus; adeo ut quamvis parochi sit totam sacram functionem peragere, cit. *Callien.*, *Ferraris l. c.* Vecchiotti *l. cit.;* tamen in processione locus prope cadaver utpote dignior Capitulo relinquitur; sicut quamvis in incessu per vias crux ecclesiae ad quam corpus defertur elevanda sit, tamen, Capitulo Cathedralis praesente, omnes sub eius cruce incedere debent; Monacelli *l. 1, tit. 5, form. 6, n. 37;* Ferraris *v. Crux n. 14;* Alatrina *Iuris deferendae crucis et praecedentiae 22 Aprilis 1882* §. *Verbo.* Quae cum ita sint, abs re non erit in hoc etiam quaestionis puncto canonicorum honori deferre, ac ipsis horae designationem in funeribus relinquere uti Ordinarius censere videtur.

Et fortius etiam quia parochorum votis annuendo, saepe saepius Capitulum funeribus interesse non posset. Hoc autem iuxta Andriensem Antistitem duplicis mali causa foret; primum quidem relate ad Canonicos, qui praebenda haud pingui ditati, novum ex funerum omissione dispendium sufferrent; alterum vero relate ad populum, cuius quam plurimum interest funebrem incessum Capituli interventu cohonestari, nec sine indignatione et scandalo videret defunctum absque assueta pompa efferri. Quibus praenotatis, enodandum propositum fuit

Dubium

An et quomodo providendum sit quoad horae designationem.

Resolutio. Sacra C. Congr. re ponderata, sub die 8 Martii 1884, censuit respondere:

Affirmative favore Parochorum; tamen Parochi curent consulere, quantum fieri potest, Capituli commoditati.

Ex quibus colliges. I. Parochos quoad funera suorum Paroecianorum habere intentionem fundatam in iure; ita ut, parocho irrequisito vel absente, nullum efferri queat cadaver.

II. Quum iuribus parochialibus, ius accensendum sit agendi funus, et elevandi de domo cadavera, nulla adesse videri

Digitized by Google

pretiosam rationem, per quam parochis denegandum sit etiam ius horam constituendi pro cadaveribus levandis, et funeribus explendis.

III Morem comitandi cadavera favore Canonicorum in themate gigni a iure consuetudinario; verumtamen haud probatum fuit huiusmodi consuetudinem his fulciri requisitis, quibus parochorum iura praescribi valeant.



PAPIEN.

EXEMPTIONIS

Die 8 Martii 1884.

Compendium facti. Extat Papiae Collegium a s. Carolo Borromaeo erectum ad accipiendos et gratis alendos pauperes iuvenes, qui scientiarum studio in Universitate operam navarent. Ad rectum autem regimen memorati Collegii, cuius patronatum Borromaeorum familiae reservatum est, quaedam Constitutiones ex mandato ipsius s. Fundatoris et iuxta mentem ac voluntatem eiusdem a quodam Ludovico Moneta confectae, deinde a Summis Pontificibus Xisto V et Paulo V annis 1587 et 1610 approbatae fuerunt. In iis vero haec habentur: « Collegium hoc cum in primis sacrosancta auctoritate Apostolica, et ecclesiasticis sumptibus fundatum, et censu itidem ecclesiastico constitutum, et bonis eiusdem generis dotatum, atque adeo beneficiis quoque Sedi Apostolicae reservatis, praeclare auctum sit, optimo iure ab Ordinarii visitatione, correctione, emendationeve omni liberum immune atque exemptum, eiusdem tantum Sedis Apostolicae, cuius benignitatem, ut iam nunc, sic in posterum semper agnoscet visitationi, iurisdictionique subiectum sit omnino. »

Verum in duabus literis laudatorum Pontificum, iisdem prorsus verbis sequentia leguntur: « Et nihilominus venerabilibus fratribus nostris Archiepiscopo Mediolanen. ac Pa-

Digitized by Google

pien. et Lauden. Episcopis per praesentem committimus et mandamus quatenus ipsi, vel duo aut unus eorum per se, vel alium seu alios constitutiones et ordinationes praedictas ab eiusdem Collegii Administratore, Rectore, Collegialibus et aliis illius personis nunc et pro tempore existentibus, etiam sub censuris et poenis tam ecclesiasticis quam pecuniariis eorum et cuiuslibet ipsorum arbitrio moderandis et applicandis, reclamatione, recursu aut exceptione quibuscumque cessantibus, inviolabiliter observari faciant, contradictores quoslibet et rebelles ac eiusdem Constitutionibus et Ordinationibus non parentes per easdem censuras et poenas, appellatione postposita compescendo, ipsasque censuras et poenas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. »

Videtur tamen recensitos Praesules Collegii regimini numquam se ingessisse ob reverentiam forsan erga Patronum, cardinalitia dignitate plerumque cohonestatum. Cum autem Papien. Episcopus paucis abhinc annis in Dioecesi perlustranda Collegii Oratorium visitare voluisset, prohibitus fuit, eo quia Collegium a sua iurisdictione exemptum, Apostolicae Sedi immediate subiectum asserebatur. Quapropter praelaudatus Praesul adivit Emum Cardinalem Eduardum Borromaeum, Collegii Patronum, et Administratorem, ut hac super re mentem suam pandere dignaretur. Qui, iuris controversiâ sepositâ, eumdem Praesulem ad sacram visitationem explendam delegavit. Post obitum vero praefati Cardinalis frater Comes Gilbertus in Collegii patronatu successit.

Nunc temporis Episcopus perlustrationem Dioecesis instaurans, petiit quonam argumento Collegii exemptio demonstraretur, et responsum fuit Constitutionum verbis superius allatis eam ostendi. Ideoque Praesul die 22 Ianuarii 1883, hisce S. C. C. relatis, animadvertebat: 1. Has Constitutiones haud amplius observari, neque finem a s. Carolo, et Cardinali Friderico Borromaeo sibi praestitutum obtineri, quod nempe iuvenes suo exemplo ad recte christia-

Digitized by Google

neque vivendum alios excitarent, cum in praesentiarum omne religionis munus in sacro audiendo diebus festis consistat. 2. In literis Summorum Pontificum ne verbum quidem huiusmodi exemptionis occurrere, quin imo contrarium prorsus statui videtur.

Qua de re petiit ut a s. Congregatione decerneretur onus quod incumbat Episcopo quoad oratorii visitationem, et constitutionum observantiam. Patronus rogatus ait: quod auctoritas ecclesiastica in regimine Collegii nunc nullimode sese ingerere possit; quia a postremis annis elapsi saeculi collegium illud evaserit institutio omnino civilis. Constitutiones quoad finem et essentialia satis observari, etsi modificatae fuerint iuxta exigentias societatis, quae tribus progressa est saeculis. Tandem ait, sese non impedire quominus fiat sacra Oratorii visitatio ab Ordinario. Archiepiscopus Mediolanensis et Laudensis rogati referunt; constitutiones pessumdatas esse quoad religiosam iuvenum educationem, quae apprime cordi fuit s. Fundatori.

Disceptatio Synoptica.

Quae favent exemptioni. In exemptione vindicanda ab Episcopali iurisdictione duplex titulus afferri potest, expressus nempe ex diserto s. Sedis privilegio, et praesumptus ex centenaria possessione. Iamvero videtur primus in themate extare, et si dubium aliquod superesset ex altero penitus dilui. Et sane de titulo expresso dubitari non licet. Quandoquidem clara sunt Constitutionum verba, quibus Collegium declaratur, ab Ordinarii visitatione « correctione emendationeve omni liberum, immune atque exemptum, ac tantum Sedis Apostolicae... visitationi, iurisdictionique subiectum... » Quae verba quamcumque dubitationem prorsus excludunt.

Porro huiusmodi Constitutiones ad exemptionem ostendendam auctoritate maxima pollere ex Summorum Pontificum approbatione patet. Siquidem tam Xistus V, qui primitus illas approbavit, quam Paulus V qui easdem a Car-

Digitized by Google

dinali Friderico Borromaeo aliquantulum immutatas confirmavit, ita sanxerunt *ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso,* eorum literis inseruissent. Quae approbandi ratio eiusdem ponderis esse videtur ac si de Collegii exemptione peculiaris mentio facta fuisset. Ex quibus igitur sponte consequitur, Collegium Appostolicae Sedi immediate subiectum, ac proinde ab Episcopi iurisdictione, ipsa sacra visitatione non excepta, exemptum esse; Conc. Trid. *sess. 22. cap. 9 de Reform.* Pitonius *de controv. patron. alleg. 23 u. 2* Lucidi *de visitatione ss. LL. tom. 1 p. 132 n. 29.*

Quae conclusio magis magisque confirmatur titulo praesumpto, ex tercentenariâ nempe exemptionis possessione. Tanta enim vis huic immemorabili possessioni inest, ut facultatem possessori tribuat allegandi quidquid possibile est ad eam rem vel iurisdictionem protuendam, quam ipse et eius antecessores absque querela tamdiu retinuerant, Grat. *de iur. bell. et pac. lib. 2 cap. 4* §. *7.* Huber *de iure civil. lib. 1 cap. 21* §§. *14.* s. Rota in *Decis., 87* §. *12 coram Ratio* et in *Decis. Cracovien. Venditionis 15 Maii 1762 coram Frangipane* §. *4.* Ea siquidem titulum meliorem de mundo possessori tribuit. Card. De Luca *de alienat. disc. 3 n. 9.* Praesumere fecit originariam concessionem, et Apostolicum privilegium, Politi *dissert. select. dissert. 2 de transact. num. 17 tom. 4;* actus non ex facultate ac liberalitate derivasse, sed ex necessitate censendus est; s. Rota in *Decis. 387. part. 2 n. 3 recent.* ullam denique contrariam probationem admittit, et operatur etiam contra proprio iure venientes Rota in *Camerinen. Immissionis 30 Aprilis 1781* §. *3 coram Flanquini.*

Iamvero huiusmodi exemptionis possessionem in themate adesse haud ambigi posse videtur, cum extra controversiam appareat hoc trium saeculorum lapsu Collegium a quacumque Episcopi iurisdictione plene immune fuisse.

Nec obiiciatur textus in *cap. Cum ex offic. de praescript.* ubi decernitur visitationem praescribi non posse. Huic enim offensioni occurri facile posset, animadvertendo iura

Digitized by Google

episcopalia praescriptioni obnoxia esse ex *cap. Audistis*, et ex *Cap. Cum olim. de praescript.* ideoque et visitationem praescribi posse, quippe quae est de iuribus episcopalibus *Cap. Conquerente de offic. Ordin.* Mox autem obiecto capiti *cap. Cum ex officii de praescript.* responderi potest auctoritate Barbosae, qui in *Alleg. 129 num. 9 et seq. de Officio et Potest. Episcopi* haec ad rem habet - ibi - « Praescriptio tollens omnino visitationem, iure communi iniunctam, merito prohibetur, quamvis admittatur, quae illam transfert, vel aliis accumulat, sicut etiam admittitur, quae omnino tollit visitationem iure speciali competentem. »

Extra controversiam Collegii exemptione posita, sponte consequitur idem privilegium ad Oratorium extendendum fore. Et sane cum Oratorium censeri debeat ut Collegii accessorium, hinc ex vulgato effato *Reg. 42 Iuris Can.* - ibi - « Accessorium naturam sequi congruit principalis » eiusdem exemptionis particeps esse debet. Animadvertere etiam praestat eadem prorsus argumenta, quae pro Collegii exemptione militant, Oratorii quoque exemptioni favere; eo vel magis cum nec in eiusdem erectione Praesulis auctoritas intervenisse videatur.

Verum hisce rationibus parumper sepositis, perpendendum est, Oratorium quod a Patrono privatum, ab ipso Episcopo internum nuncupari, et cum ad viam publicam aditus non poteat, hinc privatum censendum apparet. Iamvero Canonistae docent privata Oratoria post primam visitationem in concessione et approbatione ab Episcopo peractam non amplius de iure visitari posse, quia non sunt loca sacra, aut religiosa, imo nec pia ut censent Abbas in *Cap. ult. de censibus n. 1*, Fagnan. *ibid. n. 2 et 29*, Card. Petra *tom. 2 Comment. ad Const. 8 Honorii III num 58*, Pignat. *tom. 1 consult. 93 n. 24.* Et merito cum non appareat ex quo capite Episcoporum visitationi subiaceant, ut notant Fagnan. *loc. cit.* Card. Petra *loc. cit.* Ventriglia in *prax. tom. 2 annot. 19 §. unico num. 19.* Pignat. *l. cit. num. 24.* - ibi - « Nam licet Oratorium privatum visite-

Digitized by Google

» tur quando prima conceditur licentia, non tamen conti-
» nuat Episcopi iurisdictio ad illud visitandum, cum pri-
» vatum sit; unde de facto non visitatur. » Ideoque etiam inspecto comuni iure videtur Episcopum nedum nulla obligatione detineri, sed nec posse Oratorii visitationem peragere.

Demum nec quoad Constitutionum observantiam urgendam ulla obligatione Praesul obstringi videtur. Etsi enim Romani Pontifices memoratum munus ipsi commiserint, tamen indubium apparet eo nunquam functum fuisse, ac proinde Collegium sub independenti Administratoris et Patroni potestate iugiter extitisse. Ideoque hodiernus Patronus centenariae praescriptioni innixus merito contendere potest, mandatum illud quovis vigore destitui, praesertim cum ex tot Episcoporum silentio plene probata ac sancita exemptio comperiatur, ac proinde iure praesumi posset illud revocatum fuisse.

Quin aliquid moveat plurima Constitutionum capita haud amplius observari, cum id ob immutatam Collegii ac temporum naturam evenerit. Etsi enim ab ipsa Collegii erectione admitterentur qui liberalibus scientiis incumberent, tamen, uti Praesul observat, finem in fundationis tabulis expressum esse ut collegium particulari modo sit pro illis qui studio Theologiae et iuris canonici incumbunt. Ideoque Constitutionum auctor praecipuum hunc Collegii finem prae oculis habens, illas ea ratione conficere debuit, ut rectae Clericorum institutioni quam maxime ordinarentur. Verum nunc temporis sacrarum scientiarum studio ab Universitate penitus excluso, laicis tantum Collegium constat. Hinc quisque facile percipit huiusmodi Constitutionum observantiam haud amplius exigi posse.

Perpendere praeterea praestat studiosam iuventutem ob temporum iniquitatem exitiosa libertatis cupidine ductam, difficillime subiici posse disciplinae Constitionum tribus abhinc saeculis editarum. Hisce accedit absoluta Patroni oppositio, qui contendens Collegium evasisse Institutionem mere civilem quamcumque ecclesiasticam auctoritatem excludit.

Digitized by Google

Quae exemptioni adversantur. Verum ex adverso videtur Collegium ordinariae Praesulis iurisdictioni subesse. Agitur enim in themate de re quam maxime odiosa, et episcopalis iurisdictionis restrictiva, quae proinde admitti nullo pacto debet nisi argumentis omnino certis et manifestis evincatur. Siquidem ius Episcopo tribuit hanc ordinariam iurisdictionem super omnibus suae Dioeceseos Ecclesiis, Collegiis ac piis locis erectis, ex textu *in cap. 7 de off. Ordinar. in 6.* et ex Conc. Trid. *sess. 22 cap. 8 et 9,* quamobrem fundatam ut aiunt, habet Episcopus intentionem in iure pro suae iurisdictionis exercitio, a quo prohiberi nequit nisi de exemptione ac privilegio evidenter constet: in dubio enim praevalet ordinaria Praesulis iurisdictio ceu ad textum in *cap. 7 de privil.* docet S. Rota *in decis. 354 num. 1 part. 19 recent.* et in *decis. 809 num. 32 coram Ansaldo:* ac passim S. C. C. ut in *Terracinen. et Sutrina Iurisdictionis 17 Decembris 1808,* et in *Perusina VV. SS. LL. 26 Augusti 1854.* Atqui exemptio nullo pacto probari videtur, sive ad titulum expressum, sive ad praesumptum attendas.

Non ex titulo expresso, quia argumentum ex Constitutionibus desumptum nullo in pretio habendum apparet, cum in Summorum Pontificum literis assertae exemptionis nulla explicita mentio reperiri valeat: hoc autem evenire certo non poterat, si eorum mens fuisset, Collegium huiusmodi peculiari privilegio donari.

Sed neque demonstrari videtur titulo praesumpto, diutissima nempe observantia, qua constet ab Episcopi iurisdictione Collegium iugiter exemptum fuisse. In primis enim id optime explicat mediolanensis Antistes, qui hoc ultro concedens, animadvertit: quum vi dictarum constitutionum patronus et administrator Collegii unus esse deberet ex familia Borromaeo, et reapse fuerit usque ad ultima tempora aliquis Emus Cardinalis, visum est opus non esse ut Ordinarii super hanc institutionem sedulo invigilarent.

Recolere praeterea iuvat Episcopum in suo iurisdictionis

Digitized by Google

exercitio plena libertate pollere: quare ex omissione actus mere facultativi, amitti nequit ius positivum et ab ipsa iurisdictionis episcopalis natura immediate dimanans. Agi vero in casu de actibus mere facultativis nemo cordatus inficias ibit. Porro explorati iuris est in hisce actis praescriptionem non induci nisi constet ipsos fuisse prohibitos, et partem adversam per tempus ad praescribendum habile prohibitioni acquievisse *Gloss. in L. V. communi divid. 6 de Annali praescr.* De Luca *de Benef. discept. 97 n. 13,* Rota *in millenis* decisionibus praesertim vero in *Decis. 253 n. 8 p. 3 recent.* – ibi – « Minus resistit, quod hic » murus per multos annos in ea forma steterit, quia nihi» lominus potest elevari; cum istud sit merae facultatis, » non praescribitur, quamvis per mille annos non fuerit » elevatus, nisi praecedente prohibitione, et legitima acquiescentia. » Quibus iuris principiis consonat S. C. C. praxis, quae huiusmodi observantiam nullo Summi Pontificis documento confirmatam nihili iugiter fecit. Sufficiat innuere decisionem in una *Civitatis Castelli Visit. sacr. lim. 18 Iulii 1857.* Cum quaedam sodalitas suam ab Episcopo exemptionem trium saeculorum observantia protueretur, et Episcopus sua iura vindicare studeret, proposito dubio: « *An constet de exemptione, seu potius de bono iure Episcopi visitandi sodalitium B. M. V. Gratiarum, ac exigendi administrationis rationes ab eiusdem officialibus?* » S. C. rescripsit: « *Negative ad primam partem, affirmative in omnibus ad secundam.* »

Verum in damnata hypothesi, quod Collegium praetenso privilegio reapse fruatur, tamen neque hoc in casu Oratorium ab Episcopi iurisdictione exemptum foret. Et sane huiusmodi Oratorium uti publicum censendum apparet, cum non alicui privatae personae vel familiae, sed communitatis usui inserviat. Praeterea altare fixum habet, s. Iustinae v. m. dicatum, cuius festivitas celebratur: haec autem ex Ursaia *tom. 1 part. 2 discept. 35* Oratorium publicum esse ostendunt, ideoque Ecclesiis aequiparari. Iamvero Tridentina

Digitized by Google

Synodus *sess. 7 cap. 8* iussit ut « Locorum Ordinarii Ec-
» clesias quascumque, quomodolibet exemptas auctoritate
» apostolica singulis annis visitare tenerentur. » Ideoque Praesul huiusmodi obligationem quoad Collegii Oratorium effugere nequit.

Verum dato etiam illud Oratorii privati naturam induere, non tamen exinde sequeretur illud ab Episcopi potestate penitus eximi iuxta Abbatem Siculum *cap. ult. de censibus* - ibi - « Et credo, quod licet Episcopus non possit vi-
» sitare huiusmodi Oratoria ut sic: tamen posse ad illa ac-
» cedere, ut videat, quomodo se habeant, et si praeter for-
» mam iuris constructa sint, et an honestate tractentur. » Cui concinunt Barbosa *de Iur. Eccles. univ. lib. 2 cap. 8 num. 15,* Ventriglia in *praxi tom. 2 annot. 19 num. 19,* et alii. Quovis igitur respectu Oratorium consideretur nunquam huiusmodi potestas Episcopo denegari valet.

Demum quoad Constitutionum observantiam gravissima obligatione Praesul obstringi videtur ad illam urgendam. Id enim in primis evidenter eruitur ex mandato Summorum Pontificum ipsi commisso, quod suam vim iugiter exerere debet. Praeterea in dubium revocari nequit absolutam s. Fundatoris voluntatem fuisse Constitutiones illas exacte observari, ut adolescentes nedum in scientiis, sed etiam in recta christianaque vivendi ratione, ut in iisdem legitur, proficiant. Iamvero Praesulis munus est omnem curam impendere ut piorum fundatorum voluntates adamussim exequantur, et cavere ne Collegia ad promovendam iuvenum institutionem erecta, ob superiorum negligentiam ad vitia potius fovenda conducant. Ideoque Tridentinum Concilium *sess. 20 cap. 8* statuit « Episcopi etiam tamquam Sedis Apostolicae
» delegati, in casibus a iure concessis, omnium piarum di-
» spositionum tam in ultima voluntate, quam inter vivos
» sint executores, habeant ius visitandi hospitalia, collegia
» quaecumque. . . et pia loca omnia, quomodocumque nun-
» cupentur, etiamsi praedictorum locorum cura ad laicos per-
» tineat, atque eadem pia loca exemptionis privilegio sint

Digitized by Google

» munita: ac omnia, quae ad Dei cultum aut animarum sa-
» lutem, seu pauperes sustentandos instituta sunt, ipsi ex
» officio suo iuxta sacrorum canonum statuta cognoscant,
» et exequantur, non obstantibus quacumque consuetudine,
» etiam immemorabili, privilegio aut statuto. »

Quibus sapientissimis dispositionibus S. C. C. firmiter adhaerens, admissa alicuius pii loci exemptione, constanter tamen declaravit Episcopum posse iure delegato illud visitare, ac pro observantia voluntatis pii fundatoris invigilare uti in una *Regien. Exemptionis 30 Ianuarii 1836*, et *Bergomen, Exemptionis 18 Decembris 1858.*

Ex hucusque dictis igitur sponte consequitur Episcopum posse ac teneri omnia media adhibere, ut Collegii regimen iuxta s. Fundatoris mentem ad religionem ac pietatem in iuvenibus fovendam ordinetur, praesertim cum de disciplina quam maxime collapsa Praesules omnes, unanimiter conquerantur. Maximum emolumentum e contra in societatem redundaret si Collegii disciplina instauraretur, cum haud deficerent boni iuvenes, qui libenter huic subiicerentur.

Quibus, aliisque praemissis, quaesitum fuit quomodo essent dimittenda

Dubia

I. *An constet de exemptione Collegii ab Episcopi iurisdictione in casu.*

Et quatenus *affirmative.*

II. *An et quibus obligationibus Episcopus teneatur tam circa Oratorium Collegii, quam circa Constitutionum observantiam in casu.*

Resolutio. Sacra C. Concilii „ re discussa, sub die 8 Martii 1884 censuit respondere:

Ad I Affirmative.

Ad II Affirmative quoad oratorium, tamquam Apostolicus Delegatus, ad formam iuris; et quoad constitutionum observantiam ad formam commissionis litterarum apostolicarum Sixti V et Pauli V.

Digitized by Google

Ex quibus colliges. I Episcopis datam esse ex iure duplicem potestatem; nempe potestatem ordinariae administrationis propriae Dioecesis; et potestatem delegatam, qua utuntur in casibus extraordinariis et contra privilegium exemptionis possidentes.

II Exemptiones haud violari per Episcopos utentes auctoritate delegatâ; nam hisce in casibus Antistites non agunt in exemptos nomine proprio, sed nomine Sedis Apostolicae; quae Ordinariis eisdem delegat propriam auctoritatem ut firmiori iure procedere valeant in exemptos.

III Quomobrem quum Emi. Iudices censuerint, Oratorium in themate exemptum esse a iurisdictione ordinariâ Episcopi, idem Antistes Oratorium visitare valet ceu Delegatus Apostolicus, utendo nempe auctoritate delegatâ, seu agendo nomine R. Pontificis.

IV Explorati iuris esse in actibus mere facultativis non induci praescriptionem, nisi constet, ipsos prohibitos fuisse et partem adversam acquievisse prohibitioni per tempus ad praescribendum habile.

V In themate trium Episcoporum, quibus ex Litteris Apostolicis commissum fuerat ut curarent Constitutionum observantiam numquam praescriptam fuisse iurisdictionem; nulla enim oppositio a patrono umquam facta est Episcopis, qui ex nimia aestimatione in patronorum et administratorum personas, onus huiusmodi posthabuerunt.

VI Episcopis ius esse et onus incumbere, etiam tamquam Apostolicis delegatis, quaecumque hospitalia et collegia invisendi, ac pro observantia voluntatis pii fundatoris invigilandi; quamvis *praedictorum locorum cura ad laicos pertineat.*

VII Episcopos in themate posse amodo et debere demandatum onus a Sixto V et Paulo V implere; studendo nempe ut per collapsae disciplinae restitutionem, Collegii regimen dirigatur ad fovendam religionem et pietatem alumnorum iuxta fundatoris mentem.

Digitized by Google

ARIMINEN.

DECIMARUM (1)

Die 8 Martii 1884.

COMPENDIUM FACTI. Ex concessione Summi Pontificis Pii VII, uti fertur, Capitulum Ecclesiae Cathedralis Ariminensis iam inde ab anno 1819 decimas colligit in nonnullis paroeciis eiusdem Dioecesis. Tractu temporis, praedictam concessionem subsequentis, cum fieret ut hic vel ille ager earumdem paroeciarum tunc primum excoleretur, Capitulum decimas quoque novales (2) colligere perrexit. Parochi omnes conticuerunt, excepto tantummodo Archipresbytero oppidi *Misano,* qui anno 1855 apud Capitulum institit pro sibi vindicandis decimis novalibus suae paroeciae. Huiusmodi petitionem duo Canonici ex Capituli mandato examinandam susceperunt, decernentes interim ut decimae controversae illius anni in loco depositi collocarentur. Quaestio tamen insoluta mansit, quia paullo post asiaticus morbus supervenit, duo praefati Canonici supremum diem obierunt et Archipresbyter instans paroeciam dimisit.

Vertente autem anno 1882, hodiernus Archipresbyter loci *Misano,* necnon Archipresbyter oppidi *Casale* una simul decimas novales suarum peroeciarum requisierunt a Capitulo: cui nihil respondenti, denuntiarunt, ut res definiretur, se interim praedictas decimas collecturos fore. Sed ab huiusmodi proposito eos deterruit Capitulum, atque initio mensis Iulii 1883 Sacratissimum Principem adivit, varia proponens enucleanda dubia.

Disceptatio Synoptica.

IURA PAROCHORUM. Neminem latet decimas sive antiquas sive novales Parochis omnino deberi, *Cap. Cum contingat*

(1) Recole Vol. I, 619 Vol. VII, 387 Vol. IX, 388.

(2) *Ex cap. quid per novale 21 de verb. sign.* nihil aliud accipi hoc nomine quam « *agrum de novo ad culturam redactum, de quo non extat memoria quod aliquando cultus fuisset.* »

Digitized by Google

29, et Cap. Cum tua 30 de decim., adeo ut isti intentionem quoque in iure fundatam pro se habeant contra quemcumque etiam Clericum, Monasterium, Capitulum, imo et episcopum; Barbosa *de Off. et potest. Paroch. p. 3 cap. 28 §. 2 num. 7 et 8,* Fagnanus in *cap. Cum contingat 29 de decim.,* Pirhing *eod. tit. num. 80,* Rebuffus *de decim. q. 7 num. 5.* Consequenter emergente dubio vel lite de decimis, onus probandi non Parocho, sed aliis decimas sibi tribuentibus incumbit, ceu unanimiter tradunt praefati Doctores cum communi sententia.

Licet autem quis, praeter Parochum, privilegium absolute ac indistincte habeat percipiendi decimas in aliqua paroecia, illud tamen ad novalia se non extendit, nisi expressa de hisce fiat mentio; Covarruvias *Var. Resolut. lib. 1 cap. 17,* Guttierez *lib. 2 qq. Can cap. 21 n. 183,* Barbosa in *cap. Ex parte 27 de decim. n. 6 et 9* Zoesius *eod. tit. num. 56,* Pirhing. *ibid. num. 104* aliique plurimi. Et merito quidem, cum huiusmodi privilegium sit odiosum, utpote in Parochorum, ad quos de iure spectat, praeiudicium cedens; ideoque *non extendendum,* sed potius *restringendum,* prouti dicitur in *cap. Cum tua 25 §. fin. de decimis.* Quinimo privilegium specifice de Novalibus obtentum ab iis, qui veteres decimas integre percipiebant, non extenditur ultra dimidium ipsorum Novalium, nisi aliud expresse dicatur. *Cap. Statuto 2 §. 1 de decim. in 6* – ibi – « Statuimus praeterea, quod idem indultum (novalium) obtentum ab iis, qui tempore impetrationis totaliter veteres percipiebant decimas, ut ultra medietatem decimarum novalium nullatenus extendatur: quia non est verosimile, si tunc de plena et integra perceptione veterum fuisset expressum, quod Apostolica Sedes pariter et similiter novalium decimas in tam grave parochialium Ecclesiarum dispendium indulsisset, quodque ratione talis indulti, sive impetrati iam, sive impetrandi deinceps, non possit in novalibus (quae amodo fient) vindicari et acquiri vel percipi plusquam medietas decimarum ipsorum novalium: e-

Digitized by Google

» tiamsi amplius in veteribus habebatur, cum non sit di-
» cendum asperum, sed pium potius et benignum, si super
» decimis futurorum novalium contra parochialium Eccle-
» siarum gravamen (quod ex distinctione indulti huiusmodi
» possit accidere) taliter obviatur. »

Ex his in iure praestitutis plane consequitur Capitulum nihil proficere posse in casu quoadusque ipsum non exhibeat apostolicum privilegium amplissimis clausulis munitum ac specifice de novalibus omnibus loquens, vel ostendat alium titulum privilegio aequipollentem. Iamvero Capitulum ipsum, ut de privilegio prius loquar, asserit quidem sibi indultam fuisse anno 1819 facultatem colligendi decimas in nonnullis paroeciis; ast de decimis novalibus nihil huiusmodi asserere audet, quamvis hisce praecise sibi tribuendis impense studeat. Imo iam confessum esset, uti affirmant Parochi, assertum privilegium non extendi ad decimas novales. Quare haud immerito iidem Parochi urgent praefatum privilegium vel neutiquam existere, vel existere quoad antiquas tantummodo decimas. Idque retinendum omnino videtur per iura superius allegata, quoadusque contrarium non probetur.

Deficiente autem privilegio, aliumque titulum Capitulo haud allegante, inutiliter prorsus praesidium quaeritur ex praescriptione. Haec enim vim suam exerere nequit in casu, nisi immemorabilis sit, vel quadragenaria cum titulo; Ferraris *V. decimae art. 4 n. 5* - ibi - « Ad sic vero praescribendum (ius decimandi) contra Ecclesiam parochialem requiruntur quadraginta anni una cum titulo, vel tempus immemoriale.» *Est communis.* Et ratio est, quia ad praescriptionem contra Ecclesiam requiritur dictum tempus una cum titulo, quoties ius commune resistit, vel praesumptio est contra praescribentem, textu expresso in *cap. 1 de praescriptionibus in 6* - ibi - « Nam licet ei, qui rem
» praescribit, ecclesiasticam, si sibi non est contrarium
» ius commune, vel contra eum praesumptio non habetur,
» sufficit bona fides: ubi tamen est ei ius commune con-
» trarium, vel habetur praesumptio contra ipsum, bona fi-

Digitized by Google

» des non sufficit, sed est necessarius titulus, qui possessori » causam tribuat praescribendi: nisi tanti temporis allege- » tur praescriptio, cuius contrarii memoria non existat. » Atqui ius commune resistit praescribenti decimas contra Ecclesiam Parochialem, et habetur praesumptio contra praescribentem, cum sit expresse statutum decimas de iure pertinere ad Parochos. Ergo etc.

Porro animadvertunt Parochi nedum deficere in casu praescriptionem immemorialem, vel quadragenariam cum titulo, verum etiam lapsum quadraginta annorum una cum bona fide. Etenim novi agri culturae paullatim addici coeperunt quadragesimum inter et quinquagesimum annum huius saeculi; et insuper protestatio Parochi loci *Misano* intercessit anno 1855. Qua quidem protestatione, urgent Parochi, Capitulum prorsus amisit bonam fidem, si forte eamdem prius habebat, colligendi decimas novales contra clarissimum illorum ius. Reiffenstuel *lib. 2 Decretal. Tit. 36 num. 143* – ibi – « Ad praescriptionem requiritur bona fides, sed » quando praescribenti est contrarium Ius commune, vel ha- » beatur praesumptio contra ipsum, hoc ipso censetur abesse » bona fides, nisi allegando specialem titulum possit talis » praesumptio tolli, seu mala fides purgari: ergo ad eam » tollendam atque purgandam malam fidem, requiritur al- » legatio cuiusdam specialis tituli. » Quidquid tamen sit sive de bona fide, sive de lapsu quadraginta annorum, res in idem recidit, quia nullus titulus a Capitulo allegatur, vel saltem asseritur quoad decimas novales.

Huc rebus perductis, facili negotio evinci posse videtur onus Capitulo incumbere restituendi decimas novales hucusque perceptas, Parochis vero ius esse easdem repetendi. Revera si iuxta Parochorum placitum, bonam Capituli fidem admittere nolis in casu, et tunc certissimum est istud ad restitutionem omnino teneri, ceu patet ex *L. Si fundum C. de Rei vindicat.* et *L. Certum est Cod. eod. tit.* ubi dicitur: *Certum est, malae fidei possessores, omnes fructus solere cum ipsa re praestare.* Concordat textus expres-

Digitized by Google

sus in §. *Si quis a non domino Instit. de Rerum div.* de quocumque malae fidei possessore indistincte pronuncians: *Qui alienum fundum sciens possederit, tum fundo etiam fructus (licet consumpti sint) cogitur restituere.* Si vero bonam Capituli fidem admittere velis, idem prorsus consequitur, quia nullus titulus allegatur. Doctores enim licet dissentiant in casu, quo possessionis titulus habetur; pax tamen inter eosdem est, ubi titulus iste deficiat. Reiffenstuel *lib 2 Decretal. tit.* 13 §. *6 num. 135* – ibi – « Utrum bonae fidei possessor « lucretur etiam fructus naturales? Resp. I. Probabilius est, » quod talis cum titulo legitimo, saltem colorato, lucretur » etiam fructus naturales; *non item quando nullum habet* » *titulum.* . . . Etsi contrarium teneat Glossa. . . . et » non pauci alii, qui moti *ex l. Fructus percipiendo ff. de* » *Usuris* tenent bonae fidei possessorem, etiam cum titulo, » fructus naturales non facere suos; sed teneri reddere uni- » versos, tum extantes, et quidem rei vindicatione, tum » consumptos, dando eorum pretium. »

Ne autem Capitulum ex gratia consequatur id quod consequi nequit ex iure, Parochi ostendere curarunt suas praebendas, oneribus detractis, tenuissimos suppeditare redditus, qui ad honestam sustentationem omnino impares sunt. Idque ut clarius appareat, unusquisque Parochus exhibet summam rationum, ac minutatim exponit nomina expensi et accepti, ex quibus colligitur Parochum oppidi *Casale* vix habere annuas lib. 130 et Parochum loci *Misano* lib. 125. Canonici contra, sufficientibus fruuntur reditibus.

Porro contraria huius Parochi petitio rationabilis omnino ac iuri conformis apparet. Sicuti enim privilegium eximens a solutione decimarum cessat quando enormiter Parochum laedit, ceu unanimiter tradunt Doctores *arg. cap. Suggestum 9 de decimis, cap. Quid per novale de V. S.* et *cap. penult. de Cleric. non resid.,* ita pariter dicendum videtur de privilegio colligendi decimas. Siquidem universaliter loquendo, quodvis privilegium cessat quando incipit esse enormiter praeiudiciosum tertio, uti habet Glossa com-

Digitized by Google

muniter recepta *in Reg. Decet. 16 de R. J. in 6 vers. Decet*, quia emergente tam gravi praeiudicio, res ad eum casum devenit, quem si Pontifex praevidisset, privilegium non dedisset.

IURA CAPITULI. Ex altera vero parte Capitulum animadvertit, maiorem novalium partem constitui ex oris maritimis, quae agris veterum decimarum finitimae sunt, quaeque paullatim crescunt ex lento maris recessu. Hinc inferri posse existimavit, decimas istorum novalium sibi omnino deberi; quia mare sicuti lente recedit, ita crescere posset atque absorbere antiquos etiam agros, super quibus decimandi ius certissime habet. Idque plane congruit cum iuris civilis sanctionibus, et praesertim cum *LL. 7, 30, 38, 65 ff. de acquir. rerum dominio*, ubi perspicue exponuntur accessiones, quae fiunt sive per alluvionem, sive per recessum fluminis vel maris, atque finitimis agrorum possessoribus adiudicantur.

Praescriptionem insuper sui favore militare ait, asseverans quod ab anno 1819 usque in praesens Capitulum collegit decimas paroeciales, ex concessione Pii VII, et etiam decimas novales, plenâ bonâ fide. Ad rem autem allegavit *cap. Ad aures 6 de Praescript.*, ubi legitur: « Ad aures » nostras pervenit duas Ecclesias litigasse super decimis, » quas una earum in alterius parochia annis quadraginta » possedit. . . Tuae fraternitati tenore praesentium innotescat, quod de iure divino et humano melior est condi- » tio possidentis: quia quadragenalis praescriptio omnem » prorsus actionem excludit. » Concinit Laymann. *lib. 4 tract. 6 cap. 6 num. 7* – ibi – « Quare generalem regu- » lam tradit Abbas . . . quod praescriptio non extenditur a » casu ad casum, quia non plus praescribitur quam possi- » detur. Quare si fueras in possessione percipiendi decimas » ex alienae parochiae praediis, non ideo etiam praescri- » psisti ius decimarum in novalibus, si ea antea nullos [fru- » ctus tulerunt, ideoque nullae decimae ex iis percipi sole- » bant. *Secus si etiam ex novalibus cum bona fide per-* » *cepisti.* »

Digitized by Google

Nec regerere iuvat Parochum oppidi *Misano* anno 1855 apud Capitulum institisse pro decimis novalibus obtinendis. Praetermisso enim hanc petitionem minime suffragare aliis Parochis, animadvertendum insuper est eamdem petitionem interrumpere haud potuisse praefatam praescriptionem: non *civiliter,* quia Capitulum interpellatum non fuit per aliquem actum iuridicum, qui ex legum dispositione talem interruptionem inducit; nec *naturaliter,* quia Capitulum cum eadem bona fide, qua prius, in possessione perseveravit. Et quamvis praedicta petitio dubium aliquod Capitulo iniicere potuerit, illud tamen, cum post incoeptam praescriptionem supervenerit, bonam fidem non vitiat, ceu tradit Glossa *in cap. ultimo de Praescript.,* quia in dubio melior est conditio possidentis iuxta *Reg. 65 Iuris in 6.*

Verum dato etiam, sed non concesso, quod hucusque allata minime evincant Capitulo ius esse colligendi decimas novales; praeteritas nihilominus, quas ipsum bona fide percepit atque consumpsit, restituere haud tenetur, cum locupletius ex illis factum non sit, uti inferius ostenditur. Ita expresse Reiffenstuel *lib. 2 Decretal. Tit. 13 num 142* – ibi – « Bonae fidei possessor non tenetur restituere fru» ctus, ante litem contestatam consumptos, quando ex eis » non est factus locupletior ; idque procedit non solum de » fructibus industrialibus, sed etiam naturalibus, et sive » cum titulo, sive absque titulo quis possederit. » Ita pariter Glossa in *cap. Gravis v. fructus* et Abbas *ibid. num. 6,* et Barbosa *num. 8 de Restitut. Spoliat.* Speculator *tit. de fructibus et interesse* §. *1 num. 2,* Covarruvias *lib. 1 Var. Resolut. cap. 3 num. 6,* Sanchez *lib. 2 in Decalog. cap. 23 num. 4* et communis aliorum.

Quoad Capituli preces animadversum fuit huiusmodi decimas constituere, praeter alios parvos reditus, fundum pro praebendis et distributionibus decem canonicatuum et sex Mansionariarum. Ideoque si nunc Capitulo denegarentur decimae novales, quae magnam reddituum partem constituere videntur, illius conditio in peius verteret, Mansionariis con-

Digitized by Google

grua deficeret sustentatio, et servitium Chori detrimentum pateretur.

Hisce itaque pro utraque parte breviter perpensis, Emi Patres rogati sunt sequentia diluere

Dubia.

I. *An Parochi ius habeant colligendi decimas novales in casu.*

Et quatenus affirmative

II. *An iidem ius habeant repetendi decimas a Capitulo perceptas in casu.*

III. *An Parocho loci* Misano *devolvenda sit etiam pars veterum decimarum in casu.*

Et quatenus affirmative etiam ad secundum et tertium

IV. *An et quomodo annuendum sit Capituli precibus in casu.*

Resolutio. Sacra Cong. Concilii, re probe cognitâ, sub die 8 Martii 1884 censuit respondere:

Ad I. *Affirmative et amplius*

Ad II. *Affirmative a die motae litis et amplius*

Ad III. *Negative et amplius*

Ad IV. *Negative in omnibus et amplius*

Ex quibus colliges: I Decimas antiquas et novales deberi parochis omnia iura clamant; ita ut iidem fundatam habeant intentionem in iure pro se contra quemcumque etiam clericum, Monasterium, et Capitulum.

II. Ex quo sequitur quod in casu litis quoad decimarum perceptionem, onus probandi incumbit non parocho sed aliis sibi decimas tribuentibus.

III. Ad evincendum in themate decimas novales deberi Capitulo, probandum erat privilegium a Pio VII eidem Capitulo concessum quoad veteres decimas sese extendere etiam ad novalia; quatenus nempe in chirographo concessionis, mentio de his quoque facta fuerit, quale speciale apostolicum privilegium.

IV. Privilegia enim quum sint odiosa, eo quod cedant

Digitized by Google

in praeiudicium illorum pro quibus ius militat, extendi nequeunt, sed potius coartari debent.

V. Ex DD. bonae fidei possessorem non teneri restituere fructus ante litem contestatam consumptos, si ex his ditior effectus non fuerit.

VI. In themate videri Capitulum habitum fuisse ceu possessorem bonae fidei quoad novalium perceptionem, eo quod s. Congregatio concesserit Parochis ius repetendi decimas novales perceptas, tantum a die motae litis.

EX S. CONGR. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

CALARITANA

SEU ORDINIS MINIMORUM OBSERVANTIUM SUPER DECLARATIONE RESCRIPTI

Die 7 Martii 1884.

Compendium facti. Controversia quae nunc agitur inter Capitulum Calaritanum et Minores Observantes die 28 Martii 1879 proposita fuit sub dubitandi formula: « An constet » de iure favore Capituli Calaritani ingrediendi cum Cruce » erecta et peragendi exequias in Ecclesia sanctae Rosaliae » in casu. » Et responsum fuit: « Affirmative. » Sub die vero 5 Septembris reproposita fuit quaestio haec sub dubio: « An et quomodo recedendum esset a decisis sub die 28 » Martii 1879 in casu. » Ast s. Cong. Ep. et Reg. respondit: « *In decisis* » (1).

Duae hae decisiones tamen haud valuerunt quaestioni finem imponere. Quum enim Eñorum. Patrum iudicium partibus innotuerit, diversimode interpretatum ab eisdem fuit. Siquidem altera censuit ex hoc responso licere Capitulo ingredi cum Cruce erecta in Ecclesiam s. Rosaliae, ibique exequias peragere quoties res sit de defunctis, qui in eadem

(1) Habes haec omnia Vol. XII, 298; recole adprecor, ut clarius res tibi innotescat.

Digitized by Google

sepulchrum possiderent gentilitium, aut elegerint inibi sepulturam. Altera autem censuit ex eodem responso datum fuisse Capitulo Calaritano ius funera peragendi in Ecclesia s. Rosaliae quoties eidem placuerit, sive pro canonicis et beneficiatis eorumque parentibus, sive pro quolibet alio qui in dicta Ecclesia neque sepulchrum habeat gentilitium, neque ibi sepulturam testamento elegerit.

Disceptatio Synoptica.

Iura Patrum Observantium. Horum P. Provincialis autumavit erui ex antiquo decreto Episcopi Falletti quod Capitulo ius est funera explendi in Ecclesia s. Rosaliae pro illis tantum qui ibi aut maiorum sepulchrum habeant aut hoc eligant. Quamobrem alia interpretatio litterae et spiritui eiusdem decreti adversatur; quoniam Episcopus ille derogavit sacris canonibus et parochorum iuribus favore tantum canonicorum et beneficiatorum, qui in Cathedrali sepeliri debent. Quamvis autem ex responso 28 Martii 1879 Capipitulo indultum fuerit ius genericum exequias peragendi, tamen ex quo per illud derogetur iuri communi restrictive interpretandum est, quoniam *quae exorbitant a iure non debent protrahi ad consequentias, reg. iur. 28 in 6.* Et ad rem facit *Hut ius can. lib. 1 dec. tit. 3 q. 14* « Si per- » pensis omnibus mens rescribentis maneat dubia, rescripta » iustitiae explicari debent secundum ius commune; etiamsi » verba debeant aliquo modo improprie sumi *cap. 18 de* » *rescr.* Deinde utpote odiosa debent stricte sumi, ut a persona » ad personam in rescripto non expressam non extendatur. »

Animadvertit etiam P. Provincialis quod exequiae pro canonicis et beneficiatis defunctis expleri ex iure debent in Cathedrali *Pignat. tom. 5, cons. 5 n. 6* « Canonici non » electa sepultura sepeliri debent in Cathedrali, quando ad- » sit pro illis sepulchrum. » Huic inhaerendo principio iuris usque ad annum 1875 detulit Capitulum canonicorum cadavera in Cathedralem; a qua ad caemeterium eadem transtulit, peractis exequiis.

Digitized by Google

Qua de re nequivit Capitulum post annum 1875, auctoritate propriâ, amplius extendere concessionem quam habuit ab antiquo a tribus parochis istius Civitatis, sepeliendi nempe canonicos, beneficiatos eorumque parentes, qui intra fines trium paroeciarum morarentur. Quoniam per hanc extensionem iura tertii laeduntur.

Asseruit autem idem P. Provincialis, Religiosos haud oppositionem facere, quia Capitulum elata cruce suam Ecclesiam ingredi vellet, sed quia idem praesumeret inibi exequias peragere. Nam aliud est Capituli praeminentia in associatione, aliud competentia iurisdictionis; S. Congr. *in Meliten. die 18 Novem. 1806:* « Praecedentiam semper per totam viam convenire Canonicis et Clericis Ecclesiae Cathedralis, a domo defuncti usque ad Ecclesiam in qua corpora defunctorum sepelienda erant. In Ecclesia vero ubi corpus sepelitur, officium faciendum est ab eo curato qui Ecclesiae praefuerit. »

Tandem animadvertit Decretum Falletti iussisse quidem ob aliqua particularia adiuncta, Religiosos nuncium mittere iuri peragendi exequias super cadaveribus ad eorum Ecclesiam delatis, sed iussio respexit tantum cadavera eorum qui sepulchrum electum haberent aut gentilitium.

Iura Capituli. Favore Capituli invocata fuerunt iuris principia generalia, quibus fit ut generaliter sit interpretandum rescriptum quod concipitur absque ulla distinctione, iuxta notum adagium – *ubi lex non distinguit nec nos distinguere debemus.* – Praeterea animadversum fuit esse principium rectae interpretationis quod rescriptum concordandum sit cum facta petitione, et cum subiecto principali quaestionis, quando res dubia permaneat. Nunc vero certum est quod pater Provincialis in primo supplici libello exposuit SSmo. Patri, Canonicos Cathedralis Calaritanae capitulariter deliberasse (1) peragere, inauditis religiosis viris, fune-

(1) Ratio capitularis huius deliberationis ex nuperrima lege civili desumenda est; qua fit ut canonicorum numerus in dies imminuatur. Canonici autem qui supersunt, quum sint senes et valetudinarii, magna cum difficultate efferrent

Digitized by Google

ra et canere Missam, praesente cadavere, pro suis collegis et beneficiatis in Ecclesia s. Rosaliae, quae pertinet ad Minores Observantes. In hoc autem signanter quaestionem positam fuisse erüitur etiam ex voto, ad id dato, Episcopi qui censuit Minores Observantes impedire non posse Capitulum Cathedralis quominus Missam canat, praesente cadavere, et funera exsolvat pro aliquo canonico aut beneficiato Cathedralis. Quoniam ex consuetudine quae viget ab immemorabili Capitulum Cathedralis ingredi valet etiam alias Ecclesias Regularium ad funera peragenda; sic ab eadem consuetudine ingreditur Ecclesiam Minorum Observantium. Isti cum morarentur extra civitatem, obtinere potuere ab Episcopo, Municipio, et siculo Sodalitio patrono, ut in civitatem sese transferrent apud Ecclesiam s. Rosaliae. In ea ex antiqua consuetudine Capitulum iam funera explebat. Religiosi Ecclesiam receperunt cum omnibus oneribus. Quamobrem etsi Capitulum Calaritanum minime intendat ad id ut doctrinae gravissimorum auctorum detrahatur, tamen substinuit eam aptari non posse in themate; quia omne ius suum fulcitur consuetudine immemorabili. Quae consuetudo roboratur per decretum Episcopi Falletti, a quo facile eruitur ius Capituli non imminui, sed potius coarctari Observantium facultatem, ne aliquem admittant ad sepulturam in illa Ecclesia, praeter illos qui eam elegerint per testamentum.

Quibus aliisque praenotatis, propositum fuit enodandum

Dubium

An ius quod s. Congregatio concedit Capitulo in explendis exequiis super cadareribus in suo decreto 28 Martii 1879, extendatur ad omnia cadavera; sive ad illa quae

cadavera ad Cathedralem et dein ad Coemeterium, ex variis paroeciis civitatis, quae multum distant et semitae dissitae sunt. Hinc statuerunt efferre cadavera in Ecclesiam s. Rosaliae, ut exinde breviori et agiliori semitâ ad coemeterium queant efferri. Iure ingrediendi erectâ cruce et exequias perficiendi in Ecclesiis Regularium fruitur ab immemorabili Capitulum Cathedralis. Notandum insuper est quod Minores Observantes obtinuerint Ecclesiam s. Rosaliae cum conditione servandi, inter alia, iura omnia et consuetudines favore Capituli Calaritani.

Digitized by Google

elegerint sepulturam in Ecclesia nostra, aut habeant ibi maiorum sepulturam in casu.

RESOLUTIO. Sacra Cong. Ep. et Reg. re discussa sub die 7 Martii 1884 censuit respondere: « *Affirmative ad primam partem, et amplius.*

EX QUIBUS COLLIGES. I. Cadavera omnia, pro quibus Capitulum Calaritanum funera explere debeat, deferri ad id posse in Ecclesiam s. Rosaliae, inauditis Patribus Observantibus, ex immemorabili consuetudine; per quam etiam Ecclesiarum exemptarum iura perimuntur.



EX S. CONG. S. R. U. INQUISITIONIS

DE SECTA MASSONUM

INSTRUCTIO Sanctae Romanae et universalis Inquisitionis ad omnes Catholici orbis Episcopos.

Ad gravissima avertenda mala, a *Massonum* secta aliisque ex ea prognatis in Ecclesiam et in omnes civium ordines illata, Sanctissimus Dominus Noster LEO XIII sapienti prorsus consilio Encyclicas Litteras *Humanum genus* ad omnes catholici orbis Episcopos nuperrime dedit. Quibus Litteris earumdem sectarum doctrinas, finem, consilia detegit, curas Romanorum Pontificum liberandae a tam nefaria peste humanae familiae enarrat, easdem sectas iterum et Ipse damnationis et censurae nota inurit, simulque docet, qua ratione, et quibus armis sit contra illas dimicandum, quibusque remediis, illatis ab iisdem vulneribus sit medendum. — At cum Sanctitati Suae perspectum sit, tum demum ex curis suis uberes fructus sperandos esse, cum in rem tanti momenti omnium Ecclesiae Pastorum opera, consilia, labores unanimi nisu conferantur, mandavit huic Supremae Congregationi s. Romanae et Universalis Inquisitionis, ut quae agenda ipsis Pastoribus potissimum essent, apte eisdem proponeret. Quibus Summi Pontificis mandatis uti par est Eminentissimi Patres una mecum Inquisitores Generales morem gerentes, omnibus Episcopis aliisque locorum Ordinariis hanc Instructionem dandam esse censuerunt.

1. Imprimis peroptans clementissimus Pontifex animarum saluti prospicere, vestigia sequutus Salvatoris nostri IESU CHRISTI, qui non venit vocare iustos sed peccatores ad poenitentiam, paterna voce eos omnes, qui Massonicae aliisque damnatis sectis nomen dedere, ad detergendas animae sordes et ad divinae misericordiae sinum peramanter invitat. In hunc finem eâdem usus benignitate, qua eius Decessor Leo XII, ad integrum anni spatium

Digitized by Google

post rite vulgatas super memoratas Apostolicas Litteras in unaquaque dioecesi, suspendit tum obligationem denunciandi earundem sectarum occultos coryphaeos et duces, tum etiam reservationem censurarum, peculiarem facultatem concedendo omnibus confessariis ab Ordinariis locorum approbatis, ut eos qui vere resipuerint, et sectas deseruerint, ab iisdem censuris absolvere, et Ecclesiae reconciliare valeant. — Erit igitur sacrorum Praesulum hanc Pontificis Maximi benignitatem fidelibus suae fidei concreditis nuntiare. Facerent autem rem pastorali sua sedulitate dignam, si hoc vertente anno, quem clementiae peculiari modo addictum vult Pontifex, sacris exercitationibus, Missionum in morem, oves suas ad aeternas veritates meditandas, et spiritum rectum innovandum excitarent.

2. Mens porro est eiusdem Sanctitatis Suae, ut Encyclicae Litterae quam diligentissime evulgentur, quo facilius omnes christifideles intelligant, quam dirum inter eos venenum serpat, quantaque eos eorumque prolem pernicies maneat, nisi tempestive sibi caveant. Tum sollertissima et impensissima opera danda erit, ut remedia tam quae a Pontifice proponuntur, quam quae propria cuiusque prudentia suaserit, adhibeantur. — Primum omnium excitare in hanc rem oportet industriam sedulitatemque parochorum; deinde adsciscenda generatim eorum opera est, quibus a bonorum omnium largitore Deo facultas dicendi aut scribendi tributa est, vel quibus divini verbi annuntiandi vel christianae plebis a culpis expiandae, vel etiam iuventutis instituendae cura demandata fuerit, ut et ipsi labores suos conferant ad detegenda Massonum, aliarumque damnatarum societatum impia placita et infanda molimina, et ad reducendos in viam salutis eos, qui sive temere et incaute, sive consulto et cogitato ad eas accesserint, atque ad illos praemonendos, qui nondum in earum laqueos inciderunt.

3. Ne quis vero errori locus fiat, cum diiudicandum erit, quaenam ex his perniciosis sectis censurae, quae vero prohibitioni tantum obnoxiae sint, certum imprimis est, excommunicatione latae sententiae multari Massonicam aliasque eius generis sectas quae capite 2. n. IV. Pontificiae Constitutionis *Apostolicae Sedis* designantur, quaeque contra Ecclesiam vel legitimas potestates machinantur, sive id clam sive palam fecerint, sive exegerint, sive non, a suis asseclis secreti servandi iuramentum.

4. Praeter istas sunt et aliae sectae prohibitae atque sub gravis culpae reatu vitandae, inter quas praecipue recensendae illae omnes, quae a sectatoribus secretum nemini pandendum, et omnimodam obedientiam occultis ducibus praestandam iureiurando exigunt. Animadvertendum insuper est, adesse nonnullas societates, quae, licet certo statui nequeat, pertineant necne ad has, quas memoravimus, dubiae tamen et periculi plenae sunt, tum ob doctrinas quas profitentur, tum ob agendi rationem quam sequuntur ii, quibus ducibus ipsae coaluerunt et reguntur. Ab his etiam Sacrorum Antistites, quibus germana Christi fides et morum integritas maximae curae esse debet, noverint oves suas deterrendas et ar-

Digitized by Google

cendas esse, et eo quidem diligentius, quod ob servatam ab iisdem quamdam honestatis speciem corruptelae periculum, quod in ipsis latet, difficilius a simplicibus praesertim hominibus et adolescentibus persentiri et praecaveri poterit.

5. Rem proinde facient sacri Pastores suis ovibus apprime utilem et Sanctitati Suae periucundam, si praeter commune et usitatum concionandi genus, quod omnino retinendum est, illud adiungent, quod defendendis catholicis veritatibus adhiberi solet, et aptissimum est profligandis erroribus, quod latius et maximo cum animarum detrimento hodie disseminari Apostolicae Litterae *Humanum genus* deplorant. Quod quidem concionandi genus tum erit christianae plebi saluberrimum, cum refutatis erroribus, christianae doctrinae vim, praestantiam et utilitatem dilucide et ordine explanabit, et amorem erga catholicam Ecclesiam, quae eandem doctrinam integram incorruptamque servat, in animis auditorum excitabit.

6. Cum vero vaferrimis sectarum artibus fraudibusque adolescentes, pauperes artifices et operarii facilius allici et capi soleant, ad hos etiam peculiares curae sunt convertendae. Atque ad iuventutem quod attinet, adnitendum summopere est, ut a teneris annis tam intra domesticos parietes, quam in templis et in scholis ad christianam fidem, christianosque mores accurate informetur, et mature doceatur, qua ratione sibi ab insidiis tenebricosarum sectarum cavere debeat, ne si in earum laqueos inciderit, sit ipsi imposterum tam iniquis dominis maximo cum aeternae salutis et humanae dignitatis detrimento turpissime serviendum. Iuvenum incolumitati perbene consultum erit, si ex iis conflatae fuerint societates, quae a Beatissima Virgine aliove caelesti Patrono nomen sumpserint. In his coetibus veluti in palaestris, si praesertim iis praeficiantur Sacerdotes laicique homines sapientia et dexteritate praestantes, adolescentes animum sument virtutibus colendis, et religioni aperto ore, contemptis impiorum irrisionibus, profitendae, simulque assuescent horrere quidquid a catholica veritate et sanctitate alienum sit.

7. Perutile etiam est, hinc patres, illinc matresfamilias fraterno foedere coniungere eum in finem, ut viribus unitis aeternae propriae sobolis saluti rectaeque institutioni aptius studere, et efficacius consulere possint. Plures huius generis consociationes huc illuc inductae sunt, sive de viris, sive de feminis agatur, quae Caelitis alicuius tutelae sese commiserunt, et laetissimos religionis ac pietatis fructus edunt.

8. De *artificibus* autem et *operariis*, inter quos potissimum delectus haberi solet ab iis, quibus vel ipsa religionis et societatis fundamenta convellere propositum est, ponant sibi ante oculos Sacrorum Antistites prisca illa collegia fabrum, vel artificum universitates aut sodalitates, quae adscito sibi caelesti Patrono anteactis temporibus praeclaro fuerunt civitatibus ornamento, et artibus sive politioribus sive humilioribus incremento. Hos aliosque coetus ex iis etiam hominibus qui mercaturae negotiis vel huma-

Digitized by Google

nioribus disciplinis sese dediderunt, iterum excitabunt, in quos qui coiverint religionis officia sedulo edocebuntur et obibunt, et una simul in humanis necessitatibus, quas ferre aut corporis aegritudo aut senium aut paupertas solet, mutuo sibi sint auxilio. Qui his coetibus praesunt, sedulo advigilabunt, ut socii morum probitate operum affabre effingendorum peritia, laborum ferendorum docilitate et assiduitate maxime commendentur, quo facilius, quae ad vitam sunt necessaria, sibi parare queant. Nec detrectabunt iidem Antistites huiusmodi societatibus advigilare, leges proponere aut adprobare, gratiam divitum conciliare, patrocinio suo eas prosequi, ope iuvare.

9. Neque peculiarem eorum curam fugiet mirabilis illa *precum et operum societas,* quae nonnullis in locis nata, in aliis iam adolescere coepit. Curandum summo studio est, ut in hanc adscribantur quotquot recte de religione sentiunt. Nam cum ei propositum sit, generali quadam animorum consensione in univerersa qua late patet catholica Ecclesia, religionis ac pietatis opera fovere et amplificare, divinaeque indignationi placandae assidue studere, facile intelligitur quantae ea miseris hisce temporibus futura sit utilitati. Ex precandi autem formulis eam Episcopi commendabunt maxime, quae a Deiparae *Rosario* nomen habet, quamque tamquam praestantissimam amplissimis laudibus haud ita pridem Sanctissimus Dominus Noster prosequutus est et impensissime inculcavit. Inter opera vero pietatis ea eligant, quae obiri ab iis solent qui *tertium* s. Francisci *Ordinem* profitentur, inter quos sicut et inter sodales s. Vincentii a Paulo vel Marianos quo plures fieri poterit conscribendos curabunt, ut praeclarissima opera quae tanto cum catholici orbis plausu et animarum fructu ab iisdem peraguntur, latius in dies manent.

10. Optimum denique factum esset, si ubi id locorum et personarum adiuncta siverint, catholicae scientiarum Academiae excitarentur, illique perutiles conventus seu *Congressus,* uti vocant, haberentur, ad quos unius vel plurium regionum lectissimi homines deputarentur, eosque praesentia sua Sacrorum Antistites honestare non dedignarentur, ut simul consilia rei catholicae provehendae sub eorum auspiciis iniri et quae tum huic tum publicae utilitati magis conferunt, statui possent. — Neque abs re esset si, qui sibi provinciam depoposcerunt assiduis scriptis et lucubrationibus defendendi Dei et Ecclesiae iura, et recidendi novos qui in dies subolescunt errores et cavillationes, sociato agmine, Episcopis ducibus, dimicarent. Fieri enim non potest, quin, si vires omnes, quae vividae adhuc, Deo opitulante, in Ecclesia vigent valentque, in idem consenserint, uberrimi referantur fructus ad hodiernam hominum societatem ab exitiali iniquarum sectarum contagione vindicandam, et in Christi libertatem asserendam.

11. Quae hactenus proposita sunt, haud ita facile optatum finem assequentur, nisi vires uniantur, ac proinde nisi Archiepiscopi cum suis Suffraganeis una consuluerint et statuerint, quid facto opus sit, ut Supremi Pastoris desideriis obsecundetur. Cuius,

Digitized by Google

sicut et Supremae huiusce Congregationis in votis est, ut eorum singuli quantocius renuntient, et imposterum quoties statum describent dioeceseon, referre ne praetermittant, quid quisque vel singillatim vel una cum suis in Episcopatu collegis egerint, et quem exitum eorum studia sortita fuerint.

Datum Romae ex Cancellaria s. Officii die 10 Maii 1884.

RAPHAEL Card. MONACO.

EX S. CONGREG. INDULGENTIARUM

RESCRIPTUM quo declaratur non constare an pluries in die indulgentia Viae crucis lucrifieri queat.

Nicolaus Iosephus Dabert, Episcopus Petrocoricensis in Gallia humiliter postulavit:

Utrum toties in die lucrifieri valeant indulgentiae exercitio Viae Crucis adnexae, quoties illud iteratur?

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita respondit: Ex documentis non constat Indulgentias, pro pio exercitio Viae Crucis concessas, toties lucrifieri quoties praefatum pium exercitium iteratur.

Ex Secretaria eiusdem Sac. Congreg., die Septembris 1883.

Loc. ✠ Sigilli.

A. Card. BILIO

Franciscus Della Volpe Secretarius.

RESCRIPTUM quo convalidantur omnes stationes Viae crucis hucusque invalide erectae.

Beatissime Pater,

Fr. Bernardinus a Portu Romantino totius Ordinis Minorum Minister Generalis, ad pedes Sanctitatis suae provolutus humiliter exponit, ex publicata in ephemeride, cui titulus *Acta Ordinis Minorum.* instructione de Stationibus s. Viae Crucis erigendis fuisse compertum, eiusmodi stationes non semel invalide erectas fuisse.

Quum autem admodum difficile videatur, ut huiusmodi erectiones renoventur, hinc ne fideles visitantes tales stationes invalide erectas indulgentiis a s. Sede concessis privati existant, humiliter supplicat Orator, ut Sanctitas Sua omnes s. Viae Crucis stationes hucusque invalide erectas, convalidare ac ratas habere dignetur.

Quam gratiam, etc.

Vigore specialium facultatum a SSmo Dño Nostro Leone Papa XIII tributarum, Sacra Congregatio Indulgentiis sacrisque Reliquiis praeposita defectus omnes, de quibus in supplici libello, benigne sanavit. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex secretaria eiusdem Sacrae Congregationis die 31 Iulii 1883.

A. Card. BILIO

Franciscus Della Volpe Secretarius.

Digitized by Google

EX S. CONGREGATIONE INDICIS

DECRETUM

Feria VI die 18 Iulii 1884.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONE PAPA XIII Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi, ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, mandavit et mandat in Indicem librorum prohibitorum referri sequens Opus damnatum atque proscriptum a Sac. Cong. S. Universalis Inquisitionis Decr. Fer. IV. die 16 Iulii 1884.

Lo scandalo del « Vaticano Regio » duce la Provvidenza buono a qualche cosa: Brevi note onde l'Autore di quello (Carlo M. Curci) valedice a siffatte polemiche con due appendici. Firenze. Roma, fratelli Bencini editori. 1884.

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedictum Opus damnatum atque proscriptum, quocumque loco, et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut editum legere vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis, aut haereticae pravitatis Inquisitoribus illud tradere teneatur sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus SANCTISSIMO D. N. LEONI PAPAE XIII per me infrascriptum S. I. C. a Secretis relatis, SANCTITAS SUA Decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.

Datum Romae die 18 Iulii 1884.

FR. THOMAS M.ª CARD. MARTINELLI Praefectus.

Fr. Hieronymus Pius Saccheri Ord. Praed.
S. Ind. Congreg: a Secretis.

Loco ✠ Sigilli.

Die 22 Iulii 1884 ego infrascriptus Mag. Cursorum testor supradictum Decretum affixum et publicatum fuisse in Urbe.

Vincentius Benaglia Mag. Curs.

Digitized by Google

EPISTOLA ENCYCLICA SSmi D. N. LEONIS XIII, qua mandat ut mense octobris huius anni ss. Rosarium recitetur in omnibus curialibus templis.....

LEO PP. XIII.

VENERABILIBUS FRATRIBUS PATRIARCHIS PRIMATIBUS ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS CATHOLICI ORBIS UNIVERSIS GRATIAM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTIBUS.

Superiore anno, quod singuli novistis, per litteras Nostras Encyclicas decrevimus, ut in omnibus catholici orbis partibus, ad caeleste praesidium laboranti Ecclesiae impetrandum, magna Dei Mater sanctissimo Rosarii ritu, Octobri toto, coleretur. In quo et iudicium Nostrum et exempla sequuti sumus Decessorum Nostrorum, qui difficillimis Ecclesiae temporibus, aucto pietatis studio, ad augustam Virginem confugere, opemque eius summis precibus implorare consueverunt. — Voluntati vero illi Nostrae tanta animorum alacritate et concordia ubique locorum obtemperatum est, ut luculenter apparuit quantus religionis et pietatis ardor extet in populo christiano, et quantam in caelesti Mariae Virginis patrocinio spem universi reponant. Quem quidem declaratae pietatis et fidei fervorem Nos, tanta molestiarum et malorum mole gravatos, non mediocri consolatione leniisse profitemur, imo animum addidisse ad graviora quoque, si ita Deo placeat, perferenda. Donec enim spiritus precum effunditur super domum David et super habitatores Ierusalem, in spem certam adducimur, fore ut aliquando propitietur Deus, Ecclesiaeque suae miseratus vicem, audiat tandem preces obsecrantium per Eam, quam ipse caelestium gratiarum voluit esse administram.

Quapropter insidentibus causis, quae Nos ad publicam pietatem excitandam, uti diximus, anno superiore impulerunt, officii Nostri duximus, Venerabiles Fratres, hoc quoque anno hortari populos christianos, ut in huiusmodi precandi ratione et formula, quae *Rosarium Mariale* dicitur, perseverantes, sibi validum magnae Dei Genitricis patrocinium demereantur. Cum enim in oppugnatoribus christiani nominis tanta sit obstinatio propositi, in propugnatoribus non minorem esse opportet constantiam voluntatis, quum praesertim caeleste auxilium et collata nobis a Deo beneficia, per-

Digitized by Google

severantiae nostrae saepe soleant esse fructus. — Ac revocare iuvat in mentem magnae illius Iudith exemplum, quae almae Virginis typum exhibens stultam Iudaeorum repressit impatientiam, constituere Deo volentium arbitrio suo diem ad subveniendum oppressae civitati. Intuendum item in exemplum Apostolorum, qui maximum Spiritus Paracliti donum sibi promissum expectaverunt, perseverantes unanimiter in oratione cum Maria Matre Iesu. — Agitur enim et nunc de ardua ac magni momenti re, de inimico antiquo et vaferrimo in elata potentiae suae acie humiliando; de Ecclesiae eiusque Capitis libertate vindicanda; de iis conservandis tuendisque praesidiis in quibus conquiescere oportet securitatem et salutem humanae societatis. Curandum est igitur, ut luctuosis hisce Ecclesiae temporibus Marialis Rosarii sanctissima consuetudo studiose pieque servetur, eo praecipue quod huiusmodi preces cum ita sint compositae ut omnia ex ordine salutis nostrae mysteria recolant, maxime sunt ad fovendum pietatis spiritum comparatae.

Et ad Italiam quod attinet, potentissimi Virginis praesidium nunc maxime per Rosarii preces implorare necesse est, quum nobis adsit potius, quam impendeat, nec opinata calamitas. Asiana enim lues terminos, quos natura posuisse videbatur, Deo volente, praetervecta, portus Gallici sinus celeberrimus, ac finitimas exinde Italias regiones pervasit. — Ad Mariam igitur confugiendum est, ad eam, quam iure meritoque salutiferam, opiferam, sospitatricem appellat Ecclesia, uti volens propitia opem acceptissimis sibi precibus imploratam afferat, impuramque luem a nobis longe depellat.

Quapropter adventante iam mense Octobri, quo mense sacra solemnia Mariae Virginis a Rosario in orbe catholico aguntur, omnia ea, quae praeterito anno praecepimus, hoc anno iterum praecipere statuimus. — Decernimus itaque et mandamus, ut a prima die Octobris ad secundam consequentis Novembris in omnibus curialibus templis, sacrariisve publicis Deiparae dicatis, aut in aliis etiam arbitrio Ordinarii eligendis quinque tamen Rosarii decades, adiectis Litaniis, quotidie recitentur: quod si mane fiat, sacrum inter preces peragatur; si pomeridianis horis, Sacramentum augustum ad adorandum proponatur, deinde qui intersunt rite lustrentur. Optamus autem, ut Sodalitates Sanctissimi Rosarii solemnem pompam, ubicumque per civiles leges id sinitur, vicatim publicae religionis causa ducant.

Ut vero christianae pietati caelestes Ecclesiae thesauri recludantur, Indulgentias singulas, quas superiore anno largiti sumus,

Digitized by Google

renovamus. Omnibus videlicet qui statis diebus publicae Rosarii recitationi interfuerint, et ad mentem Nostram oraverint, et his pariter qui legitima causa impediti privatim haec egerint, septem annorum itemque septem quadragenarum apud Deum indulgentiam singulis vicibus concedimus. Eis vero qui supra dicto tempore decies saltem vel publice in templis, vel iustis de causis inter domesticos parietes eadem peregerint, et criminum confessione expiati, sancta de altari libaverint, plenariam admissorum veniam de Ecclesiae thesauro impertimus. Plenissimam hanc admissorum veniam et poenarum remissionem his omnibus etiam largimur, qui vel ipso beatae Virginis a Rosario die festo, vel quolibet ex octo insequentibus, animae sordes eluerint et divina convivia sancte celebraverint, et pariter ad mentem Nostram in aliqua sacra aede Deo et sanctissimae eius Matri supplicaverint.

Iis denique consultum volentes qui ruri vivunt et agri cultione, praecipue octobri mense, distinentur, concedimus ut singula, quae supra decrevimus, cum sacris etiam indulgentiis octobri mense lucrandis, ad insequentes vel novembris vel decembris menses, prudenti Ordinariorum arbitrio differri valeant.

Non dubitamus, Venerabiles Fratres, quin curis hisce Nostris uberes et copiosi fructus respondeant, praesertim si quae Nos plantamus, et vestra sollicitudo rigaverit, iis Deus gratiarum suarum largitione de caelo afferat incrementum. Pro certo quidem habemus populum christianum futurum dicto audientem Apostolicae auctoritati Nostrae eo fidei et pietatis fervore, cuius praeterito anno amplissimum dedit documentum. Caelestis autem Patrona per Rosarii preces invocata adsit propitia, efficiatque, ut sublatis opinionum dissidiis et re christiana in universis orbis terrarum partibus restituta, optatam Ecclesiae tranquillitatem a Deo impetremus. — Cuius auspicem beneficii, Vobis et Clero vestro, et populis vestrae curae concreditis, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXX Augusti MDCCCLXXXIV, Pontificatus Nostri Anno Septimo.

LEO PP. XIII.

Digitized by Google

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

LAVALLEN.

SOLUTIONIS

Die 16 Februarii et 5 Aprilis 1884.

Compendium facti. Sacerdos Iouanne statuit aperire scholam suis impensis in paroecia Montreuil; eamque tradere piae alicui Congregationi Sororum pro religiosa educatione iuventutis. Animum porro intendit ad Congregationem Sororum loci vulgo *Briouze*, quibus initio tradere proposuit summam 20,000 libellarum; videlicet 10,000 vel 12,000 libellarum statim ac res mutuo consensu compositae fuerint solvendas, et deinceps per vices, id quod superesset ad praedictam summam complendam. At postea, mutato consilio, scholarum domum proprio sumptu construere cogitavit et Monialibus, cum primum onus magistrale assumerent, 4,000 libellarum tradere, post suam mortem vero 10,000.

Pluries institit Franciscus penes eiusdem Congregationis moderatricem ut donationem acceptaret. Iam in promptu erat propositio donationis peragendae, in qua Franciscus, praeter scholam proprio sumptu extruendam, et 4,000 libellas statim concedendas, Sororibus promittebat etiam summam 10,000 libellarum post suum obitum exsolvendam. Imo, maioris securitatis gratiâ, eamdem summam Franciscus Marchioni de Quatrebarbes commendaverat, ut, sua morte sequuta, illam Sororibus traderet.

Initio moderatrix Congregationis donationem acceptare videbatur; et iam ab anno 1871 schola extructa, praesertim operâ Parochi Monstroliensis, qui magnam in hac re partem habuit, sub cura duarum ex Sororibus prosperos exitus consequebatur. Verum, renuente Episcopo Sagiensi, Monia-

Digitized by Google

lium praeside, moderatrix donationem sibi propositam reiecit.

Interea Franciscus de stabilitate ac perpetuitate scholae admodum sollicitus, de alia donatione facienda cogitavit. Hinc adhibito consilio Vicarii generalis Wicart, qui insuper omnes conditiones novae donationis dictaverat, scholam una cum summa 4,000 libellarum fabricae ecclesiae Monstroliensis administratoribus tradidit per publicum instrumentum diei 12 Martii 1877; in quo tamen ne verbum quidem occurrit de summa 10,000 libellarum, post donantis obitum solvenda. Rebus sic stantibus, die 6 Martii 1878 Franciscus Iouanne cerebrali congestione correptus, die 23 Octobris sequentis anni 1879 supremum diem obiit.

Francisco vitâ functo, Comes de Quatrebarbes, frater Marchionis defuncti, et Comes de Reau, qui illius voluntatem probe noverant, eiusdem fratrem Carolum, Parochum pariter loci Argenton, rogarunt ut ostenderet tabulas in quibus ipsi executores testamentarii nominari existimabant. Verum Carolus renuit, asserens extare defuncti fratris testamentum, rogante publico scriba Richard, mense Aprilis anni 1878 exaratum, quo, revocatis prioribus dispositionibus, ipse haeres ex asse absque ulla conditione et onere instituebatur.

Hisce non obstantibus Comes de Quatrebarbes plurimum adlaboravit ut a Carolo solutionem 10,000 libellarum obtineret: tum quia testamentum, utpote ab intellectualibus facultatibus destituto exaratum, nullum censendum erat, tum quia, etiam in hypothesi validitatis, Carolus successerat in obligationibus sui antecessoris. Ast omnia male cesserunt, quia Carolus non solum recusavit arbitrali decisioni rem committere, verum etiam Comitem traducere volebat coram civili tribunali, ut eum adigeret ad restitutionem 10,000 libellarum, quas Franciscus securi investimenti causâ, Marchioni de Quatrebarbes commiserat, cuius filiorum Comes administrator existit.

Post haec statim Comes de Quatrebarbes recursum ha-

Digitized by Google

buit ad S. C. C. ut cogeret Carolum ad solutionem 10,000 libellarum favore scholae loci *Montreuil*, suspensis interim omnibus actibus iudicialibus, si quae sint, usque ad exitum quaestionis.

Requisitus de more Episcopus remisit Caroli deductiones, in quibus asserit, se nullum aliud testamentum agnoscere praeter solemne diei 27 Aprilis 1878, quo, revocatis omnibus antecedentibus dispositionibus, ipse ex asse haeres vocatur, quin verbum occurrat de institutione comitis de Quatrebarbes in qualitate executoris testamentarii. Addit insuper, se non teneri ad petitam solutionem, et summam 10,000 libellarum, Marchioni de Quatrebarbes commodatam, nullam relationem habere cum praefata schola, sed sibi reddendam esse ut obligationibus sibi a fratre impositis satisfaceret. Episcopus animum suum pandidit favore Caroli, pro quo testamentum adest: dum Comes nullam attulit probationem, qua constet de mente Francisci donandi, post mortem, 10,000 libellas. Qui vero partem in hac re habuerunt, fere omnes mortui sunt.

Disceptatio Synoptica.

Quae scholae favore stare videntur. Qui scholae paroeciae Monstroliensis iura tuetur, pro viribus contendit summam 10,000 libellarum ab haerede Francisci Iouanne, Argentonensi Parocho persolvendam esse, ex eo quod praedictus Franciscus, dum adhuc huius vitae usura fruebatur, huiusmodi summam *irrevocabiliter* promiserat, eamque post ipsius mortem scholae obventuram spoponderat. Quod ut evinceret in medium praeprimis protulit testimonium actualis Parochi monstroliensis, cuius depositionem in magno pretio habendam esse edisserit; ipse enim hac in re praecipuam partem habuit, notum cum sit, Franciscum Iouanne mentem suam ipsi prae ceteris pandidisse, novam domum ad usum scholarum aedificandam ipsi soli commisisse, ipsumque hac in re arbitrum constituisse, ceu liquet ex Francisci litera

diei 20 Decembris 1869. Porro Parochus monstroliensis ad rem requisitus, sub iuramenti religione die 7 Martii anni 1883 affirmavit agi in themate non de quacumque promissione, sed de promissione irrevocabili.

Nam, ait, si de contrario aliqua fuisset suspicio, suam haud impendissem operam in acquirendo fundo, et in extruenda domo pro schola, quae subsistere nequivisset cum dote iam recepta. Insuper cum Franciscus rescivisset quod neotorica lex sineret ut Ecclesiarum Fabricae excipere valerent domus pro scholis, voluit uti hac lege, ideoque iterum promisit daturum, post suam mortem, 10,000 libellas. Aliaque adduxit Parochus testimonia ut idem confirmaret.

Parochi monstroliensis depositioni concinit moderatrix Congregationis sororum, vulgo *de Notre Dame de Briouze,* quibus, ipso Parocho Argentonensi impellente, scholarum cura ab initio demandata fuerat, licet suscepto muneri nuncium deinceps miserint, quia obtinere haud valuerunt, ut illico tribueretur summa 10,000 libellarum, quam fundator post ipsius mortem scholae tradi proposuerat. Iam vero praedictae Congregationis moderatrix expressis verbis asserit, hanc ob causam misisse suas Religiosas ad moderandas scholas a Parocho Iouanne institutas, quia scilicet ipsa respiciebat promissionem tamquam irrevocabilem.

Concinit declaratio Consiliariorum Fabricae, qui iureiurando interposito, unanimiter asserunt, sese dono excepisse scholarum domum, quia eisdem innotuerat obligatio altera quoad 10,000 libellas solvendas post donatoris mortem. Concordat depositio Praesidis Municipii monstroliensis qui praemonuit, se consensum dedisse Fabricae monstroliensis consiliariis acceptandi donum a R̃mo Francisco Iouanne oblatum, postquam certior factus fuerat, donatorem sese obligasse alias donaturum 10,000 libellas. Tandem idipsum confirmavit Aloysius Quatrebarbes, filius Marchionis, cui Parochus Iouanne mutuam dederat pecuniam, quam, se mortuo, pio operi cedere debebat. Nec secus se exprimit Aloysia de Quatrebarbes, quae hac super re interrogata fuit sub die 10 Iunii 1883.

Digitized by Google

Verumtatem irrevocabilitatem promissionis, quae in quaestione versatur, nedum ex testium depositionibus, sed, quod magis est, ex ipsius Francisci Iouanne epistolis magis ac magis erumpere animadversum fuit. Sane in una ex primis hisce epistolis dum Franciscus Iouanne cum Parocho monstroliensi de silentio moderatricis Religiosarum vulgo *de Notre Dame* querebatur, quibus scholarum directio tribui debebat, relate ad praedictam 10,000 libellarum summam, haec addebat: promissio a me facta et testamentum meum rei securitatem secumferunt. In altera vero epistola praedictam summam in promptu esse eamque in loco tuto positam fuisse ipsum Parochum monstroliensem certiorem fecit.

In epistola vero diei 27 Augusti 1871 haec eidem Parocho monstroliensi scribebat: pro nunc dono 10,000 libellas; aequalem summam dabo ad meam mortem. Quae cum ita sint, orator animadvertit, nemo cordatus in dubium revocare valet obligationem, qua Franciscus Iouanne sese ligavit, irrevocabilem fuisse. Hinc haud mirum esse subdit si novus parochus monstroliensis ad domum aedificandam cum magna alacritate manus admovit, quod opus, admissa promissionis revocabilitate, nullo pacto aggressus fuisset, multoque minus Fabricae consiliarios ad donationem Francisci Iouanne acceptandam impulisset; eo quod eiusmodi donatio, ceu testatur ipse parochus monstroliensis, nedum inutilis verum etiam perniciosa tractu temporis evasisset.

Hisce de promissionis irrevocabilitate in facto praestitutis, nihil aequitati et iuri naturali magis conforme esse edisserit, quam ut verba et promissa serventur *arg. leg. 1. in prin. ff. de pactis* « ibi » *Quid enim tam congruum humanae fidei, quam ea servare, quae inter eos placuere.* Cum itaque Francisci bona, post huius mortem, ad Carolum in vim testamenti pervenerint, sponte fluere subdit, ipsum Carolum, ceu promissoris haeredem ad hanc obligationem servandam teneri. Neminem siquidem latet omnia tam activa, quam passiva iura in haeredem transferri, qui melioris con-

Digitized by Google

ditionis esse non debet, quam defunctus fuit; nec personae mutatione obligationum naturam immutari: *ad text. in leg. 2. ff. de Verb. Obligat. Constant. Vol. Decis. 269 n. 7 Rota Recent. decis. 46 num. 25 part. 5 tom. 1 decis. 413 part. 9 tom. 2* et alibi passim.

Post haec perdito sane consilio, Carolum opponere urget, Francisci promissionem nihili faciendam esse, ex eo quia ante mortem ipse consilium mutaverat. Indoles enim contractuum bilateralium huiusmodi esse contendit, ut nemo, altera parte non consentiente, constitutae obligationi renunciare valeat. Scatet id ex *leg. sicut 5 C. de obligat. et act.* « ibi » *sicut initio libera potestas unicuique est habendi vel non habendi contractus, ita renuntiare semel constitutae obligationi, adversario non consentiente, nemo potest. Quaproter intelligere debetis, voluntariae obligationi semel vos nexos ab hac, non consentiente altera parte, minime posse discedere.*

Idque eo magis tenendum esse edisserit, tum cum, ceu in casu, res integra amplius haud est et altera pars suae obligationi iam satisfecit, vel cum mutatio consilii in alterius partis praeiudicium verteret; ex Regula 75 *ff. de R. I.* « ibi » *nemo potest mutare suum consilium in alterius iniuriam.* Cui consonat Regula XXXIII *de Reg. Iur. in 6.* « ibi » *Mutare quis consilium non potest in alterius praeiudicium.* Porro quod res integra amplius haud sit quodque ab altera parte propriae obligationi satisfactum fuerit, evidenter demonstrat domus ad usum scholarum, pluribus ab hinc annis, ad exitum perducta diligentiâ et curâ novi Parochi monstroliensis, qui addit, ideo hoc opus aggressus est ac perfecit, quia probe noscebat praedictam summam a Francisco promissam, post eius mortem scholae monstroliensi obventuram esse. Quod autem consilii mutatio ex parte Francisci in scholarum praeiudicium vergeret extra dubium est, quia in defectu praecitatae 10,000 libellarum summae, fabricae consilium non habet aliunde quo scholarum manutentioni provideat. Quae res quanti mali causa foret, edu-

Digitized by Google

cationi praesertim religiosae, tot puerorum puellarumque paroeciae monstroliensis nemo est qui non videat.

In nullo pretio habendam esse arguit offensionem, ex testamento a Carolo depromptam, ut ab hac obligatione adimplenda sese liberet. Quandoquidem admissa quidem testamenti validitate, in propatulo esse asserit testatoris voluntati tantam efficaciam haud inesse, ut obligationem quae induit naturam donationis irrevocabilis inter vivos, destruere valeat. Verumtatem obiectum testamentum inter fabellas amandandum esse subdit, cum ex plurium testium depositionibus, omni exceptione maiorum, liqueat Franciscum a die, quo lethali morbo correptus fuit usque ad obitus diem, mentem suam verbis exprimere haud valuisse. Idque, praeter alios fide dignos testes, ipsi tres medici qui Franciscum Iouanne infirmum curarunt, unanimiter iurati deposuerunt.

Arguit praeterea Carolum inutili nisu insinuare nullam adesse relationem inter debitum marchionis de Quatrebarbes vel eius haeredum, et rem scholae *Montreuil;* cum ex superius relatis manifestum fiat Franciscum statuisse ut non alia pecunia favore scholarum *Montreuil*, se mortuo, erogaretur, quam summa 10,000 libellarum, quas marchioni de Quatrebarbes mutuas dederat.

Tandem, pergit orator, Caroli causa haud melior evadit ex eo quod, ut ipse asserit, expensae, quas fecerat Franciscus dum adhuc in vivis erat, fere attingunt viginti millium libellarum summam pro scholarum erectione a Francisco promissam. Orator siquidem hanc offensionem evertere studuit animadvertens, praeprimis Francisci mentem fuisse erogandi pro scholis *Montreuil* aliam pecuniae vim praeter pluries memoratam 20,000 libellarum summam, quarum medietatem in manibus marchionis de Quatrebarbes posuerat. Idque, ceteris praetermissis, dubio procul erumpere ait ex Francisci epistola die 27 Augusti 1871 ad Parochum monstroliensem scripta.

Perpendit insuper non omnes sumptus pro solo acquirendo, pro domo ad usum scholarum accomodanda atque in-

Digitized by Google

struenda solâ Francisci pecuniâ factos fuisse: sed ipsum quoque Parochum monstroliensem haud modicum pecuniae pondus tam suum, quam inter suos parochianos collectum ad opus perficiendum erogasse.

Cum itaque ex hactenus tum in facto, tum in iure expositis manifestum appareat promissionem 10,000 libellarum, quae post Francisci Iouanne obitum scholae monstroliensi obventurae erant, irrevocabilem fuisse, cumque illae offensiones, quibus hanc irrevocabilitatem denegare Carolus nisus est, eversae fuerint, orator conclusit praedictam 10,000 libellarum summam a Carolo utpote Francisci Iouanne haerede memoratae paroeciae monstroliensis scholae persolvendam esse.

Quae contra scholas stare videntur. Ex alia vero parte Carolus Iouanne totus in eo fuit ut probaret se nullo pacto teneri ad solutionem praedictae summae 10,000 libellarum. Sane quaecumque antea fuerit defuncti fratris Francisci intentio vel voluntas, certo certius irrita declarata est a solemni testamento diei 27 Aprilis 1878 ab ipso testatore publico tabellioni dictato. In hoc enim Carolus frater instituitur haeres universalis, et omne testamentum antea peractum revocatur. Explorati enim iuris est posterius testamentum cum clausula generali, non obstantibus quibuscumque aliis testamentis, omnes alias dispositiones irritare; *L. Si quis in princ. de testam.* et ibi Bart. et DD. *de leg. 3* Card. *in Clem. 4, in 3 qu. de sepult.* et latissime Barbat. *in Cap. Cum esses col. 37 de test.*

Nec Comitem iuvare potest exceptio nullitatis testamenti, eo quia, ut ipse asserit, testator tempore confectionis testamenti sanae mentis non fuerit. Quandoquidem id falsum esse deprehenditur ex ipsa attestatione publici tabellionis asserentis, in ipso testamento, quod licet Franciscus corpore aegrotaret, tamen mentis sanus erat.

Porro attestationi Notarii, ob eius fidem, a lege atque a testatore probatam, regulariter est deferendum ; Bald. *in L. Senium n. 27 C. de transact.;* Buratt. *dec. 211 n. 7*

Digitized by Google

et dec. 246 n. 3; De Luca *de test. disc. 39 n. 7.* Nec mirum esse debet quod Franciscus tempore conditi testamenti sanae mentis fuerit, cum iam vertente mense Martio, sub cuius initio morbo correptus fuit, potuerit, licet iaceret in lecto paralyticus, s. Eucharistiam sumere, et mox recuperatis paullatim viribus, valuerit etiam ad Ecclesiam pergere et a die 11 Maii, pluries per hebdomadam ad sacram Synaxim accedere cum magna fidelium aedificatione; quorum nonnulli, a Carolo adducti, deponunt ulterius Franciscum sanae mentis tunc fuisse, peragrare etiam solebat pagum et incolas invisere. Haec vero peragi non posse ait nisi ab illis qui plenitudinem habent mentalium facultatum.

Nec aliquid in contrarium probare potest attestatio medicorum ex adversa parte adducta. Quadoquidem Carolus observavit: ex hoc quod medici testentur, Franciscum sui non esse compotem, ineunte Martio, nullo modo concludere licet, eumdem non esse sanae mentis die 27 Aprilis 1878. Praeterea de valore singularum attestationum haec subiungit: tres medici vocati sunt ad curandum Franciscum aegrotantem: D. Bondu, D. Sauvé, et D. Ioussellin. – Ars Dñi Sauvé et Dñi Ioussellin adhibita est tantum per tres dies, ineunte morbo, scilicet diebus 7, 8 et 9 Martii 1878. Non ergo potuerunt testari de statu aegrotantis, nisi in his diebus; nam postea non viderunt Franciscum. Quoad D. Bondu, ars eius adhibita est quidem usque ad finem circiter Martii 1878. At vero eius attestatio tanquam omni suspicione carens haberi non potest. Imo et omnino recusandum esse eius testimonium propter amicitiam maxime singularem eius cum gente de Quatrebarbes.

Validum igitur cum sit praefatum testamentum numeris omnibus absolutum; prono alveo fluit Carolum post Francisci mortem, dominum evasisse omnium bonorum fratris, ita ut pro lubito de eisdem disponere possit.

Ast neque obligatio Caroli, solvendi summam 10,000 libellarum favore scholae, inferri potest ex aliqua antecedenti obligatione Francisci. Quandoquidem Carolus praeprimis ani-

Digitized by Google

madvertit nullam syngrapham, nullumque documentum in medium afferri ad obligationem sui antecessoris probandam. Carolo etiam opitulatur Episcopus aiens: nullam mihi iuridicam probationem attulit Comes, qua constet de Francisci mente post mortem donandi summam 10,000 libellarum.

Porro notissimum est in iure imponendam non esse obligationem, nisi de ea certo constet; *L. quidquid ff. de verb. oblig.* Neque regerere iuvat Franciscum noluisse mentionem facere de praedicta summa in publico instrumento donationis peractae die 12 Martii 1877, quia obstabant gallicae leges. Poterat enim Franciscus suae voluntatis vestigium relinquere in episcopali tabulario vel in aliqua privata syngrapha; prouti se facturum proposuerat in priori donatione favore Sororum de Briouze peragenda.

Ast in themate non solum nulla privata syngrapha adest ex qua constet de promissione vel donatione irrevocabili Francisci; sed neque Episcopus, cum quo pluries colloquutus fuerat, nec eiusdem Vicarius generalis Wicart, cuius consilio et cura confectum fuit publicum donationis instrumentum, huius obligationis Francisci notitiam unquam habuerunt. Non probata itaque obligatione testatoris, merito concludi posse videtur nec Carolum teneri ad solutionem praefatae summae 10,000 libellarum.

Post haec nullius prorsus momenti esse videntur documenta ex adversa parte allata ad adstruendam obligationem Francisci. Haec enim procul dubio referuntur ad tractationes, quae locum habuerunt in prima donatione, quae cum in irritum cesserit ob non acceptationem monialium, nullam parere potuit obligationem.

Cum igitur donatio Francisci a Sororibus acceptata non fuerit, nullam obligationem inducere poterat. Proinde documenta allata ex adversa parte, cum se referant ad hanc donationem vel promissionem ad summum probare valent Francisci animum donandi praefatam summam, non vero irrevocabilem promissionem vel donationem. Notissimum si-

Digitized by Google

quidem est in iure donationem non acceptatam, nec naturaliter, nec civiliter obligare, et donantem suam voluntatem mutare posse, De Angelis *in Praelect. Iuris Can. Lib. 3 t. 24 de donat. num. 1.* Ex mera enim et simplici pollicitatione nulla oritur promittentis obligatio nec actio contra ipsum exerceri valet; Covarruv. *in Cap. Quamvis part. 2. §. 4 num. 15;* Bartol *in Leg. unus. §. pactus. num. 16 ff. de verb. oblig. n. 7;* Lugo *de Futil. disp. 23 num. 35;* Rota *dec. 526 num. 3 cor. Cavaler et dec. 1 n. 2 cor. Ratto.*

Neque dicatur quod fabricae administratores an. 1877 ideo acceptarunt donationem Francisci quia putabant eius promissionem Sororibus factam fuisse irrevocabilem. Quandoquidem, hoc etiam admisso, nemo est qui ignorare potest promissionem quamlibet non eas praetergredi circumstantias, quae obtinebant eiusdem promissionis tempore, rebusque in eodem statu manentibus, quae si mutationem aliquam subeant, sponsionem ipsam ex novis superventis illico corruere, uti tradit Rota *in dec. 355 num. 7 cor. Riminaldo et in Romana nullitatis seu remissionis transactionis 14 Martii 1842 cor. De Retz §. Quod autem.*

Ceterum cum fabricae administratores ante acceptationem donationis de facili potuissent aliquod documentum, licet privatum, obtinere pro securitate promissionis Francisci, si revera eius intentio talis permanserit etiam cum donavit fabricae, sibi imputent si quod potuerunt et debuerunt non fecerunt: negligentia enim seu culpa sua sibi cuique imputari debet; *L. in condemnatione §. unicuique ff. de reg. iur.; Cap. mora sua lib. 6; L. subtracto C. de furt.; L. transactione finita C. de transact.* Fabricam autem habere sufficientes redditus tradit Carolus, qui ait: « fabricam loci *Montreuil* gaudere annuo redditu qui superat summam duarum millium et ducentarum libellarum.

At ulterius constat Franciscum promissionem 10,000 libellarum post suam mortem solvendarum, revocasse. Hoc enim probatur non solum ex silentio testamenti et ex re-

Digitized by Google

vocatione in eodem contenta omnium praecedentium dispositionum, verum etiam ex iis, quae Franciscus dixit in intimo quodam colloquio cum Carolo haerede sub die 24 Maii 1879 habito, in quo eidem suam mentem aperuit et plura commendavit.

Imo in hoc ipso intimo colloquio Franciscus summam illam 10,000 libellarum quam securitatis gratia marchioni de Quatrebarbes commodaverat, Carolo haeredi suo vindicavit et in alias causas impendendam esse voluit. Huius revocationis testatur etiam publicus scriba Richard, qui publicum donationis instrumentum confecit.

Demum concessa etiam, per absurdam hypothesim, irrevocabilitate illius prioris promissionis 20,000 libellarum, iam eidem satis superque satisfecisse Franciscum dicendum esse videtur. Nam expendit in causam piam dum viveret ultra 17,000 libellas; quae summa, aliam ex 10,000. promissam exsuperat.

Coronidis tandem loco animadvertere praestat summam marchioni de Quatrebarbes a Francisco commodatam, utpote nullam relationem habentem cum schola, Carolo deberi. At praeprimis observandum est, hanc summam non 10,000 verum 12,000 libellarum esse, quod probatur ex duabus authenticis syngraphis quibus commodata fuerat.

Ex hisce pariter ingenio suo quisque facile perspicit, nullam obligationem sibi imposuisse Franciscum in huiusmodi summa commodanda. Verum si aliunde adfuit, ex superius dictis, non solum implicite, sed etiam expresse revocatam esse constat. Carolus igitur non tantum repetere potest hanc summam, sed imo et debet, cum Franciscus eam ad alias causas destinaverit. Explorati enim iuris est pro lege habendam esse testatorum voluntatem, *L. Verbis 12 ff. de verb. signif. et Novel. 22 Cap. 2* et supremas hominum voluntates, praesertim pias, esse adamussim servandas, *L. 1. S. de SS. Eccles. Clem. Quia contigit 2 de relig. domib.*

Hisce pro utraque parte delibatis, propositum fuit diluendum

Digitized by Google

Dubium

An summa 10,000 libellarum sit tradenda scholae loci Montreuil in casu.

Resolutio. Sacra Concilii Congr. sub die 16 Februarii respondit: *Dilata:* sed, novis facti exhibitis documentis, tum ex parte Parochi monstroliensis, tum ex parte moderatricis Religiosarum loci *Briouze,* eadem s. Congregatio sub die 5 Aprilis 1884 censuit respondere: *Affirmative.*

Ex quibus colliges. I Nihil esse aequitati et iuri naturali magis congruum quam servare verba et promissa, seu quae inter partes placuerunt.

II. Indolem contractuum bilateralium eam esse ut nemini fas sit, altera parte non consentiente, constitutae renuntiare obligationi.

III. Idque eo fortius locum habere cum altera pars propriae obligationi iam satisfecerit; ex regula 75 ff. *nemo potest mutare suum consilium in alterius iniuriam.*

IV. Obligationem in themate contractam fuisse ab utraque parte videri; domumque pro scholis iam extructam innuere, rem haud amplius esse integram, et ab altera parte iam satisfactum fuisse propriae obligationi: mutationem vero consilii ex parte Francisci in scholarum praeiudicium apprime vergere.

V. Obligationem quae naturam induit donationis irrevocabilis inter vivos, neque per testamentum rite factum, a testatore sui compote destrui posse.

VI. Dubitari etiam posse in themate an testator compos sui fuerit cum testamentum condidit; quia lethali morbo correptus usque ad suae vitae exitum mentem suam verbis aperire amplius non valuisse videtur.



Digitized by Google

CASTRIMARIS

RESTITUTIONIS IN INTEGRUM ET IURIS PATRONATUS

Die 5 Aprilis 1884.

COMPENDIUM FACTI. In Ecclesia parochiali s. Luciae, loci vulgo *delle Franche* dioecesis Castrimaris, beneficium adnexam habens curam animarum, iam ab antiquissimo tempore, subiectum est iuri patronatus pervetustae et nobilissimae familiae d'Avitaia. Eapropter, licet hodie amplius non reperiatur titulus fundationis huius iuris patronatus, forsan deperditus ex vicissitudinibus, quibus obnoxia fuit Curia Litherensis, sub cuius iurisdictione praefatum pagum antea existebat; nihilominus plures insimul ex praedicta familia constat partem iugiter habuisse in singulis praesentationibus rectorum illius Ecclesiae.

Alia aderant etiam in eadem Ecclesia simplicia beneficia erecta in singulis altaribus ss. Cosmae et Damiani, s. Barbarae et SS. Trinitatis, quae tamen non eodem modo suberant iuri patronatus familiae d'Avitaia. Ad ius patronatus enim beneficiorum SS. Trinitatis et s. Barbarae aliae familiae partem habuerunt.

Post omnium bonorum ecclesiasticorum direptionem a Gubernio peractam, Francisca, Attilius et Aemilius d'Avitaia ad civile tribunal Neapolitanum recursum habuerunt, ut declararetur quibusnam et in quanam quantitate ius singulis competeret supra omnia beneficia patronatui familiae d'Avitaia subiecta, ut deinde ad bonorum vindicationem procedere possent. Die 21 Iunii 1871 sententia ab eodem tribunali lata fuit, qua decernebatur quid iuris cuique competeret.

Haec insuper sententia confirmata postea fuit ab Attilio d'Avitaia et Francisco Vitolo per privatam syngrapham die 9 Martii 1874 confectam.

Digitized by Google

Post haec patroni sibi vindicarunt pro data proportione bona beneficiorum, solum immuni remanente a tanta iactura beneficio curato s. Luciae.

Porro cum huiusmodi beneficium, mense Decembri 1878, vacaverit, patronus Attilius d'Avitaia ex linea masculina descendens et nunc e vivis sublatus, infra legitima tempora ad illud praesentavit actualem oeconomum Curatum Agnellum Vanacore. Ex alia vero parte, eodem ferme tempore, Franciscus Vitolo filius et haeres Franciscae d'Avitaia, Agathinus Previtera, Cleliae d'Avitaia in matrimonio iunctus, eorumque filius Alphonsus existimantes se ius habere praesentandi ad idem beneficium utpote a familia d'Avitaia ex linea foeminina descendentes vel saltem in vim praefatae conventionis, e converso praesentarunt Sac. Vincentium Vinaccia, sibique concedendam esse aiebant praelationem supra Attilium ob maioritatem vocum. Huic postulationi restiterunt Icilius et Albertus d'Avitaia defuncti Attilii filii, asserentes beneficium s. Luciae agnatitium esse.

Quaestio primum pertractata fuit in Curia Castrimaris, quae die 8 Iulii 1881 sequentem tulit sententiam: « definitiva nostra sententia declaramus et pronunciamus parochialem Ecclesiam s. Luciae Terrae Francorum fuisse et esse de patronatu Familiari et Agnatitio favore Familiae et Casati d'Avitaia exclusive, quoad alios cognatos vel haeredes proinde nullum ius in praedicta Ecclesia parochiali spectare ad dominos Franciscum Vitolo d'Avitaia et Agathinum Previtera eiusque filium Alphonsum. »

Cum tamen haec sententia victis non arrideret, ii appellationem statim proposuerunt apud metropolitanam Curiam surrentinam, quae, acceptata appellatione legitimoque instituto processu, Curiae Castrimaris sententiam confirmavit.

Ab hac quoque sententia apud S. C. Congregationem appellarunt Vitolo et Previtera, pro impetranda nova causae revisione, seu pro *restitutione in integrum;* quia ex duplici conformi sententia res iudicata orta est, et regula-

Digitized by Google

riter appellatio amplius locum habere non posset, nisi per viam restitutionis in integrum.

Disceptatio Synoptica.

Iura agnatorum. Favore sententiae Curiae surrentinae animadversum fuit denegandam esse in casu in integrum restitutionem. Principium enim iuris est, nunquam esse locum beneficio restitutionis in integrum, nisi evidenter constet de iniustitia rei iudicatae, vel de ipsius nullitate, ut monet *Text. in Cap. 1 de in int. Restit.; L. 4 §. Condemnatum ff. de reiudic. L. 17 ff. eod. tit. Legg. 1 et 2 ff. de Rest. in integr.* s. Rota ubique, et clarius statuitur in Codice Gregoriano die 10 Nov. 1834 promulgato, §. 1057 et 1058.

Porro de nullitate sententiae Surrentinae nulla fit quaestio nec fieri potest, cum processus iuxta praescripta canonum adamussim perfectus sit. De evidenti iniustitia pariter sententia redargui nequit, cum nullum argumentum ex adversa parte in medium proferatur, quo demonstrari queat aliquod documentum in illis adductis, falsitatis notâ laborasse; nullum etiam denuo affertur publicum vel privatum instrumentum ex quo constet causam faciem mutasse, novaque iura inducta esse; nulla demum lex spreta vel violata fuit. Concludendum est igitur nullam causam in themate subesse ex qua concedi debeat restitutio in integrum.

Atque hic meminisse iuvabit maximam esse differentiam, quae intercedit inter restitutionem in integrum petitam adversus rem iudicatam resultantem solum a non interposita infra legitimum tempus appellatione, et illam petitam adversus rem iudicatam per conformes sententias; prima enim recognita est a iure ab eodemque admissa, altera vero non recognita et a iure prohibita. Quapropter in hoc altero casu magis caute procedendum est, et difficilius conceditur restitutio in integrum, ita ut, ceu tradit De Luca *de Iudiciis disc.* 38 *n.* 19 - ibi - « quando nihil deducatur de

Digitized by Google

novo atque constet quod ea, ex quibus iniustitia desumitur, fuerint iam deducta, et discussa, quamvis talia essent, ut causam ita dubiam reddant, quod forte si res esset integra probabilius pro ista potius, quam pro altera parte iudicandum esset, non tamen id sufficiens reputari debet pro huiusmodi concessione restitutionis in integrum. » [Deneganda igitur prorsus videtur restitutio in integrum in themate, atque id eo vel magis quia agitur de re iudicata proveniente ex duplici conformi sententia, ceu ius statuit, quo Romae utimur, Devoti *Instit. Can. lib. 3 tit. 15 de Appell. in nota 5 ad n. 7.*

Verum dato etiam et non concesso quod in casu concedi velit petita restitutio in integrum, nihilominus extra dubitationis aleam positum esse videtur sententiam Curiae surrentinae confirmandam esse, cum nihil desiderari ulterius possit pro adstruenda qualitate agnatitia iuris patronatus de quo agitur. Sane non solum praesumptio sed et clarissima indicia huius qualitatis habentur.

Recolendum siquidem in primis est hic agi de iure patronatus nobilissimae et pervetustae familiae, quod proinde directum censetur ad conservandam memoriam familiae et agnationis, ad tradita per Lotter. *de re benef. lib. 2 q. 11 n. 150;* Piton. *de Contr. Patron. Alleg. 100 n. 199;* Rota *dec. 126 n. 7 part. 1 recent.* Et ad rem ita perbelle loquitur De Luca *de iurepatr. disc. 23* - ibi - « Proclivior autem esse consuevi pro qualitate familiari, motus a communi usu saltem Italiae, quod cum praesertim in privatis familiis iuris patronatus fundationes fieri soleant, nedum ad pietatem, sed etiam (et forte magis) ad ambitionem, ac honorificentiam, ut ita fundatoris memoria conservetur, atque facilius nobilitatis iustificatio post longa tempora fieri valeat, seu familiae identitas, vel descendentia probari, ut frequens experientia docet. Hinc proinde probabilius videtur in animo fundatoris potius fuisse istam qualitatem familiarem, quam haereditariam, per quam ad breve tempus memoria fundatoris diluitur, atque hoc ius

Digitized by Google

honorificum decoris conservativum ad extraneas manus transitum facit contra omnem verisimilitudinem. » Ita etiam loquitur in *disc. 25 n. 4* et clarius in *disc. 24 n. 14.* Licet igitur in genere ex defectu tituli fundationis iuspatronatus existimari debeat haereditarium, tamen in casu praesumptio stare videtur pro qualitate agnatitia.

Attamen in themate non solum haec levis et praesumptiva probatio agnationis habetur, quae iam per se sufficeret ad excludendam illam simplicem iuris praesumptionem qualitatis haereditariae iurispatronatus, ad tradita per De Luca *de iurep. disc. 23 n. 13*; Piton. *Discept. 53 num. 14*, Rota *in Florentina de Ricasolis cor. Lancellott. et apud Burett. dec. 183 et dec. 166 part. 6 rec.* verum etiam adsunt clarissima indicia, quae iuspatronatum agnatitium esse indubitanter probare videntur.

Praeprimis enim, ceu constat ex Bullis institutionum ad acta relatis, nedum a notabili, sed a longissimo temporis spatio, idest iam ab anno 1504, ad parochiale beneficium s. Luciae constanter et exclusive praesentarunt personae de nobili familia d'Avitaia, cum declaratione quod etiam ante et ab immemorabili semper illi de eadem familia ius praesentandi Parochum exercuerint ac patroni extiterint, quin unquam stirpium, aut portionum haereditariarum, aut proximioritatis mentio et distinctio facta fuerit, nec minus proinde persona extranea vel per cognationem coniuncta admissa fuerit, vel saltem in sui iuris legitimitate recognita. Iamvero hanc immemorialem observantiam indicium certum esse agnationis in iure patronatus, notissimum est in iure. Audiatur sane Reiffenstuel *in lib. 3 Decr. tit. 38 n. 48* – ibi – « Praesumatur gentilitium (iuspatronatus) si » in eius provisionibus semper fuit habita mentio familiae » ac descendentiae, et nunquam haereditariae qualitatis, vel » quando per centum annos nullus extraneus praesentaverit »; et concordat Rota *in cit. Florentina de Ricasolis,* Buratt. *dec. 173 n. 22, dec. 183 n.17 et seqq.* Royas *dec. 446 n. 8,* Cels. *dec. 106 n. 7 et 8, dec. 166 n. 14 part. 6 rec.*

Digitized by Google

Praeterea in omnibus et singulis Bullis institutionis in beneficio s. Luciae, patroni praesentantes iugiter vocantur de *familia et domo vel Casato* d'Avitaia.

Id etiam confirmatur tum ex antiquis et probatis historicis rerum illius oppidi, ex publicis instrumentis, ex Curiae decretis, litterisque edictorialibus, ex testium depositionibus iuramento firmatis, tum praesertim ex Ordinariorum visitationibus. Nec ulterius desunt plures Curiae Litherensis sententiae, in actis relatae, declarantes patronos de *familia* praesentantes manutenendos esse in possessione iuris praesentandi Parochum s. Luciae.

Porro haec omnia dum ex una parte excludunt qualitatem haereditariam iurispatronatus, ex alia illum esse agnatitium certissime indigitare ac declarare videntur. Ait enim Pitonius *de Contr. Patr. Alleg. 77 num. 11.* « Nomen *fa-*
» *miliae,* idem importat, ac agnatio ut in puncto iuris pa-
» tronatus Italiae tenet Card. De Luca *de iurepatr. disc. 26*
» *num. 6* - ibi - *Verbum familia stante communi usu*
» *Italiae* etc.... *etiam in hac materia iurispatronatus, vel*
» *beneficii, in sensu restrictioris ad agnationem accipi so-*
« *let.* » et confirmat Rota *part. 4 tom. 1 dec. 287 n. 12; part. 12 dec. 204 num. 5* etc., nec non S. C. C. nominatim in *Firmana Iurispatr. 29 Martii 1862* et in alia *Iurispatronatus die 22 Augusti et 22 Septembris 1866.*

Atque hoc eo vel magis, quia vocabulo *familiae* in casu expressa cognominis specificatio accedit. Sane idem Pitonius *in Alleg. 100 num. 93,* haec tradit; « Facilius et sine
» ulla difficultate, quando ultra nomen familiae concurrit
» illud adiectum cognominis... hoc enim casu solos Agnatos
» comprehendi exclusive ad Cognatos, firmat idem Card.
» De Luca *de iure patr. disc. 26 n. 8 vers. secundo,* ubi
» in fine subiungit quod stante huiusmodi adiecto, nulla ca-
» dere videtur difficultas, ut soli Agnati comprehendantur
» Card. Ant. de Luc. *ad Grat. discept. 258 n. 17 vers.*
» *certius et in Bononien. Fideicommissi de Mazzolis*
» *22 Iunii 1699* §. *Non etiam cor. Ansaldo, et in Ari-*

Digitized by Google

» *minen. Iurispatr. 9 Martii 1703* §. *Quo vero cor. Muto.* »

Adest insuper in themate pluries, uti videre est in tabula synoptica, quae in actis prostat, patres una cum filiis praesentavisse ad praefatum beneficium s. Luciae, quod fieri haud potuisset si iuspatronatus haereditarium esset, cuius rei rationem dat Gagliardi *de iurepatr. Cap. 10 num. 15* aiens: « viventis patris haeres haudquaquam esse filius potest: » et filii proprio nomine praesentare praesumuntur, nisi contrarium probetur. Unde Card. De Lüca *de Iurepatr. in disc. 60 n. 14* optime observat quod « Inter adminicula, » gentilitiam seu familiarem qualitatem suadentia, satis ef- » ficax reputari solet illud admissionis contemporaneae ad » praesentandum, patris et filiorum, sive proximorum et re- » motiorum, non servato ordine successionis, iuxta dictas » decisiones in *Florentina de Ricasolis, Buratt. dec. 166* » *p. 614 apud Royas dict. dec. 446 et dec. 162 part. 11* » *recent.* »

Ulterius omnes praesentationes factae fuerunt a compatronis de Avitaia nomine proprio, et a singulis ut singuli, seu omnes praesentarunt in capita uti descendentes iure sanguinis; quod pariter locum habere non potuisset in patronatu haereditario, in quo praesentationes fieri tantum debent in stirpes, ut expresse statuitur *in Clem. Plures 2 de Iurepatron.* et tradit Pitonius *in Alleg. 10 n. 7;* Rota *part. 4 tom. 1 dec. 77 n. 1 part. 7 dec. 275 n. 3* etc.; quod quidem adminiculum in casu irrefragabile constituit argumentum familiaritatis, ceu tenet Rota *in dec. 220 n. 12 part. 11* Pirol. *dec. 159 n. 1 et seqq.* cum aliis *in Comen. Cappellaniae 31 Martii 1702* §. *Exordiendo cor. Tremoille.* Cum igitur haec praesentandi ratio in beneficio s. Luciae ab initio usque ad nostra tempora perseveraverit, prouti sufficienter eruitur ex innumeris documentis ad acta relatis, pronum erit concludere ius patronatus, de quo in themate agitur, agnatitium esse, et per consequens ius praesentandi ad solos Agnatos de familia d'Avitaia pertinere ad exclusionem Cognatorum.

Digitized by Google

Ast parumper supposito, per absurdam hypothesim, quod adhuc dubium aliquod remaneat circa naturam huius iuris patronatus, diluendum profecto est ex ultimo statu. Et re sane vera, licet in ultima collatione praedicti beneficii favore Sac. Balestrieri facta, nulla praesentatio intercesserit, ob elapsum utile tempus ad praesentandum; nihilo minus ex documentis allatis constat saltem ab anno 1819 in pluribus vacationibus beneficii, semper ius praesentandi exercuisse solos Agnatos de familia d'Avitaia, absque ulla feminarum vel Cognatorum admixtione.

Iamvero quanti valoris sit ultimus status quando agitur de qualitate iurispatronatus, nemo est qui non videat. Huius rei testis est Pitonius *de Contr. Patron. Alleg. 100 n. 155,* ubi de eodem fere casu loquitur asserens - ibi - « Habui » casum in *Casertana beneficii 27 Martii 1715 cor. Scotto* » *et 15 Iunii 1716 cor. Althan.* confirmata *13 Maii 1718* » *cor. Herrera;* ubi quamvis praesumptio esset pro qualitate » haereditaria iuxta Clement. *Plures de Iurepatr.* attamen » ego reperto ultimo statu, in quo praesentaverant plures » feminae, omnes de familia de Morronis cum expressione, » quod ipsis spectaret ius patronatus tanquam de familia, » eius vigore obtinui institutionem favore praesentati ex » duabus feminis superstitibus familiae, quae praesentave- » rant in ultimo statu, reiecta praesentatione haeredum, ac » descendentium aliarum feminarum. »

Nec ad ultimum statum habendum requiritur quod plures praesentationes per tempus immemoriale suum effectum sortitae fuerint: nam Doctores, quando agitur de Ecclesia iam iuripatronatus subiecta et proinde praescribatur tantum contra patronos, communiter docent sufficere unicum actum praesentationis cum tempore debito, Barbosa *ad Conc. Trid. Sess. 25 Cap. 9 de Reform. num. 22;* Ferraris *v. Iuspatronatus art. 1 num. 41;* Reiffenstuel *Lib. 3 Decret. tit. 38 num. 16.* Haec igitur omnia cum in themate adesse videantur, concludendum profecto est ius patronatus agnatitium esse.

Digitized by Google

Ast, ut superius notatum est, hoc argumentum subsidiarium tantum dici debet, quia etiam ex praecedentibus antiquissimis praesentationibus satis aperte eruitur natura talis iurispatronatus. Siquidem nullius valoris esse videntur difficultates ex adversa parte desumptae ex eo quod aliquando feminae et extranei locum habuerint in praesentationibus. Posito enim quod saepissime soli Agnati praesentaverint et quod in aliis etiam praesentationibus maximam partem iugiter habuerint, nihil mirum esse debet si in nonnullis nominationibus in tam longo saeculorum spatio, et in tam repetitis vicibus, etiam alii qui ceteroquin ius non haberent, ex quadam tolerantia vel etiam ex abusu admissi fuerint.

Verum ut pressius res diluatur quoad feminas, recolendum est ipsas quoque a iure admitti in iure patronatus familiari, dummodo de agnatione sint et immediate ex masculis descendant. « Ad rem enim ait Pitonius in *discept. 14* » *num. 14:* Nulla est difficultas in iure, aut praxi quod » in iure patronatus familiari succedant tam masculi quam » feminae, quae semper donec vivunt sunt de vera agna- » tione, et domo, licet nupserint in alienam familiam... et » est certa conclusio firmata apud Rotam *decis. 502 n. 10* » *part. 18 rec. etc*..... et in *Balneoregien. Beneficii 21 Ia-* » *nuari 1707* §. *Quatenus coram Rñdo Patre Dom. Kau-* » *nitz,* ubi me citato firmat etiam in iure patronatus agna- » tas feminas contineri »; Riccius *Praxis* etc. *Num. 160 n. 5;* De Luca *de iure patron. disc. 28.* Iamvero in casu feminas, quae tamen nunquam solae nominarunt, ex familia d'Avitaia fuisse constat non solum ex adiecto cognomine, verum etiam ex clausula in singulis Bullis apposita, quae circumcirciter semper ita sonat: « *omnes supradictos Dominos de familia d'Avitaia* etc. »

Neque obici posse videtur mentio haereditaria, quae tantum in Bulla anni 1639 et in alia 1707 obiter occurrit, ubi praesentantes vocantur simul filii et haeredes. Siquidem cum certa videatur in themate natura agnatitia iuris pa-

Digitized by Google

tronatus, mentio haereditaria non est taxative intelligenda de haeredibus bonorum, sed de haeredibus sanguinis, ad tradita per De Luca *de Iure patr. disc. 60 num. 13* – ibi – « Aliquando contigit, quod praesentantes se enunciaverunt » etiam haeredes, et tamen si alia urgent adminicula pro » gentilitia vel familiari qualitate, id neglectum fuit, quasi » quod haereditaria qualitas concurrens etiam in agnato vel » gentili demonstrative enunciata sit, ut in specie apud » Celsum *decis. 106* » et ita etiam sensit S. C. C. in causa *Iuris patronatus diei 21 Martii, 29 Augusti 1868, et 26 Iunii 1869*.

Post haec corruat pariter necesse est argumentum ab adversa parte adductum pro adstruendo patronatu mixto. Hoc enim fieri solummodo potest, ceu tradit Pitonius in *discept.* 14 *num.* 16 « fluctuantibus hinc inde coniecturis, » tam pro qualitate haereditaria, quam pro gentilitia », non vero quando clarissima adsunt indicia agnationis penitus excludentia qualitatem haereditariam uti in casu.

Probata igitur natura agnatitia iuris patronatus de quo agitur, sequitur ad solos agnatos de Avitaia pertinere ius praesentandi ad beneficium curatum s. Luciae, ideoque validam esse praesentationem ab Attilio d'Avitaia factam favore sacerdotis Agnelli Vanacore, et uno verbo sententiam Curiae Surrentinae esse prorsus confirmandam.

Adversae vero partis Patronus, licet admonitus, nihil exhibuit. Hinc proposita fuere diluenda

Dubia

I. *An constet de causis restitutionis in integrum in casu.*

Et quatenus affirmative

II. *An sententia Curiae Archiepiscopalis surrentinae confirmanda vel infirmanda sit in casu.*

Resolutio. Sacra C. Cong. re discussa, sub die 5 Aprilis 1884 respondere censuit:

Digitized by Google

Ad primum Negative.

Ad secundum Provisum in primo.

Ex quibus colliges. I. Beneficio restitutionis in integrum locum non esse, nisi recurrens patenter ostendat rei iudicatae iniustitiam ; quod fieri potest vel ostendendo falsis innixam fuisse documentis sententiam, aut nova et decisiva inventa fuisse documenta, vel legem aliquam posthabitam, violatam fuisse.

II. In themate nihil ex hisce omnibus demonstratum fuisse; et ideo sententiam rite prolatam fuisse, retinendum esse.

S. IACOBI DE CUBA

DISTRIBUTIONUM

Die 8 Martii 1884.

Compendium facti. In oppido vulgo *Villa del Cobre* dioecesis s. Iacobi de Cuba extat quoddam perinsigne Sanctuarium sub invocatione B. Mariae V. vulgo *de la Caridad*, eleemosynis fidelium extructum, et quatuor leucas seu duodecim millia passuum a civitate distans. Super huiusmodi Sanctuarium iam ab antiquissimo tempore Capitulum Cathedralis s. Iacobi iuspatronatum exercet: nominando videlicet Rectorem a quo exigit etiam rationem eleemosynarum, inibi collectarum, curando sumptus pro fabrica, invigilando peregrinorum hospitium, Sanctuario adnexum, cultum B. Mariae V., nec non determinando et ordinando numerum, et formam solemnitatum, quae inibi celebrantur.

Ab immemorabili etiam factum est, ut qui Capituli nomine hisce festis assistunt, ibidem sacrum peragentes, vel sermocinantes, vel in tanta peregrinorum concurrentium multitudine ordinem servantes, tanquam privilegiati habeherentur ad effectum lucrandi quotidianas distributiones. Insuper Canonici accedentes ad praefatum Sanctuarium ius ha-

Digitized by Google

bent commorandi in ipsa domo hospitali in qua et aluntur eleemosynis Sanctuarii, emolumenta pro functionibus, quas peragunt, percipiunt, imo et sumptus obtinent pro accessu et recessu.

Anno vero 1877, noviter Statutis Capitularibus confectis, praecipiebatur, ut qui ex Canonicis vellent interesse festis, quae bis in anno in praefato Sanctuario celebrantur, amitterent tempore absentiae quotidianas distributiones. Hisce tamen non obstantibus, cum Capitulum, occasione reparationis fabricae Sanctuarii duos Canonicos deputaret ut illuc pergerent et opera invigilarent, ii tempore talis absentiae omnes quotidianas distributiones suas fecerunt.

Cum igitur Archiepiscopus ex una parte animadverteret hanc agendi rationem minus iuri quadrare et ex alia vero Canonicos amplius ad Sanctuarium non accedere ad fovendum cultum B. M. V., si punctaturis subiicerentur, rem omnem ad S. C. C. detulit enixe petens:

« I. Ut declarare dignetur an Canonici huius s. Basilicae Metropolitanae lucrentur distributiones quotidianas, quandocumque pergunt ad Sanctuarium B. M. V. ad exercendum ibi iuspatronatus, sive sacra peragendo, sive opera fabricae dirigendo et invisendo, sive eleemosynarum rationem a Cappellano exigendo; vel ad vacandum exercitiis spiritualibus. »

« II. Ut in casu negativo, facultatem benigne conferat ad hoc, ut unus deputatus a Capitulo, qui praevia licentia Ordinarii, pergat ad Sanctuarium pro dirigendo et inspiciendo aliquo opere necessario, lucretur distributiones chorales illis tantum diebus, qui necessarii sint ad dictum opus; et in festis solemnioribus mensis Septembris duo Capitulares possint lucrari distributiones, dummodo in cultu B.M.V. vel alio opere in favorem Sanctuari sint occupati. »

Disceptatio Synoptica

Quae petitioni episcopi favent. Ex una parte notandum occurrit notissimum esse in iure, Canonicos absentes

Digitized by Google

ob utilitatem Ecclesiae tanquam praesentes haberi in choro, et lucrare quascumque distributiones, *Cap. unic. Consuetudinem de Cler. non resid. in 6,* quod confirmatum fuit a Conc. Trid. *In Cap. 12 Sess. 21 de Reform.* Inter hos autem primum a DD. annumerantur Canonici illi, qui Capituli vel Ecclesiae negotia pertractaturi propter horum utilitatem chorum dimittunt, ita prae ceteris Fagnanus in *Cap. Licet de Praeb. 32 num. 167* haec habet. « Infertur » tertio, ut pro praesente habeatur Canonicus absens pro » negotiis Capituli, unde in casu contingenti censuit S. C. » Canonicum, quo tempore pro negotiis Capituli abfuit, non » debuisse onerari, ut substitutum interim aleret et Capitu- » lum esse cogendum, ut dicti temporis distributiones ac » stipendia Capellani illi restituat, » cui concinunt Bonac. *de Hor. can. disp. 2 quaest. 3 pun. 3 num. 15;* Antonell. *de Iurib. Unic. lib. 2 part. 7 Cap. ult. n. 157.* Et pluries etiam docuit S. C. C. in *Panormitana anni 1588* « *Censuit deberi Oratori distributiones quotidianas pro* » *negotiis Capituli* »; et in *Tranen. Distrib. 20 Dec. 1862* ad dubium 10: *An et quomodo lucrentur distributiones Canonici absentes a choro rerum Capitularium vel mensae Episcopali administrationi vacantes in casu,* respondit: *Quoad Canonicum administratorem rerum Capitularium, affirmative pro diebus et horis, quibus reapse incumbat in administrationem; in reliquis negative.*

Porro cum Canonici deputati a Capitulo s. Iacobi in casu ad tuenda et exercenda iura patronatus ob negotia Capituli abesse videantur, concludendum est eos nullo modo punctaturis obnoxios esse debere; idque eo fortius quia iisdem assistit immemorialis consuetudo. Quamvis enim regulariter Capitulum non habeat facultatem concedendi, etiam ad breve tempus licentiam abessendi pro causa, licet iusta et rationabili, nisi causa sit expressa in corpore iuris, Garcias *de Benefic. part. 4 cap. 2 n. 402 et seqq. et n. 420 et 421,* tamen tolerandam esse consuetudinem, utpote multum rationabilem admittendi ad lucrum distributionum Canonicos,

Digitized by Google

occupatos iussu Capituli pro revidendis computis, et rationibus reddituum, et expensarum Massae capitularis, sive Fabricae Ecclesiae docent Monet. *de distribut. part. 2 quaest. 11 n. 46;* Ventriglia *adnot. 19* §. *3 n. 15;* Scarphant. ad Ceccop. *part. 1 lib. 2 tit. 12 n. 15.*

Neque regerere iuvat in themate agi de Canonicis occupatis in utilitatem Sanctuarii, non vero Ecclesiae de cuius distributionibus quaeritur. Quandoquidem licet per tales Canonicos proxime et immediate consulatur bono et utilitati Sanctuarii, remote saltem et mediate utilitati prius Capituli occurritur, cuius maxime interest sua iura sarta tectaque habere, et invigilare ne ex iactura Sanctuarii eidem damnum aliquod obveniat. Patronus enim, deficientibus redditibus Ecclesiae patronatae, tenetur eiusdem onera sustinere eamque restaurare et a fundamentis etiam reaedificare si occurrat; Pitonius *de Contr. Patron. alleg. 12 n. 4, 5* cum aliis ab eodem citatis. Concludendum igitur utilitatem Sanctuarii in casu refundi in utilitatem Ecclesiae Cathedralis s. Iacobi de Cuba, eiusdemque Capituli.

Ceterum si non ex iure, ex gratia saltem Canonico deputato a Capitulo concedenda videtur facultas lucrandi quotidianas distributiones, quoties ratione talium munerum, praevia licentia Ordinarii, absit. Siquidem S. C. C. tale indultum concedere consuevit innixa dispositioni iuris in *Cap. unico de Cler. non resid. in 6,* et sanctioni Trid. Synodi *Sess. 24 cap. 12 de Reform.* ceu patet ex *Alben. 16 Sept. 1826; Mazzarien. 14 Maii 1825; Signina 20 Martii 1824;* praesertim vero quando constat de utilitatis vel necessitatis causa, quae iudicio Ordinarii relinqui solet, prouti constanter docuit S. C. C. et praecipue in *Segobien. anni 1539.* Profecto adesse in themate evidentem Ecclesiae utilitatem imo et necessitatem testatur Archiepiscopus, aiens: valde necessarium esse ut s. Sedes faveat rogatis, et sic ordinate exerceatur a Capitulo iuspatronatus, vitentur abusus, crescat cultus et devotio erga B. V. Mariam in percelebri imagine, quae initio seculi XVII in ma-

Digitized by Google

ris recessu, vulgo *Balsia de Nipe* tribus huius insulae incolis apparuisse fertur. Haec omnia, addit praelaudatus Archiepiscopus, non possent effici, nisi Capitulares deputati considerarentur vel reputarentur privilegiati ad effectum lucrandi distributiones quotidianas; nam in casu, quo eiusmodi deputationes declararentur tanquam onera Capitularia, talis declaratio vergeret in gravamen Capitularium, qui non solum amitterent tertiam partem fructuum suarum praebendarum, quae pars hodie destinatur ad distributiones quotidianas, sed praeterea amitterent commoditates domus suae, quod pro maiore parte Capituli converteret privilegium in onus nimis molestum, quia non reputarent sibi dari pro istis iacturis sufficientem compensationem in eleemosynis Missarum, vel concionum, quas ibi obtinerent.

Quae adversantur petitioni Episcopi. Ex altera vero parte animadvertere praestat, quod licet distributiones quotidianae debeantur Canonicis, qui absunt ob Ecclesiae utilitatem, tamen teste ipsomet Fagnano *in cit. cap. Licet de Praeb. num. 160,* « haec conclusio intelligenda est procedere, dummodo absentia contingat ob utilitatem Ecclesiae in specie, de cuius distributionibus quaeritur. Secus si absentia contingat ob utilitatem alterius Ecclesiae particularis vel Ecclesiae generalis, et chorum agunt Ioan. Andr. *in cap. 1 de Cler. non resid.*, Anarch. *in Rub. eod. tit. num. 4 lib. 6,* Scarfant. *ad Ceccop. tom. 1 lib. 2 tit. 9 n, 44.* Cum itaque in themate Canonici absint praecise ob utilitatem Sanctuarii, a Cathedrali seiuncti, merito eisdem deneganda videtur perceptio distributionum.

Ceterum sciendum est, Canonicos, qui absunt a choro ut vacent muneri excipiendi confessiones vel concionandi in utilitatem ipsius Ecclesiae in qua beneficium obtinent, ex constanti praxi S. Concilii Congregationis privari quotidianis distributionibus. Quandoquidem S. C. C. die 14 Martii 1620 respondit: *Canonicos, dum horae canonicae recitantur, non posse a choro abscedere ad confessiones audiendas aut missas celebrandas devotionis causa, ac, qui disces-*

Digitized by Google

bent commorandi in ipsa domo hospitali in qua et aluntur eleemosynis Sanctuarii, emolumenta pro functionibus, quas peragunt, percipiunt, imo et sumptus obtinent pro accessu et recessu.

Anno vero 1877, noviter Statutis Capitularibus confectis, praecipiebatur, ut qui ex Canonicis vellent interesse festis, quae bis in anno in praefato Sanctuario celebrantur, amitterent tempore absentiae quotidianas distributiones. Hisce tamen non obstantibus, cum Capitulum, occasione reparationis fabricae Sanctuarii duos Canonicos deputaret ut illuc pergerent et opera invigilarent, ii tempore talis absentiae omnes quotidianas distributiones suas fecerunt.

Cum igitur Archiepiscopus ex una parte animadverteret hanc agendi rationem minus iuri quadrare et ex alia vero Canonicos amplius ad Sanctuarium non accedere ad fovendum cultum B. M. V., si punctaturis subiicerentur, rem omnem ad S. C. C. detulit enixe petens:

« I. Ut declarare dignetur an Canonici huius s. Basilicae Metropolitanae lucrentur distributiones quotidianas, quandocumque pergunt ad Sanctuarium B. M. V. ad exercendum ibi iuspatronatus, sive sacra peragendo, sive opera fabricae dirigendo et invisendo, sive eleemosynarum rationem a Cappellano exigendo; vel ad vacandum exercitiis spiritualibus. »

« II. Ut in casu negativo, facultatem benigne conferat ad hoc, ut unus deputatus a Capitulo, qui praevia licentia Ordinarii, pergat ad Sanctuarium pro dirigendo et inspiciendo aliquo opere necessario, lucretur distributiones chorales illis tantum diebus, qui necessarii sint ad [illegible] opus; et in festis solemnioribus mensis Septembris [illegible] Capitulares possint lucrari distributiones, du[illegible] B.M.V. vel alio opere in favorem Sanctua[illegible]. »

Disceptatio S[illegible]

Quae p[illegible]ioni episcopi [illegible]arte notandum occur[illegible]otissimum e[illegible]cos absentes

Digitized by Google

ob utilitatem Ecclesiae tanquam [illegible]
et lucrare quascumque distributiones [illegible]
tudinem de Cler. non resid. in 6, [illegible]
a Conc. Trid. *In Cap. 12 Sess. 21* [illegible]
autem primum a DD. annumerantur Ca[illegible]
pituli vel Ecclesiae negotia pertractant [illegible]
tilitatem chorum dimittunt, ita prae[illegible]
Cap. Licet de Praeb. 32 num. 167 [illegible]
» tertio, ut pro praesente habeatur Ca[illegible]
» negotiis Capituli, unde in casu conti[illegible]
» Canonicum, quo tempore pro negotiis Ca[illegible]
» debuisse onerari, ut substitutum interi[illegible]
» lum esse cogendum, ut dicti temporis
» stipendia Capellani illi restituat, » cui [illegible]
de Hor. can. disp. 2 quaest. 3 pun. 3 [illegible]
nell. *de Iurib. Unic. lib. 2 part. 7 Cap.* [illegible]
pluries etiam docuit S. C. C. in *Panormitan.*
« *Censuit deberi Oratori distributiones qu[illegible]*
» *negotiis Capituli* »; et in *Tranen. Distrib. 2*
ad dubium 10: *An et quomodo lucrentur distr[illegible]*
nonici absentes a choro rerum Capitularium
Episcopali administrationi vacantes in cas[illegible]
Quoad Canonicum administratorem rerum Ca[illegible]
affirmative pro diebus et horis, quibus reapse [illegible]
administrationem; in reliquis negative.

Porro cum Canonici deputati a Capitulo [illegible]
su ad tuenda et exercenda iura [illegible] ob [illegible]
pituli abesse videantur, conc[illegible] est [illegible]
punctaturis o[illegible]xios esse debere [illegible]
assistit imm[illegible]lis consuetud[illegible] [illegible]
C[illegible] [illegible]beat facultatem [illegible]
[illegible] abessendi [illegible] licet [illegible]
[illegible]sa sit expressa [illegible]
[illegible]*4 cap. 2 n. 442* [illegible]
[illegible]lam esse [illegible]
[illegible]mittendi

[illegible]sulae in-
[illegible]atus Ar-
deputati
[illegible]ctum lu-
[illegible]quo eius-
[illegible]pitularia,
[illegible]ium, qui
[illegible] suarum
[illegible]ributiones
[illegible]tes domus
[illegible]t privile-
[illegible]arent sibi
[illegible]m in elee-
[illegible]inerent.
[illegible]altera vero
[illegible]tiones quo-
[illegible]cclesiae uti-
[illegible]*ap. Licet de*
[illegible]la est proce-
[illegible]tatem Eccle-
[illegible]itur. Secus si
[illegible]cclesiae parti-
agunt Ioan.
[illegible]rch. *in Rub.*
[illegible] *tom. 1 lib. 2*
[illegible]ici absint prae-
seiuncti, merito
[illegible]tionum.
[illegible]bsunt a choro ut
[illegible]vel concionandi in
[illegible]cium obtinent, ex
[illegible]is privari quotidia-
[illegible] C. die 14 Martii
canonicae recitan-
[illegible]onfessiones audien-
[illegible]ausa, ac, qui disces-

Digitized by Google

serint, illius horae distributionem amittere, » et in *Nerotinen. 22 Iunii 1624* proposito dubio: « *An Canonici, quibus non incumbit uti Canonicis onus audiendi Confessiones, si pro iis audiendis, absint a chori servitio, lucrentur quotidianas distributiones* » respondere censuit « *non lucrari* » Eodem modo respondit in *Maceraten. 14 Februarii 1767 et in Sancti Miniati* ad I. dubium *8 Februarii 1817.* Pro Canonicis concionantibus ita pariter respondisse s. Congregationem testatur Fagnanus *in Cap. Licet de Praeb. num. 114* – ibi – « Ampliatur decimo » octavo in Canonico legente et sermocinante ex debito sui » officii, cui similiter responsum est deberi fructus praeben- » dae, sed non distributiones. »

Haec profecto magis magisque valere debent in themate, quia Canonici non in commodum Ecclesiae Cathedralis a choro discedunt et talia munia obeunt, sed potius in utilitatem Sanctuarii longe extra oppidum positi. Peregrinantes enim devotionis causa distributiones suas facere non valent ad tradita per eumdem Fagnanum *in cit. cap. Licet de Praeb. num. 119* – ibi – « Ampliatur vigesimo in peregrinantibus » devotionis causa, quos itidem non lucrari distributiones » declaravit s. Congregatio. »

Nec omittendum videtur in casu Canonicos ex talibus muneribus emolumenta percipere cum ad Sanctuarium pergunt. Siquidem ex constanti s. Congregationis praxi, iis denegantur distributiones quotidianae, qui a choro absint ob munus, ex quo lucrum percipiunt, ceu patet *ex Dubiis Indultorum 6 Maii 1820* §. *Nec praetereunda,* et decisum fuit in nuperrima *Urbanien. et s. Angeli in Vado 19 Ianuarii 1884* (1) quod fortius dici debet hic ubi, fatente Archiepiscopo, distributiones non tenues sed pingues omnino reperiuntur.

Quin aliquid relevet in contrarium adducta immemorialis consuetudo. Omisso enim quod haec fuerit interrupta per Constitutiones ab Archiepiscopo et Capitulo anno 1877 pro-

(1) Habes hanc quaestionem Vol. XVI pag. 492.

Digitized by Google

mulgatas, animadverti insuper debet, hanc consuetudinem nullius prorsus valoris esse, cum inolita sit contra resistentiam legis provenientem ex dispositione Tridentini in *Sess. 24 cap. 12 de Reform.* et decretum irritans adiectum in illius confirmatione, Rota *cor. Seraphino decis. 1140 num. 1.* Proinde haec consuetudo tamquam irrationabilis et iuris corruptela reiecta fuit a S. C. C. in decretis relatis per Barbosa *de Com. cap, 30 num. 20 et cap. 21 num. 63;* Pignatell. *Consult. 114 n. 9 cum seqq.;* De Luca *de Canonic. disc. 10 n. 3* etc.

Ast neque ex gratia petita facultas concedi posse videtur. Sane cum in Congregatione diei 6 Maii 1820 certa regula statuenda foret de Indultis absentiae a choro, S. C. C. respondit de iis, qui confessionibus excipiendis, vel ss. Missionibus vacant, dispensandos esse tantum in casu *verae necessitatis.* In themate vero nulla necessitas subesse videtur. Omnibus enim muneribus, ob quae Canonicus mitti deberet, Capitulum per alios satisfacere potest; deputando videlicet pro rebus spiritualibus Capellanum prouti fecit, asserente Archiepiscopo, occasione recentis belli civilis et alium peritum pro negotiis fabricae Sanctuarii adnexique Hospitii.

Siquidem negotia, quae per alios optime tractari possunt, nec personalem requirunt assistentiam Canonici, non excusare a chori absentia docent Passerin. a*d Cap. unic. n. 110 de Cler. non resid. in 6.* et Rota *coram Seraphin. decis. 1131 num. 4,* et confirmavit S. C. C. in nupera *Interamnen. Indulti 2 Iunii 1883* (1).

Hisce praeiactis, enodanda proposita fuere

Dubia

I. *An Canonici s. Iacobi de Cuba accedentes ad Sanctuarium B. M. V.* de la Caridad *lucrare valeant distributiones quotidianas in casu.*

(1) **Relata fuit Vol. XVI pag. 98.**

Digitized by Google

Et quatenus negative


II. *An et quomodo indulgendum sit precibus Achiepiscopi in casu.*

Resolutio. Sacra Congr. Concilii, re perpensâ, sub die 8 Martii 1884, censuit respondere:

Ad I. Providebitur in secundo.

Ad II. Affirmative in omnibus ad decennium.

Ex quibus colliges. Lucrari distributiones quotidianas, pro illis diebus qui necessarii sint, canonicos adeuntes Sanctuarium B. M. V. quoties iudicio et conscientiâ Episcopi, cui relinquitur iudicium, reputatum fuerit adesse causam necessitatis vel utilitatis Ecclesiae.



AMALPHITANA

EMPHYTEUSIS

Die 5 Aprilis 1884

Compendium facti. In pago *Pastena* apud Amalphim domus existit quae iam inde ab antiquis temporibus usque ad praesentis saeculi initium, monasterium fuit Religiosorum conventualium, et insigne quidem, iuxta Archiepiscopum. Etenim s. Franciscum assisiensem hanc domum extruxisse et praesentiâ suâ illustrasse fertur, in eaque, praeter huius Sancti cubiculum, illa etiam venerari dicuntur b. Bonaventurae a Potentia et v. Dominici a Muro. Prope domum, eique olim adnexa, surgit monasterii Ecclesia s. Antonio dicata, unde isti monachi Antoniani quoque dici consueverant.

Napoleonis I tempore regulares eiecti sunt, nec amplius redierunt. Exinde ecclesia seiuncta a domo est, de suo rectore provisa, ac in subsidiariam paroeciae *Pastena* erecta: domus vero in proprietatem parochialis Ecclesiae transiit, et recentius cuidam Antonio Barbaro in diversorii usum,

Digitized by Google

annuis libellis 255,50 locata est. Iamvero conductor, qui novas iugiter expensas subire debet, ut veterem domum in usum praesentis officii accomodet, optat et suppliciter s. Pontificem exorat, ut domus haec in emphyteusim sibi concedatur.

Ordinarius de sua sententia rogatus contractui huic ineundo contrarium prorsus se ostendit, hanc praeprimis allegans causam, quod scandalum exinde in populo et Ecclesiae damnum esset oriturus. Verum quum haec certa undique non apparerent, timens s. C. C. ne in hac re Archiepiscopus se forsan falleret, viciniorem Ordinarium, Cavensem videlicet, rogavit de sententia. Et hic in sententiam prorsus contrariam abiit; assumptis enim notitiis, contractum utilem edixit ac cito ineundum.

Parochus plenum exhibuit consensum pro emphyteusi concedenda. Et Syndicus Civitatis in eumdem sensum inclinans ait: nullam enasci posse admirationem ob emphyteusim in populo; qui numquam habuit domum hanc ceu monasterium Religiosorum, qui iam a saeculo suppressi sunt.

Disceptatio Synoptica.

QUAE FACIUNT CONTRA EMPHYTEUSIM. Et primum contra emphyteusim oggeri potest, hanc alienationem sapere, ut expresse tradit cap. *Nulli 5 tit. De rebus ecclesiae alien.* - ibi - « *Alienationis verbum continet conditionem, donationem, venditionem, permutationem et emphyteusis perpetuum contractum* » imo et temporaneum, iuxta DD. qui tenent alienationis nomen in re ecclesiastica latissime sumi « ac prout complectitur omnem actum quo dominium rei » directum vel utile aut usufructus seu ius in alterum trans- » fertur: » ut habet Glossa in *cap. Nulli cit. v. Alienat.* Reiffenstuel *lib. 3 tit. 13, num. 3,* Azor. *part. 2, lib. 9, cap. 1, q. 2;* Barbosa in *Collect. ad Extrav. Ambitiosae num. 5* citans alios.

Quapropter quum emphyteusis alienationem redoleat,

Digitized by Google

concedi equidem non potest absque canonica causa, ceu DD. ex *can. Sine exceptione 12 q. 2* concordi sententia tradunt, inter quos Reiffenstuel *tit. XVIII lib. 3 num. 260* – ibi – « absque legitima causa et debitis iuris solemnitati» bus nec ad tempus, nec in perpetuum de novo in emphy» teusim concedi possunt res ecclesiasticae.... patetque clare » ex *can. Apostolicos 13, caus 12 q. 2; cap. Nulli cit.;* » *et extrav. Ambitiosae* » Iustae autem alienationis causae tres, ut notum est, recensentur; videlicet necessitas ex *Clement· 1, tit. De reb. eccl. alien. etc.,* pietas ex *can. Aurum c. 12, q. 2 in decreto,* et manifesta utilitas ex *cap. 8 §. fin. eius tit. De reb. Eccl. alien. étc.*

Iamvero duas priores causas in themate exulare demonstratione non eget; sed et tertia quoque deesse potest. Si enim, emphyteusi instituta, annuus canon parvus vel utcumque actuali locationis pretio minor praefiniatur, equidem damnum passura esset Ecclesia. Insuper ex emphyteusi in periculum fòrsan vocabitur ipsum Ecclesiae super domum directum dominium. Civilis enim Codex per haec loca vigens ad *art. 1564* decernit quod emphyteuta posset fundum redimere, mediante pretio.

Neque pactionibus potest redemptionis periculum praepediri: siquidem idem Codex ad *art. 1557* quamcumque conventionem partium, articulo superius relato contrariam, irritat omnino: consequenter dominii directi conservatio emphyteutae arbitrio commissa semper habebitur: ac proinde ex emphyteusi aedificii amissio serius ocius eventura forsan quippe parabitur. Et quamvis id fieri nequeat absque congrua pecuniae solutione; tamen cum immobilia asservari plurimum Ecclesiae intersit, iam a periculo amittendi sedulo cavendum est.

Ulterius adiiciam quod si Orator emphyteusim petat, ut expensarum peragendarum compensationem sive ex diuturnitate possessionis, sive ex annuae pensionis imminutione obtineat; iam utrumque beneficium ex locatione aeque ipse consequi valet. Siquidem idem Codex ad *art.* 1571 locatio-

Digitized by Google

nem per 30 annos vel per integram conductoris vitam et duos subsequentes annos pacisci permittit: quae locatio tutiorem quoque de sua proprietate redderet Ecclesiam; ergo praeferenda videtur.

Praeterea Achiepiscopus testatur iamdiu in populi votis esse hanc domum iterum Religiosis restitutam iri: imo hodiernum Ecclesiae rectorem, ut hoc fieret, iam cum generali Conventualium Ministro egisse. Iamvero emphyteusis pro sua natura huic pio desiderio obsisteret, et istius spiritualis Ecclesiae boni consequendi impeditiva evaderet.

Demum idem Archiepiscopus notavit quod facies huius domus nulliter immutata ab eius fundatione, innuit esse religiosam domum; et nemo in ea non videt Conventum s. Antonii a s. Francisco extructum. Porro, prosequitur, hanc domum sacris memoriis venerandam, ad Deum colendum erectam, in prophanas manus ad saeculares strepitus tradere turpe apparere; periculum quoque fore eam ad inhonestos ac sordidos usus conversam iri.

Quae faciunt favore emphyteusis. Pro altera vero parte animadversum fuit, hanc domum usque modo pro diversorio inservisse, neque hoc genuisse scandalum aut pietati fidelium praeiudicium: emphyteusi instituta, idem oriturum probe non intelligitur. Etenim quoad externum aedificii statum emphyteusis nihil locationi adiungit, et sub hoc respectu simile prorsus est domum pro diversorio locare aut in emphyteusim tradere.

Ceterum Archiepiscopi sententia in hac re minoris erit facienda, si verum sit quod ab adversa parte innuitur, ipsum nempe aliquam contra Oratorem simultatem fovere. Et quamvis Praesul malevolam insinuationem hanc esse denunciet, et a se indignatus repellat, tamen meminisse iuvabit Ordinarium cavensem et pagi Parochum in approbanda emphyteusi concordi animo esse; ideoque ex hoc saltem Archipraesulis iudicium vulnus accipere.

Sed personalium opinionum valore parumper seposito,

Digitized by Google

et re intrinsece considerata, recolere iuvat, hanc domum monasterium quidem olim fuisse; sed a saeculi huius initio in paroeciae Pastena dotem transiisse, et legitime hodie ab hac possideri. S. Sedes enim, ut notum est, usurpationes Gallicae revolutionis tempore peractas sub quibusdam conditionibus et ad maiora mala vitanda sanavit.

Hoc itaque posito, istaec domus, paroeciae modo propria, Religiosis (ceu Archiepiscopus optat) brevi veluti manu remitti equidem non potest; alienatio enim haberetur, cum bona unius Ecclesiae in alterius favorem distraerentur, quod prohibitum in genere est *ex tit. de reb. Eccl. alien.* etc., et omni casu absque canonica causa et iuris solemnitatibus fieri nullo modo posset.

Evicta vero legitima possessione Paroeciae super domum, non est cur emphyteusis negetur. Siquidem orator qui domum iamdiu conduxit, quique non modicas expensas in veteri aedificio hodie peragere necesse habet, iuste ac rationabiliter tueri se vult saltem longa domi possessione; et quia id obvie consequi valet ex emphyteusi, hanc ideo rationabiliter petit. Proinde aequitas ipsa huic contractui faveret.

Neque ex eo detrimentum, sed imo potius utilitas Ecclesiae parari videtur. Sane ex una parte conditionata et ad tempus emphyteusis institui posset, et talem etiam libenter ab Oratore acceptam iri credi optime potest, cum, teste Ordinario cavensi, idem usque adeo Ecclesiae legibus obsequens sit, ut clausulam admittere non abnuat domum arbitrio Ecclesiae tenendi. Inito igitur hac ratione contractu, meliorationes quae ab emphyteuta peragendae essent, et quae tandem aliquando in Ecclesiae proprietatem cederent emolumentum saltem futurum constituerent.

Porro utilitate existente, emphyteusim institui posse nemo est qui non noscat. Id evincunt textus qui superius relati sunt et docent Abbas in *c. In praesentia de prob. n. 29;* Covarruvias *lib. 2 Variar. resol. c. 17 num. 5;* et ceteris omissis Reiffenstuel *l. c. n. 261, arg. can. Sine*

Digitized by Google

exceptione 52 caus. 12, q. 2; cap. 1 De reb. Eccl. alien. in VI; Clem. I, iuncta *extrav. Ambitiosae eod.*

Si quid in contrarium opponi serio potest, est existentia legum civilium, quibus regimur quibusque Antonius Barbaro eiusve successores abutentes, aedificii dominium sibi contra Ecclesiam vindicare possent. Sed primum praesumptio validis motivis innixa non apparet, cum Antonius Barbaro Ecclesiae legibus satis obsequens videatur. Ulterius pensare iuvabit, in Italia immobilem parochiarum proprietatem, quae adhuc a fiscali direptione fuit salva, quotidie comminatam esse et periclitari. In hoc porro discrimine utilius videtur conscientiae se fidere privati hominis, qui sub emphyteusis titulo dominium suum Ecclesiae probabiliter est servaturus, quam incerto eique forsan haud benevolo gubernii arbitrio, se committi. Quibus praoenotatis, propositum fuit diluendum

Dubium

An et quibus conditionibus domus in emphyteusim concedenda sit in casu.

Resolutio. Sacra C. Concilii, re discussa, sub die 5 Aprilis 1884 censuit respondere:

Affirmative, ad tertiam generationem masculinam tantum; aucto tamen canone ad libellas, sin minus, sexcentas et cum solitis clausulis, facto verbo cum SSmo.

Ex quibus colliges. I. Emphyteusim super re ecclesiastica permitti a iure canonico si adsint causae, quae sunt necessitas, pietas et utilitas.

II. In themate adesse videri utilitatem Ecclesiae, tum ratione canonis, quo concessa fuit, tum ratione emphyteutae, qui cum Ecclesiae legibus obsequens sit, satius videtur confidere eius conscientiae, quam arbitrio gubernii, prorsus Ecclesiae infensi, sese committere (1).

(1) Confer Vol. I. pag. 251 append. 8 Vol. II, pag. 87 et 528.

Digitized by Google

PAPIEN.

IURIS BAPTIZANDI

Die 10 Maii 1884.

COMPENDIUM FACTI. Episcopus Papiensis exposuit S. C. C. antiquissimam consuetudinem ibidem vigere, qua baptismatis sacramentum a feria quinta in Coena Domini usque ad octavam Paschatis in Ecclesia cathedrali tantum administratur. Ne autem huiusmodi privilegium Cathedralis mere apparens evaderet, statutum olim fuit ut omnes, illo in tempore nati, aut Ecclesiae pro baptismate oblati, semper deferendi essent ad Cathedralem, quocumque tempore baptizarentur aut deferrentur, pro supplendis caeremoniis.

Quaestio nata est inter Capitulum et Parochos, utrum ad Cathedralem etiam deferendi essent nati ante id tempus, qui tamen infra hoc tempus deferendi erant, sed postea, quacumque de causa, deferantur. Capitulum praesumit ad Cathedralem deferendos esse natos ante privilegiatum tempus et post id temporis oblatos. Ast rem Parochi non concedunt, et autumant ad Cathedralem illos tantum deferendos esse qui infra privilegiatum tempus nascuntur.

Disceptatio Synoptica.

DEFENSIO CAPITULI. Capitulum itaque praeprimis recolit huiusmodi ius originem ducere ex antiquissima Ecclesiae disciplina, ibidem olim vigente, qua in una cathedrali Ecclesia baptismatis sacramentum administrabatur. Verum etsi memoratum Cathedralis ius pluribus abhinc saeculis fuerit valde limitatum, nunc temporis tamen extendi sustinuit etiam ad omnes infantes, qui feria quinta in Coena Domini, iam nati quovis tempore baptismatis lavacro regenerandi, vel solemnes caeremoniae eisdem supplendae forent. Quod ostendi censuit Episcoporum decretis ab anno 1628, ad annum 1802, quotannis vulgatis; quibus Parochi mone-

Digitized by Google

bantur ne huiusmodi Cathedralis ius quovis praetextu laedere auderent.

Nec refert, Capitulum observavit, in hisce Praesulum decretis haud explicite statui, infantes ante privilegii tempus natos, in Cathedrali etiam post Pascha baptizandos fore. Nam Episcopi, suis praescriptionibus explicitis, consuluerunt Capituli necessitatibus tantum, pro quibus ad eum recursum fiebat; ast Capitulum numquam recurrere debuit pro disciplinae laesione quoad hoc, quia forsan numquam violata fuit, ob parentum sollicitudinem in baptizandis filiis. Praeterea cum etiam ex lege dioecesanae Synodi anni 1878 praecipiatur, infantium baptismum ultra octavam diem a nativitate, sub quovis praetextu vel occasione differendum non esse, sponte consequitur infra privilegii tempus parentes obligatione devinci, infantes quovis tempore natos quamprimum ad Cathedralem deferre: Capitulum autem ius acquirere illis baptisma conferendi.

Iamvero rectae rationi repugnare prorsus apparet, Capitulum ex parentum culpa, quaesito iure privandum esse: cum nemo ex alterius culpabili negligentia suorum iurium praeiudicium perferre debeat. Quare sententia Parochorum admissa, et nostrorum temporum indole perspecta, haud infrequenter eveniret quod parentes aeternam filiorum salutem parvipendendo, ne ad Cathedralem illos adducerent, post Pascha baptisma protraheretur.

At quamcumque dubitationem circa praefati iuris extensionem, excludere prorsus contendit monitum in dioecesano Kalendario ab anno 1818 usque ad praesens hisce verbis additum: « Meminerint Parochi civitatis, ac moneant fideles a feria V in Coena Domini usque ad diem Dominicae in Albis inclusive, baptismata conferri in sola Basilica Cathedrali, iuxta immemorabilem consuetudinem et possessionem Capituli, proindeque teneri omnes deferre ad eamdem Basilicam infantes natos a media nocte praecedenti dictam feriam quintam, usque ad mediam noctem praefatae Dominicae in Albis; vel iam natos et nondum solemniter bapti-

Digitized by Google

zatos tam in Civitate quam in suburbiis. Et si qui ex illis vel mortis periculo domi baptizati fuerint, vel ultra Dominicam in Albis Baptismata differri contingat, tam solemnes caeremoniae supplendae, quam baptismata administranda erunt in sola Cathedrali. » Quibus aperte statui videtur, infantes omnes ante privilegii tempus natos, nonnisi in Cathedrali baptizandos fore. Maximi vero memoratam dispositionem esse faciendam Capitulum censuit. Siquidem cum tam Episcopus illam quotannis vulgari permittens, quam Parochi eidem obtemperantes, numquam obmussitaverint, evidenter ostenderunt nihil aliud ibidem statui quam quod aliquibus abhinc saeculis in moribus positum erat.

Verum parumper etiam admisso in illa Kalendarii dispositione Capituli ius aliquantulum extensum fuisse, nunc temporis tamen, ex rationabili consuetudine legitime praescripta, in suo pleno vigore relinquendum apparet. Cum enim consuetudo qua Cathedralis ius ampliatum supponitur admodum rationabilis videatur, utpote antiquae Ecclesiae praxi cohaerens, septuaginta annorum lapsu legitime praescripta eique explicitus Ordinarii consensus, tacitus saltem Parochorum accesserit, iure meritoque Capitulum sustinuit, perperam prorsus illam a Parochis impugnari. Quibus demum accedit Dioecesana Synodus anni 1878, in qua huiusmodi antiquissima consuetudo confirmatur. Ideoque sive Praesul, sive Clerus ad Synodum admissus, iuxta sensum a Capitulo tributum, huiusmodi privilegium intellexisse videtur.

Defensio Parochorum. Verum Praepositus Mutti, qui aliorum Parochorum iura tuetur, ostendere sibi proposuit, natos ante privilegiatum tempus, et oblatos tum baptismatis, tum caeremoniarum gratiâ, ad parochos pertinere. Hoc autem demonstravit in primis auctoritate Episcopi Cardinalis Rossi, qui saeculo XIV dioecesim gubernans ait: huiusmodi Capituli privilegium *ex antiqua consuetudine derivare*, simulque haec statuit. « Advertas, parvulos omnes baptizandos in tota Papiae civitate, a die Iovis Sancti usque ad Dominicam in Albis inclusive, ad Ecclesiam cathedralem

Digitized by Google

deferri. » Quod pariter evincere studuit ex pluribus Episcoporum edictis, quibus Capituli privilegio in memoriam revocato, eiusdem amplitudo clarissime praefinitur. In his enim disertis verbis dicitur, consuetudinem huiusmodi, et privilegii possessionem manutenendam esse favore Capituli; et districte Parochi iubentur ne per totum id tempus baptismi sacramentum administrent in suis Ecclesiis. Ideoque, ait Praepositus, intra privilegii tempus tantum baptizandi potestas Parochis adempta fuit.

Verum cum putaretur, infantes privilegii tempore natos, eo elapso in Paroeciali Ecclesia baptizandos fore, hinc parentes, ne ad Cathedralem illos adducere cogerentur, baptismatis collationem differebant. Quare Episcopus Pertusati, ut huiusmodi abusum e medio tolleret et Capituli ius sartum tectumque servaret, anno 1740 in sueto edicto vulgando, id expresse prohibuit. Quoad infantes, privilegii tempore natos et ob mortis periculum domi baptizatos, iussit sacras caeremonias in Cathedrali supplendas fore: quoad alios vero ait: haud permittimus, ad eludendum ius Cathedralis, ut infantes domi retineantur ultra id tempus; neque licebit Parochis, post Paschatis octavam, baptizare natos infra dictum tempus. Quam dispositionem ab aliis Episcopis confirmatam, in suo vigore iugiter persistere Praepositus sustinuit.

Nec aliquid officit eadem dispositio Kalendario deinde addita; quinimo eamdem validare sua iura, ait Praepositus. Nam in illa dispositione tempus privilegiatum constituitur a feria quinta in Coena Domini usque ad Dominicam in Albis inclusive, et comprehenduntur etiam iam nati et nondum solemiter baptizati; et tandem adiicitur: « si qui ex illis vel mortis periculo domi baptizati fuerint vel ultra Dominicam in Albis eorum baptisma differri contingat, tam solemnes caeremoniae, quam baptismata celebranda erunt in sola Cathedrali. Ubi dictio *si qui ex illis* omnino referenda est natis tempore privilegiato, vel hoc tempore oblatis pro baptismate, etiamsi antea nati fuerint. Infantes huius-

Digitized by Google

modi baptizari debent in Cathedrali. Ideoque sive Episcopi edicta, sive decretum in Kalendario vulgatum inspiciatur, Capituli privilegium iuxta sensum superius memoratum, Praepositus intelligendum esse contendit.

Verum dato etiam, ambiguitatem aliquam in Kalendarii decreto reperiri, Episcoporum edictis perpensis, haec penitus evanescit: cum nullum adsit documentum quod evidenter ostendat, Episcopos voluisse illo Kalendarii decreto Capituli privilegium ampliare. Quare merito Praesul animadvertit quod si praescriptio Kalendarii Canonicis favere videatur, tamen praescriptio haec, dum est aequivoca, non est autem antiqua. Addit etiam eamdem prorsus consuetudinem Patavii vigere, nullum tamen infantem aliarum Paroeciarum post Dominicam in Albis Capitulo baptizare fas esse, uti Vicarius generalis testatur.

Perperam vero Capitulum contendere, assertum ius ex consuetudine, ad huius saeculi initium saltem remeante, acquisivisse. Ex erectione enim fontium baptismalium saeculo XI et sequentibus Papiae peracta, Parochi iuxta commune ius ordinarii baptismatis ministri evaserunt. Contraria vero consuetudo, nisi Summi Pontificis privilegio vel saltem immemorabili praesriptioni innitatur haud admittenda videtur, utpote communi utilitati noxia, tum quia Parochis facilius compertum est quinam ex iustis nuptiis procreati sint, et tamquam tales in paroecialem librum referri debeant: tum quia maiorem vigilantiam adhibere valent ne parentes procrastinentur infantem ad Ecclesiam deferre.

At absolute denegavit, memoratam consuetudinem inolevisse, cum referat aliquos infantes ante privilegii tempus natos, a proprio parocho baptizatos fuisse. Sane aliis exemplis omissis, anno 1876 ex episcopalis Curiae mandato a Parocho s. Francisci quidam ibidem anno 1846 natus, ob dubium circa baptismi validitatem exortum, sub conditione iterum baptizatus fuit.

Cum itaque in sacramentorum administratione minime personarum favor, sed animarum salus sit apprime respi-

Digitized by Google

cienda, cumque assertum Capituli ius et huic opponatur, nec evidenter ostendatur, Parochorum sententia admittenda videtur.

Hisce aliisque animadversis propositum fuit diluendum

Dubium

An Capitulo Cathedralis vel Parochis competat post Dominicam in Albis baptismatis sacramentum administrare, vel solemnes caeremonias supplere infantibus ante feriam quintam in Coena Domini natis in casu.

Resolutio. Sacra Congr. Concilii, re cognita, sub die 10 Maii 1884 respondere censuit:

Affirmative favore Parochorum.

Ex quibus colliges. I Ministros ordinarii baptismatis esse parochos, tum ex iure communi, tum ob commune bonum catholicae societatis; nempe ut nomina natorum deferantur in libris paroecialibus, et facilius innotescat quinam procreati fuerint ex iustis nuptiis.

II. Contrariam consuetudinem vel inniti debere speciali apostolico indulto vel ab immemorabili tempore inolevisse, ut praescripta dici valeat, et haberi novi iuris instar, antiquum derogantis.

III. In themate parochorum ius certum fuisse; consuetudinem vero contrariam iuri eiusmodi haud, fulciri immemorabili praescriptione visum esse.

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

HISPANIARUM SEU COMPOSTELLANAE

DECRETUM quo confirmatur sententia Archiepiscopi quoad identitatem corporum s. Iacobi maioris Apostoli et discipulorum eius Athanasii et Theodori.

Celeberrima inter Sanctuaria, quae in toto terrarum Orbe a Christifidelibus maxima coluntur veneratione, sacrisque frequentantur peregrinationibus, solvendi voti causa, quaeque Summorum

Digitized by Google

Pontificum constitutionibus pari habentur honore, nobilissimum praefulget Sepulcrum Sancti Iacobi Maioris Apostoli in Urbe Compostellana Hispaniarum, quo delatum est eius sacratissimum Corpus ab Hierosolymis postquam, Herode iubente, gladio fuit percussum. Sepulcrum huiusmodi per tot saecula innumeris divina ope illustratum prodigiis, illaesumque servatum tum in Arabum occupatione, tum in aliis temporum calamitatibus, quibus Hispaniae extitere obnoxiae, habitum semper fuit veluti praecipuum Nationis huius praesidium. Hac de causa thesaurus iste pretiosissimus tutissima munitus fuit custodia, et saeculo decimo sexto decurrente ob Anglorum incursionem, qui, Catholica eiurata fide, Hispanicas regiones pervadentes, Compostellam adire contendebant praecipue ad illum abripiendum et disperdendum, et veteri custodia Archiepiscopi cura remotum, adeo secretiori reconditum est loco, ut sequioribus saeculis ille prorsus a Christifidelibus ignoraretur. Hi tamen ex historia certissime noverant sacra Pignora nunquam e Maiori Basilicaė Compostellanae Sacello fuisse amota, simulque ex iugi et constanti ad nos usque traditione persuasum habebant in praedicti Sacelli Abside illa adhuc servari. Cum autem hodiernus Archiepiscopus Compostellanus Eminentissimus et Reverendissimus Dominus Cardinalis Michael Payà y Rico nonnullis abhinc annis egregiam posuisset operam pro instauratione Basilicae huius, hanc nactus occasionem pium in sua mente maturavit consilium, reperiendi scilicet locum, in quo tecta manebant Sepulcra Sancti Iacobi Apostoli, et Discipulorum eius Athanasii et Theodori. Ad id assequendum dirigentibus viris peritissimis, et in ecclesiastica dignitate constitutis ab ipso selectis, omnes ab operariis investigatae sunt subtus et circum altare maius latebrae; sed labor haud prospere processit. Demum in centro Sacelli Absidis retro altare maius, effosso pavimento, inventa est arca ex lapidibus et lateribus confecta, in qua extabant ossa ad tria sceleta sexus virilis pertinentia. Super his omnibus Eminentissimus et Reverendissimus Cardinalis Archiepiscopus, exquisitis illustrium peritorum sententiis, processuales condidit tabulas; inquisitumque est, an in iis ossibus repertis constaret de identitate Corporum Sancti Iacobi Maioris Apostoli et Discipulorum eius Athanasii et Theodori? Et consideratis omnibus, quae consideranda erant, suum pronuntiavit affirmativum iudicium. Dein acta processualia sententiamque suam Eminentissimus et Reverendissimus Archiepiscopus ad Urbem misit, ut supremo Summi Pontificis iudicio subiicerentur, sententiaque sua Apostolica Auctoritate confirmaretur. Sanctissimus autem Dominus Noster LEO PAPA XIII gravissimum huiusmodi negocium peculiari Sacrornm Rituum Congregationis Coetui pertractandum remisit. Quo habito ad Vaticanas aedes die XX Maii anni huius, responsum datum est: *Dilata, et ad mentem;* et mens fuit, ut nonnullae difficultates gravioris momenti lucidius enuclearentur. Quo facilius id praestaretur, a Sanctissimo Domino Nostro missus est Compostellam R. P. D. Magister Augustinus Caprara Sanctae Fidei Promotor, ut singula inspiceret, inquireret, et referret. Ro-

Digitized by Google

mam reversus accuratissima relatione muneri suo egregie satisfecit. Quapropter iterum iisdem collectis Comitiis ad Vaticanum die XIX Iulii vertentis anni MDCCCLXXXIV, ad propositum dubium: « An sententia lata ab Eminentissimo et Reverendissimo Domino Archiepiscopo Compostellano super identitate Reliquiarum, quae in centro Absidis Sacelli Maioris Metropolitanae eiusdem Basilicae repertae sunt, et Sancto Apostolo Iacobo Maiori, eiusque Discipulis Athanasio et Theodoro tribuuntur, sit confirmanda in casu, et ad effectum de quo igitur? »

Tum Eminentissimi et Reverendissimi Patres Cardinales, tum Praelati officiales, re mature discussa et perpensa, responderunt: *Affirmative, seu sententiam esse confirmandam.*

Facta vero de iis per me infrascriptum Cardinalem fideli relatione, Sanctissimus Dominus Noster Sacrae Congregationis sententiam ratam habuit, et sua Auctoritate Apostolica confirmavit. Mandavitque, ut de hoc Decreto, expedirentur Litterae Apostolicae sub plumbo. Die XXV Iulii, in Festo Sancti Iacobi Maioris Apostoli, anno MDCCCLXXXIV.

D. Card. BARTOLINIUS S. C. C. Praefectus.

Loco ✠ Sigilli

Laurentius Salvati S. R. C. *Secretarius.*

DUBIORUM

quoad recitationem precum post Missas, sine cantu celebratas.

Quaesitum quum sit a Sacra Rituum Congregatione:

I. An preces post finem cuiusque Missae, sine cantu celebratae, in universa Ecclesia a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII nuperrime praescriptae, recitari debeant a Sacerdote alternatim cum populo; Et

II. An Oratio *Deus, refugium* cum suis versiculis ab ipsomet Sacerdote in casu recitanda sit, prouti *Ave Maria* et *Salve Regina* flexis genibus?

Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, respondit ad utrumque Dubium: *Affirmative.* Atque ita respondit et rescripsit die 20 Augusti 1884.

Pro Emo et Rmo Dño Card. D. Bartolini S. R. C. Praefecto.
A. Card. SERAFINI

Laurentius Salvati *S. R. C. Secretarius.*

Digitized by Google

DECRETUM

FLORENTINA

Canonizationis Septem Beatorum Fundatorum Ordinis Servorum Beatae Mariae Virginis.

Ex noviter deductis a Rev. Patre Fr. Andrea Corrado a Secretis totius Ordinis Servorum Beatae Mariae Virginis, et Causarum Servorum Dei eiusdem Ordinis Postulatore generali, Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII per Decretum Sac. Rit. Cong. sub die 16 Ianuarii, proxime praeteriti, benigne indulgere dignatus fuit, ut, haud obstante Decreto sa: me: Benedicti Papae XIV diei 8 Augusti 1744, nec non responso Congregationis particularis Sacrorum Rituum diei 14 Decembris anno 1878 dato, in eadem Sacra Rituum Congregatione ordinaria iterum proponi ac discuti valeret sequens dubium, alias in ordinario pariter ipsius Congregationis Coetu disputatum, nimirum: « *An miracula a Deo patrata ad collectivam invocationem Septem Beatorum Fundatorum Ordinis Servorum Beatae Mariae Virginis suffragari possint ad effectum eorumdem solemnis Canonizationis in casu de quo agitur?*

Eiusmodi dubium quum Eñus et Rñus Dñus Cardinalis Lucidus Maria Parocchi, huius Causae ponens, retulerit in ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis subsignata die ad Vaticanum habitis, Eñi et Rñi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus in re maturo examine perpensis, post auditum voce et scripto R. P. D. Augustinum Caprara, sanctae Fidei promotorem, sic rescribere rati sunt:

« *Consulendum Sanctissimum, ut, attentis noviter deductis in Causa Canonizationis Septem Beatorum Fundatorum Ordinis Servorum Beatae Mariae Virginis, non obstante Decreto sa: me: Benedicti Papae XIV diei 8 Augusti 1744 edito, ac responso Congregationis Sacrorum Rituum particularis diei 14 Decembris 1878, procedi valeat ad discussionem sex miraculorum, et approbationem saltem quatuor, quae ad collectivam eorumdem invocationem a Deo patrata fuerint, iuxta praescriptum eiusdem Summi Pontificis in suo Decreto generali diei 22 Aprilis 1741 pro Causis Beatorum per viam cultus immemorabilis.* » Die 26 Iunii 1884.

Facta autem ea ipsa die per subscriptum Secretarium de his Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII fideli relatione, Sanctitas Sua praefatum Sacrae Congregationis Rescriptum ratum habuit et confirmavit.

D. CARD. BARTOLINIUS, Praefectus

Loco ✠ Signi

Laurentius Salvati S. R. C. *Secretarius.*

Digitized by Google

LITTERAE SSmi D. N. Papae LEONIS XIII ad Archiepiscopum Florentinum; quibus iterum improbantur opiniones praeposterae duorum libellorum, qui inscribuntur: *La nuova Italia – Il Vaticano regio.*

Cum ad Venerabiles Fratres Nostros S. R. E. Cardinales, superiore anno exeunte in aedibus Vaticanis verba haberemus, sicut alia multa deploravimus quae animum Nostrum vehementer angebant, ita nominatim questi sumus, quod homines officii immemores pietatem Ecclesiae debitam deseruerint, amantissimae parentis dolores, quos lenire consolando deberent, iniqua insimulatione exulcerare non dubitent. — Cuius generis multa et gravia peccantur in geminis libellis argumento non valde dissimili, audacia pari, tibi, Venerabilis Frater, satis cognitis, qui inscribuntur « *La nuova Italia — Il Vaticano regio.* » In iis enim est falsis iudiciis perniciosisque opinionibus passim locus: Ecclesiae auctoritati non parcitur; sancta huius Apostolicae Sedis iura aperte oppugnantur. Istorum auctor commentariorum, a pristino vitae instituto dissidens, blandimentis capi se passus est hominum non proborum: ingenioque et scribendi facultate, plus fortasse quam sibi videatur, eorumque caussae servit, qui progressum ad meliora vulgo iactantes, sua perficere consilia moliuntur rationibus saepe religioni iustitiaeque posthabitis, atque id maxime agunt ut Ecclesiae libertatem deleant una cum christiana morum disciplina.

Praeterea tantum sibi arrogat, ut in ea, quae a legitimis Ecclesiae potestatibus geruntur, inquirat, eademque arbitrio suo diiudicanda subiiciat: nullâque usus verecundiâ, in animo eorum, qui legant, semina spargit periculosa ordini, quo totius christianae rei moderatio continetur. Gravissimum autem bellum, quod impia hostium conspiratione adversus instituta catholica hoc tempore geritur, in scriptis suis probat ille verius quam damnat: laborumque, quibus Pontifex romanus et Clerus per summam iniuriam afficitur, non in eis qui inferunt, sed in eis qui perferunt, caussam residere audacter contendit.

Tales quidem consignatae litteris sententiae, in tanta praesertim animorum ad opiniones novas proclivitate, necessario erant offensionis caussam errandique periculum allaturae: eo vel magis quod illarum auctor non solum sacerdotali munere et illustri vi-

Digitized by Google

rorum religiosorum tot annos societate, sed etiam ingenii laude commendaretur. Quamobrem licet lucubrationem « *il Vaticano regio* » quamplurimi ex Clero italico, cui potissimum erat inscripta, vix evulgatam reprehendissent vehementerque improbassent, tamen gravissimorum virorum de illa iudicium exquirendum putavimus, hac etiam de caussa ut expostulationibus, quae ad Nos perferebantur, satis fieret. Itaque supremo Consilio Nostro sacrae Inquisitionis praecepimus, ut de utraque scriptione accurate quaereret, et quid censeret faciendum, decerneret. Consilium vero, habitis haud semel coetibus, diligentique iudicio adhibito, utramque damnavit; alteram decreto edito die 15 Iunii anno 1881, alteram die 30 Aprilis hoc ipso anno: eaque decreta per Consilium Nostrum noxiis libris notandis praepositum, auctoritate Nostra promulgari iussimus. Neque vero praetermissa sunt opportuna hortamenta aliaque caritatis officia, impetrandi caussa ab auctore, ut quae scripto mandavisset, mutata voluntate damnaret, sententiamque suam legitimae potestatis iudicio auctoritatique submitteret.

Id quidem ille praestitit, ubi perlatum est decretum anno 1881, edita declaratione qua opus suum improbabat, quae ad decretum ipsum adiuncta est. Verum, quod boni omnes deploravere, homo suarum opinionum tenax, aliud scriptum scilicet « *Il Vaticano regio* » iisdem, quos antea repudiarat, erroribus inquinatum in lucem edidit, ita quidem de superiori illa declaratione locutus, ut ei vim omnem vafra callidaque interpretatione ademerit.

Quo tempore cum supremum Inquisitionis Consilium laturum esset de hac altera scriptione sententiam, monitus auctor est ut memor esset officii, submittendoque sese oblatam ceteris offensionis caussam compensaret. Sed cunctantem callideque tergiversantem severioribus urgere monitis praeceptisque, secundum Ecclesiae disciplinam, opus fuit. Quae cum irrita cecidissent, res postulare visa est ut decretum ederetur, quo ille canonica *suspensionis* poena afficiebatur, nisi intra definitum tempus paruisset. Ille tamen parere recusavit: quin immo obstinatior in sententia audaciorque factus, scriptionem publicavit misitque ad sacrum Inquisitionis Tribunal, in qua contumax spiritus cum pristina opinionum insolentia coniungitur. Titulum inscripsit « *Lo scandalo del Vaticano Regio, duce la Provvidenza, buono a qualche cosa* », adiecitque appendicem acerbe contumelioseque appetentem quaecumque hactenus a sacro Inquisitionis Consilio in hac eius caussa, de qua loquimur, acta sunt. Atque hoc postremum opus, caussa per idem Consilium rite cognita, damnatum est lata sententia die 16 superiore mense

Digitized by Google

Iulio; quam pariter Consilium nostrum libris notandis, Nobis mandantibus et probantibus, promulgandam curavit.

Haec omnia, Venerabilis Frater, Nobiscum in animo considerantes, acerbum dolorem ex tanta hominis pertinacia capimus; simulque pravitate commovemur exempli, quod improvidae praesertim iuventuti perniciosum esse necesse est. Nos quidem paternae laenitatis indulgentiaeque partes egimus libenter et agemus: nihilominus Nostrum est sacrorum Consiliorum, quorum opera in maximis Ecclesiae negotiis utimur, auctoritatem tueri, eorumque dignitatem contra male dicta iniuriasque defendere.

Quoniam igitur te, Venerabilis Frater, teste atque interprete usi sumus in iis quae hactenus ob hanc caussam suscepimus, ut hominem ad sanitatem officiumque revocaremus, tibimetipsi has litteras, velut continuata caritatis Nostrae documenta, dare decrevimus. Illuc autem hae litterae pertinent, ut cognoscatur quae sit de lucubrationibus supra memoratis Nostra sententia: nimirum reiicere Nos et improbare opiniones omnes praeposteras et a veritate discrepantes, itemque omnia quaecumque in illis cum adversus Apostolicam Sedem Decessoresque Nostros, tum adversus sacra Nostra Consilia invidiose iniurioseque dicta sunt. Eodemque tempore declaramus, ea omnia quae ab iisdem sacris Consiliis iudicata, decreta et acta sunt quod ad scriptiones pertinet, de quibus agitur, et quod ad varias animadversiones, poenamque suspensionis in auctorem latam, 'assentientibus et probantibus Nobis, ideoque Nostra auctoritate iudicata, decreta, et acta esse: et quatenus opus sit, eadem omnia denuo confirmamus.

Pro caritate autem Nostra, cum vehementer optemus ut quidquid ille temere fecit, poenitendo corrigat, suppliciter rogare Deum perseverabimus, ut mentem hominis suo lumine illustret, et adiuvet sua virtute voluntatem. Tu vero in hanc ipsam rem perge, Venerabilis Frater, operam studiumque tuum conferre: neque enim futurum diffidimus, ut ille, Deo auctore, resipiscat, et aegritudinem Nostram optata consolatione permulceat.

Tibi interim, Venerabilis Frater, et Clero populoque tuo universo apostolicam Benedictionem benevolentiae Notrae testem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXVIII Augusti MDCCCLXXXIV, Pontificatus Nostri anno Septimo.

LEO PP. XIII.

Digitized by Google

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

PANORMITANA

IURIUM PAROCHIALIUM

Die 5 Aprilis 1884.

Compendium facti. Labente saeculo XVI unica Paroecia extabat in oppido Caccabi Panormitanae dioecesis in Ecclesia s. Georgii constituta. Verum cum Archiepiscopus Marullo in sacra Dioecesis perlustratione animadverteret, ob auctum fidelium numerum, haud satis eorum spirituali bono consuli, anno 1584 Decretum edidit, quo utens potestate a Tridentino Concilio sibi facta, aliam Paroeciam in Ecclesia B. M. Virginis ab Angelo salutatae erexit. Providit tamen ut competens honor et prerogativa, ac primatus a dicta Parochiali Ecclesia Annunciationis, Ecclesiae matrici s. Georgii servaretur. Quinimo novam paroeciam Ecclesiae s. Georgii univit, incorporavit et adnexit. Voluit tamen ut dicta nova paroecia circa administrationem sacramentorum, et aliorum officiorum distincta esset a parochianis Parochiae Ecclesiae matricis. Praefinita deinde oppidi parte, novae Paroeciae subiicienda, statuit illam a duobus Presbyteris regi debere, qui Sacramenta ministrare, infirmos invisere, populos suis cohortationibus adiuvare, mortuos sepelire, et alia ad curam animarum necessaria, ut moris est, recte exercere deberent; qui Sacerdotes ab ipso Illmo Archiepiscopo et successoribus suis pro tempore existentibns eligi et probari debeant, praevio prius rigoroso examine. Consuluit etiam substentationi duorum sacerdotum novae paroeciae.

Paulo post huius Paroeciae erectionem, dissensiones et controversiae circa paroecialium iurium exercitium inter Sacerdotes novae Paroeciae praepositos et Archipresbyterum ac Clerum matricis Ecclesiae exortae fuerunt. Pluries partes ab Archiepiscopi sententia ad tribunal Regiae Monarchiae appellarunt, et utraque, modo amicam, modo contrariam sententiam retulit. Cum autem huiusmodi contentiones etiam

Digitized by Google

hisce postremis annis iugiter excitarentur, mense Februario anno 1882 Presbyteri Paroeciae SSmae Annuntiatae penes Archiepiscopum de violatione suorum iurium ex parte Sacerdotum Ecclesiae matricis conquesti sunt.

Qua petitione accepta Archiepiscopus exoptans finem imponere controversiae, quae cum maximo fidelium scandalo tamdiu agitata erat, iussit ut partes documenta pro suorum iurium defensione ad suum tribunal adducerent; quibus expensis, die 17 Iulii 1882 huiusmodi sententia favore Paroeciae SSmae Annuntiatae lata fuit: qua nempe Ecclesia haec declaratur libera atque independens a Paroecia matrici, quamvis utraque subsit eidem parocho communi, salvis matricis honoribus et primatu. Facultas datur Clero ss. Annuntiationis, parocho comitante, aut capellanis sacramentalibus, associandi cadavera proprii districtus, cruce elatâ, a domo defuncti usque ad coemeterium, libere transeundo per territorium alterius paroeciae. Quod si Clerus collegiatae interveniat pro mortuis paroeciae ss. Annuntiationis, Rmus Parochus, aut senior ex cappellanis Collegiatae, stolam induat, benedicendo cadavera, procedendo una simul cum Clero paroeciae sub cruce Collegiatae, ante Capitulum. Iubentur paroeciani ss. Annuntiationis, ut natos baptizare faciant apud propriam Ecclesiam, non vero apud Matricem, absque Parochi consensu. Declaratur Capitulum Collegiatae non habere exclusivum ius sacras peragendi functiones in Ecclesias districtus ss. Annuntiationis; cuius clerus valet, cum intelligentia Parochi, canere Missas aliasque peragere functiones in Ecclesias proprii districtus. Declaratur itidem ius esse Ecclesiae ss. Annuntiationis servandi in proprio archivio libros parochiales et ab eisdem fides extraendi, iuxta petitiones; quae fides subsignari debent a Parocho sive a Capellanis, minime a Capitulo. Pars autem succumbens damnata fuit ad iudicii expensas.

Ab huiusmodi sententia quidam Canonici uti Collegiatae deputati, et Cappellani sacramentales, die 4 Augusti 1882 appellationem ad S. C. C. interposuerunt, pluribus ex capitibus illam iniustitiae arguentes.

Digitized by Google

Requisitus Archipraesul pro informatione et voto, iudicialis sententiae actis transmissis, retulit: tria saecula elapsa ab erectione memoratae Paroeciae fuisse tria saecula contentionum et litium. Siquidem biennium vix effluxerat cum statim Archipresbyter electionem Capellanorum novae Paroeciae sibi vindicare conatus fuit contra fundationis decretum, statuens illos ab Archiepiscopo eligendos et approbandos fore. Verum assertum Archipresbyteri ius in prima iudicii sede reiectum a Tribunali regiae Monarchiae, Archipraesule inconsulto, recognitum fuit. Ex hoc originem habuere lites, simultates et praetentiones ex parte capituli erga clerum ss. Annuntiationis: quibus finem imponere censuit Antistes confirmando iura paroeciae ss. Annuntiationis a matrice distinctae et servando Matrici honores, privilegia, et praeregativas, quae eidem competunt.

Disceptatio Synoptica.

Iura Collegiatae. Qui Collegiatae s. Georgii iura protuitus est, Curiae sententiam nullitatis praeprimis redarguit ob formae a iure statutae defectum. Sustinuit enim haud rite citationem fuisse peractam, qua reis conventis totius controversiae status innotescere clare debuisset, cum iidem a Vicario foraneo nonnisi generaliter resciverint, Capellanos SSmae Annuntiatae de suorum iurium violatione conquestos petiisse, ut controversia penes archiepiscopalem Curiam ventilaretur, quin singula accusationis capita specifice pernoscere unquam valuerint, etsi pluries expostulaverint. Praeterea minime citati fuerunt Canonicus oeconomus, et quatuor administrationi Collegiatae deputati, quorum est, iuxta Statuta Ecclesiae matricis, iura tueri.

Alium sententiae defectum desumit orator ex eo quod adversarii legitima veste in iudicio sistendi careant, cum haberi debeant uti Capellani ab Archipresbytero delegati ac ad eius nutum amovibiles, ceu per sententiam definivit cardinalis Gravina. Pressius deinde patronus sententiam impetens,

Digitized by Google

ostendere curavit primo Paroeciam SSmae Annuntiatae, filialem ac Ecclesiae matrici subiectam esse: secundo gravamina a Capellanis proposita reiici prorsus deberi.

Primum itaque caput aggrediens ad trutinam revocavit Archiepiscopi Marullo decretum, quo, praeter matricitatis honorem, etiam alia iura Ecclesiae s. Georgii reservata voluit. Nova igitur Paroecia ita matrici fuit unita ut utraque pro una eademque Paroecia habenda foret. Excludenda igitur est unio aeque principalis, quae cum incorporatione absolute repugnat, quaeque iuxta Ferraris *Bibliot. Canon. Verbo Unio* §. 5 habetur « cum neutra Ecclesia alteri subiicitur, nec » ipsae coalescunt in unum corpus, sed ambo Ecclesiae ita » aeque principaliter invicem uniuntur, ut ambae adhuc » suum titulum atque honoris gradum retineant, et solum » ab uno eodemque Rectore regantur; sicque adhuc rema» neant duo beneficia omnino distincta v. g. duo differentes » Episcopatus, quamvis sit unicus et idem Episcopus. »

Ideoque incorporatio unius Paroeciae cum alia, nonnisi subiectivam unionem designare potest, cui locus fit iuxta eumdem Ferrari *cit. loc. n. 4,* « cum duo Ecclesiae ita » uniuntur ut non coalescant modo in unum corpus, sed » una sit superior, et alia inferior, ac accessoria superiori, » seu principaliori et solet fieri pro augumento dotis alterius » beneficii non habentis sufficientes reditus pro congrua be» neficiali substentatione. Unde talis unio nuncupatur ac» cessoria seu subiectiva. » Ex incorporatione igitur novae Paroeciae cum veteri vera dismembratio nequit admitti. Ideoque cum allata decreti verba tam clare demonstrent novam Paroeciam unitam Matrici permansisse, hinc erronee prorsus sententiae extensor asseruit in actu fundationis haud occurrere indicium unionis et adnexionis.

Aliud etiam argumentum adest ad ostendendum, novam Paroeciam nonnisi filialem et Ecclesiae matrici adiutricem esse. Si enim vera dismembratione duo Paroeciae independentes fuissent constitutae, Archipresbyter sui beneficii partem amisisset, qua novae Paroeciae praebenda efformari de-

Digitized by Google

Digitized by Google

modo indigitat intra quos limites et quibus fidelibus Cappellani Ecclesiae SSmae Annuntiatae in Sacramentorum administratione, ac sacrarum functionum exercitio Archipresbytero suam operam navare debeant. Finium itaque distinctio cum Paroeciarum incorporatione optime conciliatur. Quae interpretatio omnino retinenda est; nam si Archiepiscopi mens alia fuisset, aperte declarasset novam Paroeciam a Matrice distinctam prorsus fore; sed contra voluit tantum ut *distincta esset a Parochianis Parochiae matricis*. Cum enim sibi proposuisset spirituali fidelium bono consulere, qui ob nimiam distantiam ac viarum asperitatem nonnisi cum gravi incommodo matricem Ecclesiam petebant, filialem, et adiutricem Paroeciam erexit, et consultissime praescripsit ut novae Paroeciae Cappellani exclusive Archipresbyterum adiuvarent in gerenda cura parochianorum intra praefinitos limites commorantium.

Minime vero novae Paroeciae independentiam ostendunt fons baptismalis, ceteraque omnia, quibus instar aliarum Paroeciarum instructa fuerat. Haec enim qualitatem adiutricis Ecclesiae nullimode excludunt, cum absolute requirantur ne fideles cum maximo incomodo ad Matricem pergere debeant, uti fundator expresse voluerat.

Perperam pariter novae Paroeciae independentiam evinci contenditur ex eo quod Archiepiscopus Marullo ad illius erectionem devenerit tamquam Apostolicae Sedis delegatus, ac ex potestate a Trid. Conc. sibi facta *sess. 21 cap. 4,* et *sess. 24 cap. 13 De reform.* Quoties enim animarum numerus auctus fuerit, vel viarum difficultas adsit ad Paroeciam accedendi, nullo pacto tenentur Episcopi statim Paroeciam dismembrare, aliamque aeque principalem ac independentem erigere, sed libertate gaudent alia etiam ratione, quam iuxta locorum adiuncta utiliorem existimant animarum bono consulere. Id autem potissimum fit, Ecclesiam aliquam opportuniori loco sitam in Paroeciam filialem erigendo, ibique Sacerdotes Parochi coadiutores constituendo, quot sufficere possent ad paroecialia munera explenda. Quoties

Digitized by Google

bebat. Huiusmodi vero nova praebenda vel alteri Parocho, vel ipsi Archipresbytero conferri debuisset. Statuendum pariter erat, quod haec duo distincta beneficia diversis titularibus, vel utrumque Archipresbytero pro tempore assignandum foret. Huius tamen collationis ne verbum quidem in fundationis decreto reperitur. Quare si utramque Paroeciam Archipresbyter pro tempore semper obtinuit, id ex eo evenit, quod utriusque Paroeciae regimen vi praefatae unionis subiectivae et incorporationis, pro uno eodemque beneficio putatum iugiter fuit. Ad rem Berardi *Ius Eccles. De benef. Diss. 3 cap. 3, tom. 1 pag. 271,* post recensitas varias unionis species ita prosequitur: « Nam in primis aeque prin» cipaliter divisio fieri potest, quin una ex divisis Ecclesiis » ab altera pendeat, a qua seiungitur. Secunda divisio ita » fieri potest ut divisa Ecclesia ab altera pendeat a qua » seiungitur. Huius divisionis effectus est ut Ecclesia divisa » uti valeat privilegiis principalis cum adhuc consideretur » tamquam matricis Ecclesiae portio. »

Quod si de novae Paroeciae titulari Archiepiscopus Marullo silens. voluit tantum ut pro servitio *tam Ecclesiae, quam parochianorum* continuo interesse duo Sacerdotes deberent, sponte sequitur hosce censendos uti Cappellanos coadiutores Archipresbyteri, qui praedictae subiectivae unionis gratiâ novae Paroeciae rector evaserat, vel potius numquam esse desierat. Vi autem diversarum sententiarum Archipresbyteri iugiter Cappellanos elegerunt qui nonnisi ab iisdem delegati, ad eorumque nutum revocabiles semper habiti fuerant, ut evidenter ostenditur auctoritate archiepiscopi cardinalis Gravina.

Cum igitur ex tercentenaria consuetudine ad ipsius fundationis limen remeanti, et ex variis sententiis Archipresbyteri continuo Cappellanos elegerint tamquam suos delegatos, et ad nutum amovibiles, luculentissime evincitur Paroeciam SSmae Annuntiatae esse subiectam et adiutricem matricis Paroeciae.

Nec finium praefinitio aliquid iuvat, nam haec solum-

Digitized by Google

modo indigitat intra quos limites et quibus fidelibus Cappellani Ecclesiae SSmae Annuntiatae in Sacramentorum administratione, ac sacrarum functionum exercitio Archipresbytero suam operam navare debeant. Finium itaque distinctio cum Paroeciarum incorporatione optime conciliatur. Quae interpretatio omnino retinenda est; nam si Archiepiscopi mens alia fuisset, aperte declarasset novam Paroeciam a Matrice distinctam prorsus fore; sed contra voluit tantum ut *distincta esset a Parochianis Parochiae matricis.* Cum enim sibi proposuisset spirituali fidelium bono consulere, qui ob nimiam distantiam ac viarum asperitatem nonnisi cum gravi incommodo matricem Ecclesiam petebant, filialem, et adiutricem Paroeciam erexit, et consultissime praescripsit ut novae Paroeciae Cappellani exclusive Archipresbyterum adiuvarent in gerenda cura parochianorum intra praefinitos limites commorantium.

Minime vero novae Paroeciae independentiam ostendunt fons baptismalis, ceteraque omnia, quibus instar aliarum Paroeciarum instructa fuerat. Haec enim qualitatem adiutricis Ecclesiae nullimode excludunt, cum absolute requirantur ne fideles cum maximo incomodo ad Matricem pergere debeant, uti fundator expresse voluerat.

Perperam pariter novae Paroeciae independentiam evinci contenditur ex eo quod Archiepiscopus Marullo ad illius erectionem devenerit tamquam Apostolicae Sedis delegatus, ac ex potestate a Trid. Conc. sibi facta *sess. 21 cap. 4,* et *sess. 24 cap. 13 De reform.* Quoties enim animarum numerus auctus fuerit, vel viarum difficultas adsit ad Paroeciam accedendi, nullo pacto tenentur Episcopi statim Paroeciam dismembrare, aliamque aeque principalem ac independentem erigere, sed libertate gaudent alia etiam ratione, quam iuxta locorum adiuncta utiliorem existimant animarum bono consulere. Id autem potissimum fit, Ecclesiam aliquam opportuniori loco sitam in Paroeciam filialem erigendo, ibique Sacerdotes Parochi coadiutores constituendo, quot sufficere possent ad paroecialia munera explenda. Quoties

Digitized by Google

autem Episcopus aliâ ratione valet populi necessitatibus consulere, nequit recurrere ad dismembrationem et novae paroeciae erectionem: ita, prae ceteris, Ferraris *Bibl. Can. Verb. Dismembratio num. 15;* Barbosa *Collect. Trident. sess. 21 cap. 4,* Fagnan. *cap. 3 De Eccles. aedif. n. 18,* Monacelli *For. Eccles. tom. 1 tit. 2 form. 3 num. 4,* Lotter. *De re benef. lib. 1 quaest. 18 num. 41,* et Card. De Luca *De Parrochis Disc. 34,* et ad S. C. Trident. *Discept. 16 num. 3.* Van Espen. *Jus Can. part. 2 tit. 16 cap. 2 num. 33;* s. Rotae auditorium ac praesertim in *Aesina Parochiae 18 Iunii 1751 num. 5* et seqq. et in confirm. *28 April. 1752 num. 4* coram Elephantutio.

Itaque cum in themate spiritualibus populi necessitatibus, Paroeciam filialem ac dependentem constituendo subveniri optime potuerit, facile ostenditur Archiepiscopum novam Paroeciam ita erexisse, cum supponi nequeat, ipsum contra Trid. Conc. mentem, doctorum opinionum, et S. C. C. praxim agere voluisse. Nec subsumi valeret, animarum curae utilius provisum videri novam Paroeciam potius aeque principalem ac independentem, quam adiutricem tantum erigendo. Huiusmodi enim maior utilitas intelligeretur si novae Paroeciae proprius et peculiaris Parochus praepositus fuisset; at concipi nequit si, ut in themate, ab eodem Parocho Matricis per suos coadiutores regenda foret.

Quin imo perpendere praestat, tunc tantum duas Paroecias inter se distinctas ac independentes ab eodem Parocho regi, cum antea unaquaeque a peculiari rectore obtinebatur et postea eorum unio aeque principalis locum habuit, quia reditus ad utriusque Parochi substentationem defecerant. At inauditum hactenus fuit, Paroeciam aliquam dismembratam fuisse ad aliam, aeque principalem ac independentem, constituendam, quae tamen ex fundationis lege sub uno eodemque Parocho debeat perpetuo manere. Fundationis actui subsequuta observantia apprime consonat uti videre est in actibus sacrae visitationis ab anno 1629; atque uti declaratum fuit per sententias tribunalis regiae monarchiae.

Digitized by Google

Ad secundum suae allegationis caput Orator deveniens, demonstrare studuit singula gravamina a Cappellanis proposita, reiicienda fore. Siquidem iuris Canonici principia, quae ad Cappellanorum gravamina admittenda in medium adducuntur, suam vim exererent, si de Paroeciis aeque principalibus et independentibus ageretur, quae peculiarem Parochum haberent, minime vero cum, ut in themate, una est filialis ac ita Matrici incorporata, ut unum idemque paroeciale beneficium constituatur unico Parocho iugiter collatum. Cum itaque Curiae sententia Cappellanorum gravamina excipiens falso prorsus innitatur supposito, nullius ponderis est habenda. De singulis gravaminibus aliquid orator innuit, ut ostenderet singula esse reiicienda.

Decreta vero S. C. C. in adversa sententia allata quorum vi publicum coemeterium extra moenia positum omnium Parochorum iurisdictioni subest, ibique possunt sua iura quoad cadaverum associationem exercere, nullo pacto valent in themate applicari Paroeciae SSmae Annuntiatae incorporatae ac dependenti a Matrice. Horum decretorum intuitu ad summum concedi posset uni Cappellano, praevia Archipresbyteri venia, cadavera fidelium intra fines Paroeciae SSmae Annuntiatae associandi; sed huiusmodi facultas haud tribui posset eiusdem Paroeciae Clero, cum ex immemorabili consuetudine ad Matricis Clerum exclusive pertineat: atque functionum exercitium, ex Cardinalis Gravina decreto, Cappellanis cohibitum fuerit in sola Ecclesia SSmae Annuntiationis. Expendit autem alia sententiae capita, dixitque eadem inniti falso supposito independentiae Ecclesiae SS. Annuntiationis ab Ecclesia matrice.

Orationi suae Patronus finem imponens observavit quod usque dum unio non significabit divisionem, adnexio non denotabit separationem, et incorporatio non exprimet dismembrationem, numquam dubitare fas erit quin Ecclesia SSmae Annuntiationis unita, adnexa et incorporata Matrici, eidem etiam subiecta ab eaque dependens censeri debeat.

Iura Ecclesiae ss. Annuntiationis. Orator contra vi-

Digitized by Google

cariorum Curatorum SSmae Annuntiationis ostendere sibi proposuit appellationem illegitimam, sententiam vero legitimam ac iustam habendam fore. Et primum allegationis suae caput demonstrans, observavit paroecialia iura ab uno Parocho protueri posse. Iamvero appellantes non sunt Parochi, ideoque carentes actione ad paroecialia iura vindicanda ab ipso iudicii limine reiici deberent. Recolere enim praestat Communiam matricis institutam fuisse anno 1452, ut cum Parochus rationabili de causa abesset, eiusdem vices octo Presbyteri, pacta mercede, fungerentur: quod munus anno 1653 per publicum instrumentum sponte dimiserunt. Et Archipresbyter onus sibi assumpsit omnia administrandi sacramenta. Communia igitur nullo paroeciali iure gaudet, quod contra aliam Paroeciam vindicare possit, ac proinde appellationem, silente Parocho, propositam, utpote illegitimam, respuendam esse sustinuit.

Quod argumentum eiusdem ponderis esset, etsi fingeretur praefatos Sacerdotes in animarum cura partem aliquam habere. Cum enim penes Curiam a Parocho una cum Clero lis fuerit contestata, hinc ab iisdem appellatio interponi debebat. Verum in appellationis libello Parochi nomen haud occurrit, ideoque suo silentio satis innuit sententiam acceptam habuisse iuxta regulam iuris 45: *Qui tacet consentire videtur*. Praesertim cum loqui teneretur. Deficiente igitur Parochi appellatione, contendit Orator, sententiam in rem iudicatam transiisse.

Ad ostendendum deinde sententiam omnibus numeris absolutam esse, quibus uti legitima recenseri debeat, observavit haec requiri ad cuiuscumque iudicii substantialia, ut nempe adsit actor, reus, iudex, causa *Cap. Forum ss. Constat, de Verb. Signif.* Iamvero in casu actores sunt Vicarii perpetui Paroeciae Annuntiationis, reus est Clerus Matricis, Parochus nempe cum Presbyteris, Iudex ordinarius est Archiepiscopus, et causa violatio iurium paroecialium Ecclesiae Annuntiationis ex parte Cleri Matricis.

Inter substantialia numerantur etiam citatio, litis con-

Digitized by Google

testatio, defensio et sententia. Citatio de Archiepiscopi mandato per Vicarium Foraneum Caccabi facta fuit; qui die 20 Martii iterum peremptorium tempus diem 3 Aprilis ad documenta exhibenda partibus praefinivit, eoquod lis contestanda, et discussio die 13 eiusdem mensis peragenda erat. Archipresbyter Collegiatae citationem recepisse Vicario foraneo declaravit per litteras. Verum quoniam longius tempus ad documenta examinanda requirebatur, hinc nonnisi die 13 Iunii praesentibus Archipresbytero, Clero Matricis eorumque Patrono ex una parte, ac Vicariis Curatis Paroeciae Annuntiationis ex alia, lite contestata et controversia formiter discussa, die 24 Iulii 1882 sententia Archipresbytero Matricis ab apparitoribus intimata fuit. Ipsemet Archipraesul in literis superius relatis omnia rite processisse testatur. Nec asseri posset ultra petita iudicatum fuisse, nam iudex, Paroeciae independentia a Clero Matricis vindicata, singulos articulos de iure definivit. Ex quibus conclusit sententiam a Curia prolatam legitimam prorsus esse.

Sententiam ad iuris normam latam demonstrans, sustinuit novam Paroeciam ab Archiepiscopo Marullo aeque principaliter Ecclesiae matrici unitam fuisse. Huiusmodi enim unio non potuit esse extinctiva, quia secus Archiepiscopus eo ipso quod novam Paroeciam erigebat, hac unione illam destrueret, sed neque subiectiva cum primatus praerogativae tantum Matrici reservatae fuerint. Ideoque unionem aeque principalem voluit, qua a Matrice independens utraque sub uno Rectore unita maneret, quia paroecialis congrua tunc temporis constitui non poterat.

Et sane Archiepiscopus Marullo anno 1584 attenta lege Trid. Conc. Sess. 21 Cap. 4, ubi statuitur ut in iis locis « in quibus ob locorum distantiam, sive difficultatem, pa- » rochiani sine magno incommodo ad percipienda sacra- » menta, et divina officia audienda accedere non possunt, » novas Paroecias, etiam invitis rectoribus...... constituere » possint Ordinarii » *Sess. 24 Cap. 13;* novam Paroeciam constituit Matricem dismembrando. Quod autem ille veram

Digitized by Google

dismembrationem ad Concilii normam peragere voluerit ex Decreti verbis eruitur. Unionem vero aeque principalem fuisse sequentia verba ostendunt. « Quam tamen Parochiam » circa administrationem sacramentorum et aliorum officio- » rum distinctam esse voluit a parochianis Ecclesiae ma- » tricis. »

Quoniam vero unus Parochus animarum curam in utraque Paroecia per se ipsum gerere non poterat, hinc statuitur « ut parochiali Ecclesiae ss. Mariae Annuntiationis pro servitio tam Ecclesiae, quam parochianorum, continuo interesse deberent duo Sacerdotes..... qui quotidie sacram Missam celebrarent, Sacramenta administrarent... mortuos sepelirent, et alia ad curam animarum necessaria recte exercere tenerentur. »

Duos autem perpetuos Vicarios veros esse Parochos, et Parochum Matricis nomine tenus, ob deficientiam nempe congruae Parochum novae Paroeciae appellari ex eo ostendit Archipraesul quod illorum nominationem et approbationem sibi ac successoribus reservavit. Iure meritoque id statuit tum quia in limine fundationis quascumque honestas conditiones fundator apponere potuit etiam contra Const. S. Pii V, *Ad exequendum* anni 1567, qua statuitur Vicarios perpetuos a Parocho nominandos, et ab Episcopo confirmandos esse, tum quia Trid. Conc. Episcopis potestatem fecit providendi « alio utiliori modo, prout loci qualitas exegerit. »

Adeo verum est huiusmodi unionem ob temporaneum congruae defectum fuisse peractam, ut putaverit tunc temporis utilius esse Vicariis curatis consulere iuxta Cap. 13 Sess. 24 - ibi - « In parochialibus Ecclesiis, quarum fructus » adeo exigui sunt, ut debitis nequeant oneribus satisfacere, » curabit Episcopus ut... primitiarum vel decimarum assi- » gnatione, aut per parochianorum symbolos ac collectas, » aut qua commodiori ei videbitur ratione, tantum rediga- » tur, quod pro Rectoris aut Parochiae necessitate decenter » sufficiat. »

Ecclesiae vero legibus minime adversatur unum Paro-

Digitized by Google

chum duabus Paroeciis praeesse, ut observat Curiae sententia cum Bouix *De Parocho* pag. 193 - ibi - « Quod etsi unum » in singulis Parochiis constitui Parochum regulariter ma- » gis expediat, illa tamen unicitas non videtur essentialiter » requiri; imo nec a iure positivo exigi tamquam ex regula, » quae nulli exceptioni obnoxia esse debeat. » Praesertim cum in alia Paroecia perpetui Vicarii adsint. Nullum igitur dubium superesse sustinuit orator, Paroeciae dismembrationem iuxta formam a Tridentino Conc. statutam peractam fuisse, eo vel magis cum omnes hoc sensu decretum iugiter intellexerint, et Tribunalium sententiae pluries id confirmaverint.

Hoc autem, quod controversiae fundamentum constituit, demonstrato, adversariorum petitiones nihili prorsus faciendas Orator sustinuit, et facile resolvi ait gravamen Capellanorum ss. Annuntiationis. Ipsi enim petunt, ceu corpus iuridice et canonice existens, posse comitari cadavera quatenus a defuncti parentibus vocentur. Hoc autem perperam denegat Clerus Matricis, cum sacri canones consanguineis vel haeredibus facultatem tribuant ad funus quos maluerint vocare, dummodo defuncti Parochus haud excludatur. S. C. C. die 29 Augusti 1601 iam censebat quod « Parochi debent vocare » ad funera Clericos destinatos ab haeredibus, non alios. » Et anno 1617 declaravit quod « haeredes defunctorum pos- » sunt vocare numerum Sacerdotum sibi benevisum. »

Idem statuit civilis lex Regni Neapolitani die 11 Novembris 1751 Nicolaus *Civ. inst. lib. 4 tit. 24 num. 25.* Quod iuri canonico apprime consonat *Cap. penult. de Sepulturis in 6.* Iniuria igitur sustinebant Presbyteri Matricis a funere parochianorum Annuntiationis Clerum huius Paroeciae a consanguineis defuncti invitatum excludere cum defunctus extra moenia sepeliendus foret. Nec opponere valet rem iudicatam Tribunalis anni 1787; qua statuitur pertinere ad Ecclesiam matricem comitari cadavera extra moenia sepelienda; quae usque ad moenia comitata fuerint a parocho defuncti.

Digitized by Google

Ab huiusmodi reiudicata Archiepiscopus recedere non potuisset, si res nunc temporis in eodem statu manerent. Sed hodie omnia cadavera tumulanda ad publicum coemeterium, quod ex pluribus S. C. C. decisionibus parochialis Ecclesiae locum tenet, hinc Cleri Matricis petitiones nullo pacto sunt admittendae. Et revera si olim Parochus et Clerus Annuntiationis cadavera proprii districtus usque ad ultimam Civitatis domum comitabatur, sponte consequitur hodie ad coemeterium illa comitanda fore, iuxta verba Actorum S. Sedis *Vol. V Ap. VI pag. 222* in sententia Curiae citata: « Parochi quando adsunt in publico coemeterio defunctum associantes, sunt in loco propriae iurisdictionis; ibique exercere possunt erga proprium defunctum omnes iurisdictionis actus quos exercerent in proprio paroeciali coemeterio. » Quae doctrina fundatur in iuris principiis, quorum primum est: *per publica coemèteria iura Parochorum sarta tectaque manere ibid. vol. 1 par 85,* alterum : *publica coemeteria recens introducta esse loco coemeterii paroecialis ibid. Ap. VI loc. cit.*

Nec refert quod Parochus defuncti ad publicum coemeterium petendum per alienam Paroeciam transire debeat; nam S. C. C. statuit uti monet Ferraris *Bibl. Can. Verbo Parochus Art. 3 num. 36.* « Potest proprius Parochus de- » functi ad effectum deferendi processionaliter cadaver ad » alias Ecclesias, libere transire per quascumque Parochias » cum stola et Cruce elevata, etiam irrequisitis Parochis. » Cui dispositioni consonant plures et nuperrimae decisiones tum S. C. C. tum S. Cong. EE. RR.

Praeterea ss. Annuntiationis presbyteri petebant, ut unicuique eorum liceret Missam canere et functiones peragere in qualibet districtus Ecclesia, cuius ipse sit Rector, Deputatus aut Capellanus. Ast Clerus Matricis id denegavit, innixus art. 10 praerogativarum. Verum quisque facile percipit discrimen inter petitionem, et art. 10 cum nequeat Parochus impedire quominus Rector alicuius Ecclesiae, in sua Paroecia sitae, illas functiones peragat, quae paroecialia

Digitized by Google

iura non laedunt. Neminem sane latet percelebre decretum S. R. C. editum Urbi et Orbi anno 1703; sub num. 3 quaeritur: « *An Confraternitates erectae in Ecclesiis publicis, habeant quoad functiones aliquam dependentiam a Parocho* » et resolutum fuit: « *Negative.* » Pariter sub n. 4 quaeritur: « *An Confraternitates erectae in Oratoriis, tam publicis quam privatis, seiunctis ab Ecclesiis parochialibus, quoad dictas functiones ecclesiasticas, habeant dictam dependentiam a Parocho.* » Et responsum fuit: « *Negative.* » Et sub num 10 statutum fuit, celebrationem Missarum solemnium sive pro vivis, sive pro defunctis non esse de iuribus parochialibus. Quibus S. R. C. decretis plures resolutiones S. C. C. apprime consonant.

Petierunt capellani ss. Annuntiationis ut vetaretur Capellanis Matricis administratio Baptismi parvulis, natis in districtu eiusdem Paroeciae ss. Annuntiationis. Huiusmodi petitio iamdiu resoluta fuerat implicite in ipso decreto Archiepiscopi Marulli, qui Paroeciam liberam, et independentem erexerat; explicite pluribus sententiis Tribunalis ecclesiastici et Monarchiae.

Tandem iidem Capellani petierunt ut quaelibet paroecia, nomina defunctorum proprii districtus exscribat in propriis regestis. Panormitana Curia perpendens etiam in hisce duabus petitionibus postulari exercitium eorum iurium, quae ad Parochialem Ecclesiam pertinent, illas admisit.

Hisce aliisque deductis, propositum fuit diluendum

Dubium

An sententia Curiae Panormitanae diei 17 Iulii 1882 sit confirmanda vel infirmanda in casu.

Resolutio. Sacra C. C. omnibus ponderatis, sub die 5 Aprilis 1884, censuit respondere:

Ad mentem: mens est, ut Archiepiscopus, cum primum ei licuerit, erigat in Ecclesia ss. Annuntiationis

Digitized by Google

verum Beneficium parochiale, conferendum ad formam iuris, salvis iuribus matricitatis favore Ecclesiae s. Georgi. Quo vero ad expensas litis primi gradus Archiepiscopus provideat de bono et aequo. (1)

LUCANA

IURIUM

Die 10 Maii 1884.

COMPENDIUM FACTI. Sodalitas s. Antonii oppidi *Viareggio* Lucanae archidioecesis, in paroeciali Ecclesia eiusdem Sancti erecta, die 7 Septembris anni 1881 S. C. C. retulit: ibidem Confraternitatem SSmae Annuntiatae in alia Ecclesia constitutam esse; ex consuetudine autem immemorabili Sodalitium hoc adfuisse processionibus, ceram deferendo; nunc vero nolle interesse nisi paroecia ceram tradat, et nisi eidem praecedentia concedatur super Sodalitio recurrenti: hinc scandala enasci, ait recurrens Sodalitium, adprecatumque est s. C. Congregationem ut consulere dignaretur.

Archipraesul rogatus retulit; Sodalitium SSmae Annuntiationis erectum anno 1621, praesumere sub tutela et patro-

(1) Saeculares quaestiones quae tum a principio exarserunt, haud adfuissent, si usque a principio veram paroeciae matricis dismembrationem Antistes peregisset, novamque erexisset paroeciam, a prima omnino distinctam. Hoc remedium, quo omnes sopiuntur lites et contentiones, innuit prudentia iuris EE. Iudicum, respondendo quod Ecclesia ss. Annuntiationis sit erigenda in verum beneficium parochiale, ad formam iuris conferendum. Hoc responso confirmatur iurisprudentia, quae, relate ad dismembrationem, invaluit a medio fere saeculo elapso. Olim enim dismembratio remedium extremum habebatur; ita ut etiamsi iusta haberetur causa, tamen Ecclesia dismembrationi non subiiciebatur, quoties consuli potuisset spiritualibus populi necessitatibus per praesentiam capellani in aliqua cappella.

Verum nuperrima iurisprudentia, sapienter ab EE. Iudicibus sequuta, mitior est, nostrisque hisce temporibus aptior. Depravati enim mores incautae iuventutis, et massonicae septae, quae veluti lupi rapaces furunt ut Christi gregem devorent, nisi necessitatem absolutam, saltem utilitatem portendunt evidentem multiplicandi pastores. Inter populi pastores autem veros parochos praeferendos esse vicariis nemo non videt.

Digitized by Google

cinio esse gubernii civilis. Exinde factum est ut eiusdem Constitutiones, anno 1832 reformatae, civilis auctoritatis tantum approbationem obtinuerint; Constitutiones vero reformatas anno 1878 omni approbatione carere. Sacras functiones ex Gallorum irruptione initio huius saeculi intermissas, paulo post peragere Sodalitium perrexisse. Cum vero canonice erecta esset Sodalitas s. Antonii, illico praecedentiae quaestiones exarsisse; quae difficili ratione componi queunt, quamvis omnia egerim, ait Antistes, ut pacifice componerentur.

Quibus praehabitis S. C. C. rescripsit, ut Sodalitas SSmae Annuntiationis subiiceret nova statuta approbationi Archiepiscopi, qui curaret controversiam circa praecedentiam de bono et aequo componere. Archipraesul itaque a memorato Sodalitio obtinuit, ut propria Statuta suae approbationi subiicerentur. Operam etiam navavit ut controversia circa praecedentiam de bono et aequo dirimeretur. Verum cum animadverteret, optatam partium concordiam ad effectum perduci non posse, decrevit: pertinere ad Sodalitium SSmae Anuntiationis processiones festi Titularis, Inventionis s. Crucis, Sacratorum dierum Veneris, et Demortui Iesu tertio quolibet anno.

Ad Sodalitatem s. Antonii pertinere processiones festi Titularis, SSmi Rosarii et Rogationum. Processioni ss. Corporis Christi, pertinenti ad Sodalitium SSmi Sacramenti, interesse debere duas praefatas Sodalitates cum cera propria; Sodalitium autem SSmae Annuntiationis primum obtinere locum post SSmi Sacramenti Confraternitatem. Alteram Sodalitatem interesse posse alterius processionibus, dummodo secundum teneat locum et aere proprio acquisitam deferat ceram.

Disceptatio Synoptica.

Defensio sodalitii s. Antonii. Patronus a Sodalitate s. Antonii adlectus pluribus evincere studuit, archiepiscopale decretum confirmandum fore. Ac in primis id ostendit

Digitized by Google

ex dispositione Tridentini Concilii *sess* 25 *cap.* 13 *de Reform.* ubi haec statuuntur: « Controversias omnes de praecedentia, quae persaepe maximo cum scandalo... in processionibus publicis... oriuntur, Episcopus, amota omni appellatione et non obstantibus quibuscumque, componat. » Hinc Sperelli Eugubinus Episcopus in *decisione* 179. *num* 6 ait: « huiusmodi Episcopi sententias maxime attendendas esse, quia munus est Episcopi componere controversias de praecedentia... in processionibus aut aliis, quae in tumulandis defunctorum cadaveribus contingunt, et quidem de plano et sine strepitu et figura iudicii ac omni amota appellatione. » Cum itaque Archiepiscopus Tridentinae praescriptioni inhaerens suo decreto controversiam composuerit, illud confirmandum sustinuit.

Iuri autem consonum esse ac fini utriusque Sodalitatis ex eo ostendit, quod Archiepiscopus in assignandis propriis processionibus Sodalitio ss. Annuntiatae prae oculis habuit eiusdem statutum anno 1878 editum, et die 1 Martii 1882 ab eodem approbatum. Quod autem Archiepiscopus Sodalitio s. Antonii processionem in festo s. Titularis attribuerint, id iuri et statuto maxime consonum est, cum utrumque exigat ut Confraternitas Sanctum titularem et patronum peculiari cultu veneretur; eo vel magis quia ceu Titularis Ecclesiae, in qua Sodalitium est erectum, ac Civitatis patronus honoratur.

Quoad supplicationem vero SS. Rosarii adnotandum, huiusmondi festum in paroeciali Ecclesia solemniter celebrari. Cum autem Sodalitium s. Antonii ibidem sit erectum, hinc ius processionis peragendae ad idem spectare debet.

Hoc pariter erat statuendum de Rogationibus quae iuxta decisionem S. C. EE. et RR. diei 12 Martii 1601 inter processiones generales recensentur. Iamvero istae propriae sunt paroecialís Ecclesiae s. Antonii, quae, iuxta primum Concilium provinciale Mediolanense, a *maiori Loci Ecclesia* incipiunt, et ad eamdem redeunt. Archiepiscopus igitur in processionum assignatione iuris normam sequutus, Sodalitati s. Antonii processiones proprias Ecclesiae paroecialis, in qua est instituta, attribuit.

Digitized by Google

Nec obiiciatur, Archiepiscopum in primo et secundo decreti articulo suas facultates excessisse; siquidem in statutorum approbatione potestatem eadem immutandi sibi reservavit. Perperam autem assereretur, Antistitem Sodalitio ss. Annuntiatae iniuriam suo decreto irrogasse: et sane ad memoratas processiones, praevia Parochi invitatione, accedebat: quod octuagenarii testes evincunt et ipsa Sodalitas fatetur aiens, parochum pro tempore curasse, ut eadem interveniret. Iamvero invitatio ex ipsa rei natura nemini ius praebet, ut semper invitetur, ex quo libertatem in eo qui invitat praesupponat.

Praeterea invitatio, cui Sodalitas innititur, est conditio, ob quam contendit processiones peragere, et proprias esse. Atqui « conditio sive tacita sive expressa » impedit ortum obligationis ; Sperelli *Dec.* 40 *n.* 41, et est vulgare adagium, *Conditionem nihil ponere in esse.* Posita igitur invitationis conditione, nullum ius Sodalitium ad processiones peragendas adducere potest.

Nec ex invitationis consuetudine ius aliquod adversarii assecuti fuerunt. Etenim consuetudo obligatoria nullo pacto exurgere potest ex actibus facultativis, qui voluntati dumtaxat innituntur. Quare Canonistae passim docent cum Constantino *in voto* 447 *n.* 84. « Consuetudo coactiva non inducitur ex actibus facultativis » et clarius Surdi in *Consilio* 127 *n.* 81. « Per actus merae facultatis, longo tempore continuatos, non introducitur consuetudo, quia non apparet per hos actus, quod voluerim iuri meo praeiudicare, cum utar facultate mihi concessa. » Quod constanter retinuit s. Rota, ut in *Dec.* 478 §. 11 *rec.* « Consuetudo ut obligandi vim habeat, coactiva non facultativa esse debet » in *Calaguritana Decimarum S. Petri* 21 *Iunii* 1697, *coram Molines;* in *Caesenaten.* seu *Ariminen. Iuris privati* 16 *Iunii* 1743 *coram Calcagnino et* in *Asculana Iuris privati* 8 *Iunii* 1751 *coram Contada.* Incassum igitur adversarii ex consuetudine invitationis paroeciales processiones suas esse contendunt.

Digitized by Google

Et immerito adversa Sodalitas conqueritur de eo quod decretum fuit relate ad processionem SSmi. Corporis Christi. Receptum est enim apud omnes praecedentia in processionibus Eucharistici Sacramenti, isti Confraternitati competere. « Confraternitas autem SS. Sacramenti in festo Corporis Christi aliisque processionibus, in quibus defertur SS. Sacramentum, praecedere debet omnibus aliis. » Bassi Ep. Anagninus *De Sodal. quaest.* 11 *n.* 5: et merito: « cum ad hoc praecipue sit instituta, ut ipsum » SSm̃ae Eucharistiae Sacramentum associet immediate, « et propterea in huiusmodi actu tamquam sui muneris proprio, debet ceteris omnibus praeferri. » Pignatelli *tom.* 4 *Cons.* 196 *num* 1.

Quin imo hoc idem adversa Sodalitas admisit in concordia cum Confraternitate SS. Sacramenti anno 1826 inita. Ideoque iniuria prorsus hoc decreti caput iniustitiae arguit. Neque ius offendit decretum quoad cerae delationem ; nam in articulo 4 memoratae conventionis statuitur esse Sodalitatibus onus praebendi propriis fratribus ceram.

Iamvero vulgatum est effatum, quod semel plâcuit amplius displicere non potest. Nhil enim tam fidei congruit humanae quam ea custodire, quae mutuo conciliata consensu placuerunt *L. Non minorem Cod. de transac.* Unde sequitur, quod etsi mutuo consensu conventio dissolvi possit, non tamen altera parte invita, liceat resilire *L.* 5 *Cod. de transact.* ne quidem interveniente rescripto Principis *L.* 5 *Cod. de transact.* Quamobrem iure Archiepiscopus id sancivit.

Praetera hoc idem praxi et consuetudini consonum est. Et sane adversa Sodalitas propriam ceram ab immemorabili in processionibus deferebat; quam consuetudinem testatur tum scribens ad Sodalitium SS. Sacramenti, tum ad Commissionem s. Protectoris Civitatis, ut ex summario scatet. At consuetudo praesertim immemorialis vim legis habet, cum vim suam nanciscatur ex agentium voluntate, qui eatenus actus quosdam operantur, ut obligationem exinde inducant, *Leg.* 32 *ff. de*

Digitized by Google

leg. Imo cum in themate sit immemorialis ceu patet ex confessione adversae Sodalitatis, naturâ suâ valorem induit veri ac legitimi tituli, eâque praeditus Parochus s. Antonii et recens Sodalitas, titulum de mundo meliorem allegare possunt. *L. In summa 2 ff. De aqua et aquae pluviae arcendae*, Rota *recent. part.* 1 *decis.* 677 *num.* 4, *et* Card. De Luca *lib.* 15 *disc.* 21 *De iudiciis num.* 50. Quapropter, Orator intulit, immemorabilem observatiam ex parte adversae Sodalitatis patrocinari favore Parochi et Confraternitatis s. Antonii, nedum in linea interpretativa, et praesumptiva, sed etiam in praescriptiva. Iuri ergo et praxi innixus Archiepiscopus decrevit, ceram deferendam esse ab adversa sodalitate.

Nec opponatur procuratores festi ss. Rosarii quandoque cessisse instantiis Sodalitatis ss. Annuntiatae et ceram contra consuetudinem subministrasse. Nam hoc est peculiare factum individuorum, ex pietate potius ortum, contra quod Parochus illico reclamavit. Ceterum unius factum in alterius detrimentum alligari non potest, et *alteri per alterum iniqua conditio inferri non potest* ex *Lege ff.* 74 *De reg. iuris.* Proinde nullo pacto tenetur Parochus vel Confra ternitas s. Antonii adversae Sodalitatis ceram suppeditare.

Decrevit insuper Archipraesul Sodalitio ss. Annuntiationis primum competere locum post ss. Sacramenti Confraternitatem. Etsi Sodales s. Antonii acquieverint, Patronus tamen observavit Sodalitatem ss. Annuntiatae die 1 Martii 1882 statuta Archiepiscopi approbationi subiecisse, ideoque ab hac die canonicam existentiam fore repetendam, cum Confraternitates a Summo Pontefice vel ab Episcopo sint erigendae. Contra Sodalitas s. Antonii ab Archiepiscopo die 16 Augusti 1880 fuit iustituta. Porro iuxta laudatum Bassi in praecedentia statuenda qualitas et antianitas erectionis perpendi debent. Deficiente vero Archiepiscopi approbatione Confraternitas nuncupari ecclesiastica nequit. Cum igitur Confraternitas s. Antonii die 16 Augusti 1880, altera vero ss. Annuntiatae die 1 Martii 1882 fuerit approbata, de-

Digitized by Google

ducit patronus, praecedentiam priori tribuendam esse. Eo vel magis id est admittendum cum iidem Consodales apertissime fassi fuerint eorum Sodalitium laicum esse, ac uti tale iugiter permansurum fore.

In postremo decreti articulo statuitur: Sodalitas altera interesse alterius processionibus poterit, quatenus velit, dummodo secundum occupet locum, propriisque impensis ceram deferat. Hoc etiam esse iuri et praxi conforme Patronus contendit, cum ex praecedentibus articulis immediate sequatur. Hinc merito Antistes Sodalitati ad alterius processiones accedenti illas praescripsit conditiones, quibus putavit quamcumque controversiam in posterum amovendam fore.

Siquidem Confraternitates laicorum possunt quidem ad processiones invitari, non tamen compelli; Ricci *Sol.* 308 *num.* 5. Atque ad Episcopum spectat decernere quid agere expediat ad scandala evitanda. Imo Ioan. Antonelli addit quod « haec facultas Episcopo competit, etiamsi ex dictis controversiis nullum sequatur scandalum, *lib. 2 par. 6 cap. 5 num. 9 de iurib. Clericor.* » Cum itaque Antistes hac utens potestate decretum ediderit, hoc confirmandum esse censuit orator.

Quod patet etiam ex eo quod Archiepiscopus hac ratione controversiam de bono et aequo composuerit. Explorati vero iuris est *aequitatem multum remittere de iuris rigore* prouti dicuit Rota *decis. 360 num. 3 coram Ratto.* Cum igitur Antistes attentis tum peculiaribus loci circumstantiis, tum S. C. Congregationis mandato controversiam diremerit, eiusdem decretum approbandum est.

Defensio Sodalitii ss. Annuntiationis. Orator contra qui ius praecedendi favore Sodalitii B. M. Virginis ab Angelo salutatae defendendum assumpsit, in allegatione cum summario distribuenda, vetustissimam eiusdem originem cum Ecclesiastica approbatione, praesertim ex documento eiusdem Curiae, demonstravit. Haec siquidem testata est, praefatum Sodalitium originem habuisse *an. 1621* et habere suas Constitutiones, quas *exhibuit typis impressas* et re-

Digitized by Google

formatas anno 1707, cum confirmatione b. m. Card. Spada *die 3 Maii 1710 qui confirmavit et Constitutiones antiquissimas olim approbatas a Dño Vic. Flaminio Nobili die 25 Sept. 1685* etc.

Cum porro ex eodem documento constet interesse Confratres in Ecclesia parochiali cum luminibus *Fer.* 5, et 6. Maior. hebdomad. ad Processionem, sicut et in Domin. in albis, et in *Vespertina Vigilia s. Antonii,* idcirco adnotavit processiones proprias Sodalitii ssmae Annuntiationis illas esse, quae in statutis recensebantur. Atque adeo, subdit, a praefato Sodalitio ex officio et obligatione esse peragendas, ut ipsemet Archiepiscopus easdem in reformatione statutorum confirmaverit.

Producto sed vero argumento super saeculari observantiâ pro adaequato thesis criterio, animadvertit adiuncta extrinseca, et quasdam concessiones aut limitationes, ceterum non contrarias Tridentinae Synodo *sess. c. 8 de refor.* non esse confundendas cum actibus Ecclesiasticis qualis est praecedentia prouti edoçet Bassus *de sodalitiis Quaest. 8 n. 2.* Praesertim quia attendi debet quod fuit observatum conformiter ad Ecclesiasticam disciplinam, scilicet Constitutionem Gregorii XIII incip. - Exposcit - quae praecedentiam declarat Confraternitatum inter se sub clausula *sublata, et decreto irritanti.*

Hisce aliisque praenotatis in facto rationibus extrinsecis et intrinsecis, decretum Curiae archiepiscopalis esse infirmandum triplici ex capite Orator demostrare curavit.

Itaque in primo capite affirmavit Decretum non sustineri inspecto fine, quem habuit Tridentina Synodus, et incompetentia iurisdictionis. Ac inter alia putavit decretum non posse dici latum virtute Concilii Tridentini *sess. 25 cap. 13 de reform.* quod iubet, ut Episcopus e vestigio controversias componat, quae absque mora componendae sunt, ne in publico scandala suscitentur, iuxta ea quae tradit Gallemartius in *declar. eiusdem Capitis.* ac Bassus *cit. op. Quaest. XI n. 6, licet Episcopo in vim conciliaris dispositionis liti-*

Digitized by Google

gantibus pro tunc silentium imponere, et alteri ex partibus digniorem locum concedere et assignare cum declaratione, quod per huiusmodi actum non intendit iuribus utriusque partis praeiudicium aliquod inferre. Atqui, subdit, decretum emanatum fuit post biennium a suscitata controversia; ergo non aderat necessitas illud edendi attribuendo in iure certum locum Confraternitati ss. Annuntiationis, canonice erectae usque ab anno 1621, dum haec sola ius habebat habetque cunctas associandi. Quamquam etiam in casibus necessitatis unicuique ius suum reddendum est, quando evidenter Constitutio et observantia *praecedentiam* antiquiori attribuunt; *Riccius dec. 90 n. 1, Gallemar. cit. loc. verbo amota, Tusc. de Visit. L. 2 cap. 15, Franc. Leo d. cap. 13 num. 8, Passerini quaest. 189 Tom. 3* etc.

Sed vehementius adurget, decretum non sustineri quia excessit Ordinarius mandatum s. Congregationis, et offendit iurisdictionem eiusdem, quae fuit iam de argumento praeventa, siquidem in irritum cessis compositionis officiis, nil aliud, affirmavit, agere debuisset, nisi de resultantibus S. C. Congregationem instruere et a quacumque promenda sententia aut decreto, abstinere: ne *mandatum* expressum ad unam causam extenderetur ad aliam causam non expressam, iuxta receptissima principia; *Rota dec. 546 num. 3, p. 2* etc.

Ast non modo mandatum excessisse sustinuit, sed etiam non servavisse praestitutam in *substantialibus* iudicialem formam, eo quod Lucanus Praesul careret iurisdictione quando iam a mense Sept. 1881 S. Congregatio erat praeventa. Pendente igitur iudicio penes superiorem, ligantur manus inferioris. Imo adeo praevalens ac rigorosum esse meminit ius praeventionis ut quicumque, postquam unam adierit Congregationem, ad alteram confugerit, nulliter agat, et gravissimis poenis ex decreto Innoc. XII afficiatur prouti latius evolvit *S. Congreg. in Rossanen. diei 11 Iun. 1738.* Ex quibus deduxit Patronus, si nullum irritumque est decretum unius Congregationis in ordine ad praeventionem

Digitized by Google

alterius, potiori ratione irritum, nullumque esse decretum inferioris Iudicis, ne primi secundique iurisdictionis gradus confundantur.

In secundo capite intrinsecam causae iustitiam constituit protuens, Sodalitium ssmae Annuntiationis a duobus, et ultra saeculis canonice fuisse approbatum. Ad hoc peremptorie decidendum satis superque esse contendit documentum ab ipsa Curia archiepiscopali productum videlicet. « Erecta est in hac Ecclesia B. M. V. ab Angelo salutatae societas sub titulo eiusdem Virginis, quae utitur *cappa alba,* originem habuit ann. 1621 Martii. » Habet suas Constitutiones quas exhibuit typis impressas *cum confirmatione b. m. Cardinal. Spada die 3 Maii 1710, qui confirmavit, et Constitutiones antiquissimas olim approbatas a Vicario Flaminio Nobili die 25 Sept. 1685.* Ex quo deducit, tempore insuspecto adesse canonicam approbationem, erumpentem ex actu aequivalenti, qui sufficit ut suppleatur autographis qui tempore Gallicae rebellionis perierunt. Tralatitium porro esse quod Vicarius generalis valet approbare erectionem Confraternitatum ; quippe qui vi officii sui nomine Curiae facultatem habet *expediendi negotia et causas omnes quae pertinent ad iurisdictionem Episcopi ordinariam , Huth Ius Canon. Lib. 1. Tit. 28 q. 3.* Erectio autem semel approbata non debet iterum tractu temporis approbari, nec accidentales modificationes ipsam substantiam vulnerant.

Praeterea cum compertissimum sit quod ad erectionem Confraternitatum necessario approbatio Superioris ecclesiastici requiratur vel vera, vel *praesumpta* Ferraris *voc. Confraternitas add. n. 1,* et Rota in Pistorien. *13 Ian. 1768 cor. de Vay,* nec alteram deesse affirmavit. Siquidem duo Cardinales Spada, et Spinola primus, ex confessione Curiae, confirmavit antiquas Constitutiones, alter vero Sodalitium recognovit in Visitatione pastorali. Hinc illi et successivi Episcopi ratum semper habuerunt quod initio erectum fuit, perinde ac si canonica approbatio expresse intercessisset.

Digitized by Google

Proprium enim est cuiuslibet *ratihabitionis ut trahatur retro ad tempus initi contractus*, Mantica de *tacit. et ambig. L. IV tit. 6 n. 65.*

Verum sed hisce sepositis ad canonicam existentiam Sodalitii SSmae Annuntiationis, praeter alias praesumptiones enuuciativas, et alias praerogativas quae sunt communes reliquis confraternitatibus, canonice ac rite existentibus, notorium documentum satis est, ut praeexistentia ejusdem Sodalitii SSmae Annuntiationis revinci valeat a tempore supra hominum memoriam; quamquam ad antianitatem determinandam sufficeret una dies ante fundationem alterius, videlicet s. Antonii sodalitii quod tribus abhinc annis fuit erectum. Atqui testes idonei de longaeva observantia, deque centenaria existentia deposuerunt, Sodalitium ss. Annuntiationis in exercitio functionum ecclesiasticarum dependentiam habuisse ab auctoritate Episcopi, induens cappam albam, atque utens Tymbrâ ss. Annuntiationis.

Quo constituto in facto, iuris theorias meminit, videlicet per centenariam observantiam praesumi quemcumque titulum meliorem de mundo *ob facultatem allegandi privilegium Apostolicum, vel quemcumque alium titulum de mundo meliorem, quem sufficit allegare, absque necessitate probationis ita pracsumptive resultantis a possessione centenaria. Vigore centenariae allegari valet quicumque titulus de mundo melior absque necessitate illum iustificandi, quoniam ipsa centenaria observantia stat loco probationis, De Luca De Benefic. Disc. 32 n. n. 2 de Canon. Disc. II. num. 2.*

Hinc inter Canonistas Ursaya per centenariam non modo Episcopi, sed et Summi Pontificis beneplacitum inducit *Disc. Eccl. Tom. III. p. 2 dis. 16 n. 181* – ibi – « ceterum » admisso adhuc, sed nusquam concesso quod in unione, de » qua agimus requireretur Apostolicum Beneplacitum, ex dicta » fere triplicata observantia, non unum, sed mille Aposto» lica beneplacita, et quemcumque alium meliorem magisque » utilem titulum de mundo allegare possumus et constanter

Digitized by Google

» asserere omnia legitime facta fuisse. » Hinc s. Rota in *Decis. 962 cor. Molines n. 31* « Centenaria est ille melior » titulus de mundo, quo *mediante omnia acquiruntur* ». Ac in *Praenestina 22 Martii 1849 cor. Martinez* « Qui » possessione utitur centenaria, is certe quocumque meliori, » ac potentiori titulo, iureque suffultus est. Vis pactum? » Vis privilegium? cuncta haec, et si quid aliud exo- » ptes ex possessione centenaria sunt praesumenda ». Unde auctoritate S. C. C. in Lucana *Praeminentiarum 25 Iunii 1823* §. *Consuetudinem* et in Faventina *Procurationis*, deducit Orator, quod habens centenariam allegare valeat privilegium; non tamen contra habens privilegium, allegare potest centenariam.

Quod si, Orator subiunxit, aliqua peculiaris praetensio subintroducta fuerit, tunc semper praevalent ii actus, qui sunt conformes iuri ac praeordinatis regulis: etenim in difformitate observantiae, ea series actorum praevalet, quae cum iure Canonico magis consonat Rota *dec. 74 n. 22 par. 6 rec.* unde qualiscumque, si quae existeret, in separatis ac ceteroquin obiectis abnormitas prorsus eliminatur, ad tradita per Rigan. *in reg. LIV Canc. tom. 5 n. 18.* Gratianus *Disc. 95 n. 8 etc.* Ex hoc igitur capite Defensor conclusit, vitiosum fuisse primitivum adversae partis libellum, perinde ac si solummodo Confraternitas s. Antonii canonice existeret, quando sodalitas ss. Annuntiationis a 363 annis legitimam, et ecclesiasticam existentiam habuerit.

In *tertio capite* ad ius facto applicandum transit, principium protuendo quod praecedentia in omnibus processionibus spectat ad antiquiorem Sodalitatem ss. Anuuntiationis prae Confraternitate s. Antonii, unde art. 4 decreti rm̃i Ordinarii, non sustineri, ait, eo quod indirecte constitutam a s. Sede regulam subvertit inquiens: altera Sodalitas interesse poterit alterius processionibus, si vult, dummodo secundum teneat locum.

Enimvero Gregorius XIII in generali Constitutione - *Exposcit* - ordinem praecedendi inter Confraternitates praecise

Digitized by Google

declaravit, iussitque districte observari cum clausula *sublata et decreto irritanti*. Praenotavit Orator, Pontificem motum fuisse ad generalem normam statuendam, quia in multis civitatibus et diversis mundi dioecesibus controversiae inter Confraternitates obortae fuerant, hinc in parte dispositiva ita *num. 3 cit. Const.* iussisse. « De nobis attributa po-
» testatis plenitudine volumus et apostolica Auctoritate
» decernimus, ut qui in *quasi possessione* praecedentiae, ac
» iuris praecedendi sunt, ii (quibuscumque reclamationibus,
» appellationibus et aliis subterfugiis postpositis) in proces-
» sionibus *tam publicis, quam privatis praecedere debeant.*
» Quando vero non probetur, aut non constet de quasi pos-
» sessione praecedentiae inter Confraternitates, inter se li-
» tigantes, ii qui prius saccis usi sunt in processionibus *tam*
» *publicis, quam privatis* praecedere debeant etc. » Sicque per quoscumque Iudices, et Commissarios S. R. E. Cardinales *sublata* eis, et eorum cuilibet quovis aliter iudicandi, et interpretandi facultate et auctoritate iudicari, et definiri debere, ac quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari *irritum et inane* decernitur.

Hanc et generalem normam secutam fuisse S. Congregationem Rituum, productis decretis ex Gardelliana Collectione confirmavit Orator: adducens resolutionem in *Nepesina num. 377*; ita pariter in *Thelesina num. 1079.* « Orta differentia inter Confratres Confraternitatum s. Antonii, et s. Conceptionis Terrae Cereti circa praecedentiam in Processionibus, supplicatum fuit declarari cuinam Confraternitati sit danda praecedentia in Processionibus? Et S. C. respondit: praecedentiam dandam esse illi Confraternitati, quae *prius saccis usa est iuxta dispositionem* Bullae Gregorii XIII quae incipit *Exposcit* die 25 Iulii 1583. » Idemque servari iussit s. Rituum Congregatio in *Lunen. Sarzanen. diei 19 Iunii 1639,* in *Thelesina 19 Martii 1611* etc.

Quibus decretis constanter Canonistae obtemperant; Pi-

Digitized by Google

gnatelli *Tom. IV Const. 86* et Ferraris *art.* VI. v. *Confraternitas num. 31.* « Inter Confraternitates laicorum illa praecedit, quae est in possessione praecedendi, et cum nihil ea de re constet, *quae prius saccis* induta est. » Inter porro Liturgistas, De Herdt. *Prax. Pontif. cap. XXXIII t. 3 n. 214* – ibi – « Inter Confraternitates iuxta *Constit.* Gregorii XIII *25 Iulii 1583* praecedere debent quae sunt in quasi possessione praecedentiae, et si de hoc non constet, tunc illae quae prius saccis usae sunt. In omnibus tamen processionibus in quibus defertur SS. Sacramentum praecedentia debetur Confraternitati SS. Sacramenti, etiamsi haec recentioris sit institutionis, dummodo eadem ad alias processiones accedat, et antiquioribus tunc locum cedat etc. » Ex quibus omnibus deducit nullam fieri inter quascumque processiones distinctionem, et praeterea limitationem factam favore Confraternitatis SS. Sacramenti confirmare regulam generalem ex veteri adagio *exceptio* firmat regulam.

Demum adducit exempla huius Urbis quae in hac materia sequi oportet. Archisodalitium siquidem s. Gonfalonis in omnibus processionibus, et funerum associationibus reliquas praecedit, eoquod ante omnes alias erecta sit. Et Archisodalitium s. Nicolai vulgo in *Arcione,* quantumvis diu noctuque occasione Missionum operam suam praestiterit, tamen in publica poenitentiae processione suo loco incessit iuxta erectionis tempus.

Hisce aliisque deductis, propositum fuit diluendum

Dubium

An sit confirmandum, vel infirmandum decretum in casu.

Resolutio. Sacra C. Congregatio, re discussa, censuit respondere:

Decretum esse confirmandum; ita ut salvis iuribus Confraternitatis SSmi Sacramenti, praecedentia pertineat ad Sodalitium SSmae Annuntiationis.

Ex quibus colliges. I. In processionibus tam publicis,

Digitized by Google

quam privatis, ex iure praecedere ea Sodalitia debere, quae sint in quasi possessione praecedentiae ac iuris praecedendi.

II. Si formiter haud probatum fuerit utri ex litigantibus Sodalitiis quasi possessio faveat, tunc praecedere debere ea quae prius saccis usi fuerint in processionibus, tam publicis, quam privatis.

III. Sodales ss. Sacramenti frui specialibus privilegiis supra ceteras Sodalitates; et in processionibus quibus ss. defertur Sacramentum, eisdem competere ius praecedentiae supra alia Sodalitia, etiam antiquioris institutionis (1).

IV. SS. Annuntiationis Sodalitium in themate videri alias praecessisse Sodalitates, tum in canonica erectione, tum in quasi possessione praecedentiae prae aliis Sodalitatibus.



TAURINEN.

FACULTATIS ADVOCANDI

Die 5 Aprilis 1884.

Per summaria precum.

Compendium facti. Sacerdos Antonius annos 70 natus sacratissimum Principem supplex adivit, exponens: sese ab anno 1861 advocatum egisse apud laicorum tribunalia, eo quod destitutus erat omni medio ad vitam alendam: ast in hoc exercitio non defuisse Cleri pauperumque utilitatem: vitamque statui ecclesiastico consonam duxisse: ita ut advocatorum coetus oratorem magni existimaverit omnibus in adiunctis. Nunc autem cupiens propriae consulere conscientiae, ab Apostolica sede exposcit pro tempore acto sanationem, pro futuro exercendi facultatem. Antistes requisitus

(1) Confer Vol. II, 296 in nota, quae refert atque citat documenta varia Summorum Pontificum et decisiones ss. Romanarum Congregationum, quoad ss. Sacramenti Sodalitatem. Recole etiam Vol. XIII, 162; quo alia relata est quaestio praecedentiae inter Confraternitates.

Digitized by Google

fuit ut referret an ex petita concessione admiratio aut scandalum oriri posset; nec non utrum et quanam de causa in tanta ecclesiasticorum virorum penuria orator non deberet potius honestae sustentationis media exquirere ab exercitio ecclesiastici ministerii. Qui respondit: sine admiratione et scandalo oratorem egisse advocatum absque Apostolicae Sedis consensu. Amodo vero admiratio enasci posset in populo quatenus eidem denegaretur expetita facultas; quia nemo dubitavit oratorem, praeditum non fuisse Apostolico beneplacito. Quoad alia de quibus rogatus sum, ait Antistes, animadvertendum est, oratorem annos 70 iam supergressum esse, in causarum defensione: hinc ad evangelizandum verbum Dei, et ad excipiendas fidelium confessiones amplius aptari nequiret. Variae ex officio peractae fuere animadversiones tum pro concedenda, tum pro deneganda advocandi facultate. Tandem quaesitum est quomodo Oratoris preces essent dimittendae.

Resolutio. Sacra C. Congregatio, sub die 5 Aprilis 1884 censuit respondere:

Praeviâ sanatione quoad praeteritum, pro gratia quoad futurum, quousque orator honestae substentationis media aliter fuerit consecutus; ita tamen ut in iudiciis criminalibus ad defensionem tantummodo scribat et agat, facto verbo cum SSmo.

AVENIONEN. ET VALENTINEN.

TRANSLATIONIS PENSIONIS

Die 10 Maii 1884.

Compendium facti. Petrus Franciscus Xaverius de Reboul de Lambert, Episcopus Sancti Pauli Tricastinensis in Gallia anno 1779, instituto haerede universali pronepote suo Carolo Francisco Pisani de la Gaude, inter alia, 80,000 libellarum summam legaverat, cuius annuus reditus

Digitized by Google

in educationem iuvenum suae dioecesis, qui ecclesiasticae militiae adscribi cuperent, impenderetur.

Interea ob iniquas leges latas a Gubernio Gallico circa bona ecclesiastica, praelaudatus Episcopus, addito codicillo die 28 Decembris 1790, pia legata, utpote quae intentum effectum iam sortiri non possent, revocavit. Processu temporis, cum universi orbis gratulatione restaurata fuerit in Galliis Catholica religio, novaeque dioeceseon circumscriptioni per Concordatum et Bullam *Christi Domini* provisum fuerit, dioecesis s. Pauli Tricastinensis suppressa fuit, atque inter Avenionensem, Aquensi subiectam, et Valentinensem, Lugdunensis suffraganeam, divisa.

Cum vero ab Imperatore Napoleone testatoris haeres Pisani de la Gaude, Episcopus Namurcensis renunciatus fuerit, ab eodem obtinuit, ut bonorum dispositio ex avunculi sui testamento sibi pertinentium, ex parte saltem revivisceret. Quibus tandem ex asse ecclesiastico liquidatis, ut aiunt, anno 1806 duas fundavit pensiones 600 francorum debiti publici (*Consolidato iscritto*) vinculo obligatas et postea ad 540 francos reductas, quarum titulos Seminariis metropolitanis Lugdunensi et Aquensi inscribi fecit, ut impenderentur in duos iuvenes ex antiqua dioecesi s. Pauli, qui ecclesiasticis studiis in praefatis Seminariis operam darent. Alumnorum vero nominationes ad Episcopos tum valentinensem tum avenionensem libere pertinerent.

Anno 1822, sedes Avenionensis, diutinâ aliquorum summorum Pontificum commoratione illustrata, ad dignitatem Metropolis evecta est, sedesque Valentinensis a Lugdunensi discerpta ipsius suffraganea effecta. Unde, dum antea antiqua dioecesis Sancti Pauli inter duas dividebatur Metropoles, nunc soli Metropolitanae avenionensi subiacet. Hinc sponte sua fluere videbatur, quod pensiones, olim duobus Seminariis metropolitanis attributae ad unum Seminarium avenionense convenirent. Quod revera factum est anno 1827 non reprobante, imo adprobante ipso fundatore Episcopo Namurcensi adhuc vivente, et ambabus deinceps pensionibus

Digitized by Google

avenionense Seminarium fruitur. Ad hoc deinde Seminarium iuvenem ex antiqua dioecesi s. Pauli Episcopi Valentinenses mittere solebant usque ad annum 1879, ex quo hodiernus Episcopus valentinensis alumnum mittere desiit ea de ratione, quia in suo quoque Seminario a Gubernio recognito edisci poterat. Archiepiscopus avenionensis sese opponens rem detulit iudicio Apostolicae Sedis.

Attamen Episcopus valentinensis, paucis animadversis, quaesivit ut sibi redderetur census quatuor annorum perceptos a Seminario avenionensi. Quaesivit etiam ut dictus annuus census in posterum solveretur Seminario valentinensi, ut in eo aleretur iuvenis s. Pauli Tricastinensis, quae nunc Dioecesi valentinensi iuncta est.

Disceptatio synoptica

Antistitis avenionensis iura. Archiepiscopus Avenionensis translationem pensionis haud concedendam esse contendit, fretus in primis clarâ fundatoris voluntate. Ab omnibus siquidem admittitur et est iuri naturali omnino consonum, fundatorem alicuius beneficii in ipso limine fundationis edicere posse quascumque conditiones honestas et possibiles, etiam iuri communi adversantes; quae conditiones semel appositae ad unguem observari debent iuxta *can. 4 caus. 13 quaest. 2* « Ultima voluntas defuncti modis omnibus servari debet. » et Concil. Trid. *sess. 25 c. 5 de Ref.* Hoc vero ab Episcopis eo magis observari debet, quod ipsos utrumque ius coegerit ad explendas « dilatas defunctorum » pias voluntates. » ex cap. *Nos quidem 3 de Testam. et Tua nobis 17 eod. tit.* consonatque ius civile in *Novella 137 cap. 11.* Haec in iure.

In facto est Episcopum namurcensem pensiones fundasse pro alumnis antiquae dioecesis s. Pauli, easque constitui fecisse duobus Seminariis metropolitanis Lugdunensi et Aquensi. Hanc autem claram et expressam fundatoris voluntatem desumendam ostendit in pluribus ipsius litteris. Contra vero tam claram et expressam fundatoris volun-

Digitized by Google

tatem ageret Archiepiscopus, si translationi pensionis ad Valentinense seminarium assensum praestaret. Sane, ait, « haec translatio nonnisi ex praesumpta voluntate fundatoris fieri posset: pro principio autem habetur voluntatem praesumptam expressae voluntati cedere. Quum ergo hic habeamus expressam, praesumptae voluntati contrariae locus non patet. »

Neque minori argumento frui Archiepiscopus videtur ex longissima possessione, et explicita sui iuris agnitione a valentinensibus Episcopis facta. Quandoquidem ab anno fundationis pensionis, nempe 1806, usque ad annum 1879, Episcopi valentinenses alumnos miserunt pensionatos ad Seminaria metropolitana, Lugduni primum, dein Avenionis, quod ab anno 1827 possidet titulum pensionis a Lugduno translatae. Non immerito proinde post septuaginta tres annos, talemque Valentinensium praesulum praxim, legitimae praescriptionis auctoritatem sibi succurrere asseruit Archiepiscopus. Porro, si per tot annos nihil contra avenionensis Seminarii iura tentatum est, nullaque iuridica translationis invocata ratio, neque hodie, nullis mutatis circumstantiis, novae quaedam translationis ratio suppetere potest.

Demum nullius momenti esse asseruit rationes pro translatione ab Episcopo valentinensi allatas. Primo quidem animadvertit quod, cum rationes pro translatione inducere debent voluntatem praesumptam fundatoris, illae tantum validae erunt quas non cognovit nec praevidit fundator; illae autem quas cognovit, sed neglexit, nullimode invocari possunt, quia praesumptio probationi cedere debet. Atqui omnes rationes ab Episcopo valentinensi allatae fundatori notae fuerunt, ut ex singulis patebit: nullius ergo roboris sunt dicendae.

Frustra omnino in primis invocatur testamentum Episcopi Tricastinensis; nam praeterquam quod in eo nihil invenitur circa locum pensionum, hoc testamentum, quoad pensiones, omnem suum legalem valorem per revocatorium codicillum amisit; quamvis proinde avunculi sui intentiones

Digitized by Google

adimplere saepius professus sit Episcopus Namurcensis, ipse tamen de suis bonis fundavit pensiones; et ab ipsius voluntate unice repetendae sunt conditiones pensionibus appositae. Nec ullum momentum habere ait secundam rationem ab Episcopo valentinensi adductam, legalem nempe existentiam Seminariis dioecesanis a Gubernio anno 1813 tributam, praeter Metropolitana. Iamvero quando anno 1822 Sedes avenionensis Metropolis effecta est, inter duo erat eligendum: vel pensionem Seminario Valentinensi tribuere, vel ad Metropolitanum avenionense transferre. Verum constat fundatorem, tunc Episcopum Tornacensem, hoc postremum selegisse, ex epistola ad Archiepiscopum avenionensem die 20 Ianuarii 1826.

Huic vero voluntati minime obstare potest difficultas allata circa sensum verbi metropolitani Seminarii. Concesso enim quod canonice loquendo idem non sibi velit quod in lege Gallica 13 Martii 1804, at saltem significat Seminarium dioecesanum Ecclesiae metropolitanae: quid vero in ea obstare potest quin aliquis fundator pro dioecesi suffraganea in illo pensionem constituat? Nec magis prodesse potest alteri parti quod translatio a Lugdunensi Seminario ad Avenionense facta fuerit, absque consensu Episcopi valentinensis tunc existentis, imo eo inconsulto; nec haberi authenticum translationis documentum. Quandoquidem ius Episcopi valentinensis semper idem manet tum ante tum post sequutam translationem, neque per hanc ullo modo laesionem patitur, semper enim ius habet nominandi Clericum ad pensionem Seminarii metropolitani. Nam adnotavit Archiepiscopus revera dici non posse translationem peractam esse inconsulto Episcopo valentinensi. Duae siquidem prostant epistolae Rectoris Seminarii avenionensis ad Vicarium generalem valentinensem anno 1827, in quibus instanter petitur ut quantocius fieret translatio. Praesumi autem non potest quod Episcopus valentinensis non fuerit a suo Vicario hac super re informatus. Demum authenticum translationis documentum habetur in ipso titulo pensionis.

Digitized by Google

Nec meliori fundamento niti videtur ratio deducta ex inaequalitate divisionis antiquae dioecesis s. Pauli, cuius viginti et octo paroeciae attributae sunt Valentiae, octo vero tantum Avenioni: et tamen uni et alteri dioecesi eadem pensio assignata fuit pro uno iuvene: quandoquidem in translatione pensionis respectus tantum Metropolitani Seminarii habitus fuit, non vero numero paroeciarum.

Ad secundum dubium quod attinet, constito de iure exclusivo Seminarii metropolitani possidendi pensionem, non esse locum videtur restitutioni fructuum usque adhuc perceptorum Seminario valentinensi. Cum enim hoc nominationis iure usus non fuerit, cum libere potuerit, iuri suo renuntiasse censendum est. Praeterea si advertatur, pensionem ea de ratione attributam fuisse Seminario avenionensi ut ex ea aleretur iuvenis a dioecesi Valentinensi mittendus, cum per illud non steterit quominus apposita conditio adimpleretur, obtinet in casu regula 41 *iuris* in VI. « Imputari non debet ei, per quem non stat si non faciat, quod per eum fuerit faciendum. »

Neque ex iustitia restitutio facienda videtur cum ditius Seminarium avenionense factum fuerit; hoc enim evenit non ex facto suo, sed praecise ex facto illius qui damnum evitare poterat; unde ultro remisisse putatur. Additur alia ratio extrinseca nec levioris momenti; si enim restitutioni fructuum locus esset, facillime Episcopo valentinensi aperiretur via ad eludendam fundatoris voluntatem. Neglecta enim singulis annis pensionati nominatione, repetitioni fructuum quotannis causa praeberetur, atque ita effective pensio transferretur in Seminarium valentinense.

Antistitis Valentinensis iura. Ex altera parte Episcopus valentinensis multis rationibus adstruere conatur necessitatem translationis, quam voluntati praesumptae fundatoris omnino conformem esse tradit. Verum quidem est fundatorum voluntates apprime esse ad unguem servandas; occurrentibus at vero circumstantiis, a testatore non praevisis recte praesumitur primaeva illius intentio non perdurare.

Digitized by Google

Iam quidem haeres testatoris Pisani de la Gaude pluries asseruit se, fundando pensiones, implere velle avunculi sui intentionem in testamento expressam, ideoque animadvertit non suo nomine factam esse liquidationem. Cum vero in testamento ne verbum quidem fiat de loco cui adiudicandae erant pensiones, praesumendum est nec haeredem ipsum locum determinasse, nisi extrinsecis circumstantiis motus fuisset; quibus cessantibus ad nudam testamenti executionem redire certo voluisset.

Extrinsecas porro circumstantias, quibus motus fuerat fundator ad pensiones Metropolitanis seminariis adsignandas, has esse ait. Tempore fundationis pensionum anno 1806 unum pro unaquaque provincia Seminarium recognoscebatur a Gubernio, metropolitanum nempe, quod legaliter possidere poterat. Cetera vero Seminaria dioecesana, nondum plene restituta, legali recognitione non fruebantur. Quapropter fundator putavit pensiones pro duobus alumnis in tuto ponere easdem duobus metropolitanis Seminariis assignando, solis tunc legali existentia praeditis.

Porro ex lege 13 Septembris 1813 legalem recognitionem obtinuere etiam Seminaria dioecesana; cessare proinde videbatur ratio, ob quam fundator securitati pensionum consulere volens, illas metropolitanis Seminariis inscribi curavit. Exinde animadvertit Episcopus non admodum insistendum esse modo pro voce *metropolitani Seminarii:* haec enim eâdem fruuntur existentiâ ac alia Seminaria dioecesana, tum quoad legem civilem, tum quoad sacros canones. Praeterea dici nequit pium fundatorem praetulisse Seminaria metropolitana aliis Seminariis. Ipse enim per institutionem legatorum studii in Seminario Lugdunensi, tunc unico existenti in hac Provincia ecclesiastica, nihil aliud sibi velle ait, quam favore prosequi mentem avunculi sui, quoad educationem religiosam iuvenum dioecesis s. Pauli; proinde recte praesumi posse ex voluntate testatoris pensiones adnexas debuisse manere Seminariis metropolitanis non ultra durationem illius legis.

Digitized by Google

Neque praetereundum est pensiones istas solutas fuisse a Gubernio titulo restitutionis faciendae partis redituum fundatoris de Remboul de Lambert, quas fiscus obliguriverat anno 1789. Hinc in vim legis recognitionis Seminariorum metropolitanorum praefatae pensiones tradi non poterant nisi locis quae capacitate civili praedita erant.

Ulterius, dum Episcopus namurcensis sub die 21 Martii 1823 admonebat de translatione pensionis ab aquensi ad avenionense Seminarium, nullam mentionem fecit de pensione inscripta lugdunensi Seminario pro Clerico valentinensi. Quapropter huiusmodi factum quod contra opponitur, militare potius videtur favore Seminarii valentinensis.

Hinc pariter dum translatio ab aquensi ad avenionense Seminarium fuerat peracta consensu utriusque Archiepiscopi die 13 Octobris 1815, ex altera parte nullus unquam intercessit actus pro translatione Valentinensis pensionis a lugdunensi ad avenionense Seminarium. Habetur siquidem quod anno 1827 sub die 28 Martii Rector Seminarii avenionensis conquerebatur cum Vicario generali valentinensi renuentiae Episcopi ad translationem peragendam, eumque ad hoc incitabat. Ex litteris porro diei 22 Decembris 1839 et 7 Februarii 1840 deprehenditur Archiepiscopum avenionensem recognovisse saltem impliciter necessitatem actus formalis translationis; verum cum documentum ullum reperire haud potuerit nec in Archivio Archiepiscopali, nec in Officiis Notariorum, illud ab Episcopo valentinensi requirebat utpote qui debuerat actui interesse: quod tamen praestari haud potuit, quia numquam actus ullus translationis intercesserat.

Quapropter, rebus sic stantibus, dici posse videtur Episcopum namurcensem non potuisse proprio marte mutare statutas conditiones et acceptas relate ad pensionem pro Dioecesi valentinensi anno 1805. Iniusta porro videtur obligatio Episcopi valentinensis mittendi alumnos ad Seminarium avenionense: et minus conqueri poterit translationis

Digitized by Google

Archiepiscopus avenionensis ex quo viginti novem paroeciae ex suppressa dioecesi Sancti Pauli unitae sunt Valentinensi et novem tantum, inter quas Sedes ipsa Sancti Pauli, unitae sunt Avenionensi, et utraque dioecesis tamen aequali pensione donata fuit.

Denique non potest intelligi quomodo quis Episcopus voluerit subditum obligare ad alienum adeundum Seminarium, ut studiis ecclesiasticis incumbat procul ab oculis legitimorum Superiorum, absque ulla relatione illorum, quibus cum postea convivere debet. Hanc autem rationem tanti facit hodiernus Episcopus valentinensis, ut propter hanc quinque abhinc annis alumnum ad Seminarium avenionense mittere desierit; putans minus malum pati ex huius subsidii privatione, quam habere obligationem suos subditos mittendi ad alienum Seminarium cum onere postea eos beneficiis providendi, quin de eorum scientia et moribus certiorari potuerit. Quod quidem non apprime convenire videtur sanctioni Concilii Tridentini, districte praecipientis obligationem Episcoporum invigilandi circa studia et mores Clericorum, ut digni fiant et apti ministerio animarum.

Hinc petitionem Episcopi valentinensis omnino conformem esse patet tum praesumptae fundatoris voluntati, tum consonam aequae rationi, et legi Tridentinae.

Quoad secundum dubium Episcopus valentinensis petit favore sui Seminarii fructus pensionis, quinque ab hinc annis perceptos a Seminario avenionensi. Constito quandoquidem illam fundatam esse favore iuvenum Dioecesis valentinensis, eiusdem fructus praeverti non licet contra fundatoris voluntatem. Cum ergo ad illam ius habeant clerici Valentinenses, hoc iure frustrari nequeunt; cui iuri cum correlativa respondeat obligatio fructus impendendi in illorum educationem, hinc sequi plane videtur obligationem adesse fructuum usque adhuc perceptorum restituendi, cum obligatio illa adimpleta non fuerit.

Advertatur praeterea quod Episcopus valentinensis interim suo in Seminario educationi incubuit illorum iuvenum;

Digitized by Google

e contra nullas impensas fecit Seminarium avenionense, ideoque iniusta videtur retentio fructuum quinque annorum, eo quia ex illis ditius factum fuerit cum iactura Seminarii valentinensis.

Hisce rationibus utrinque perpensis, proposita fuerunt definienda

Dubia.

I. *An sit locus translationi pensionis favore Seminarii valentinensis in casu.*

Et quatenus affirmative

II. *An sit locus restitutioni fructuum quinque annorum eiusdem Seminarii favore, in casu.*

RESOLUTIO. Sacra Cong. Concilii, re disceptata sub die 10 Maii 1884, censuit respondere:


Ad primum negative.

Ad secundum provisum in primo.

EX QUIBUS COLLIGES. I. Utrumque ius consonum esse in hoc, ut piae testatorum voluntates omnibus modis serventur; etiamsi in limine fundationis alicuius beneficii ipsi testatores apposuerint conditiones iuri communi contrarias, dummodo fuerint honestae et possibiles.

II. Esse iuris principium quod expressae voluntati testatorum cedere debeat voluntas praesumpta; praecipue si ad hanc adstruendam adducantur argumenta testatoribus nota, et ab eisdem posthabita.

III. In themate videri nulla afferri posse nova rationum momenta, quibus fulciatur praesumpta testatoris voluntas; nam adiuncta omnia quoad Seminaria et Dioeceses nota fuerunt Episcopo namurcensi, vero pensionum fundatori.



Digitized by Google

GRATIANOPOLITANA

FACULTATIS MISSAM ITERANDI

Die 10 Maii 1884.

Per summaria precum.

Compendium facti. Sacerdos Chaloin parochus loci vulgo *Cour et Buis* ad pedes Sacratissimi Principis provolutus humillime exposuit: « se quotannis, iuxta usum in dicta parochia inveteratum, consuevisse SSmum Missae Sacrificium iterare die 2 Novembris in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum; scilicet celebrando unam Missam parochialem in *Cour*, et alteram in Capella sectionis *Buis*. Quum vero nunc serio dubitetur de existentia legitimi Indulti pro huiusmodi facultate binandi, enixe supplicat ut haec facultas sibi benigne concedatur. » Preces Vicarius generalis commendavit.

Disceptatio Synoptica.

Gratia deneganda videtur. Neminem enim latet Ecclesiam expresse prohibuisse ne idem Sacerdos SSmum Sacrificium Missae eodem die iteret. Neque aliquid facessit pro hac facultate concedenda invocata consuetudo: quippe quae, testante Vicario generali, eadem non ascendit nisi ad triginta circiter annos. Iam vero iuxta pragmaticorum doctrinam consuetudo tantum immemorialis vel saltem centenaria est, quae natura sua valorem induit veri ac legitimi tituli, et praesumere facit beneplacitum Apostolicum; De Luca *de Reg. disc.* 47 *n.* 11 Reiff. *de Praescript. n.* 144 Rota *dec.* 574 *n.* 11 *part.* 19.

Gratia concedenda videtur. Ex altera parte animadversum fuit satis notum esse singulare privilegium, quo Sacerdotes omnes tam saeculares quam regulares in Hispaniarum et Lusitaniae regnis fruuntur, ut in die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum possint singuli tres

Digitized by Google

Missas celebrare. Quapropter nihil obstare videtur, quominus parocho oratori missam iterandi praedicta die facultas concedatur, praesertim si pro alterius applicatione nullum recipiat stipendium. Immo non desunt pro gratia elargienda peculiares rationes. In primis adest memorata consuetudo, quae licet non sit centenaria, est tamen longi temporis, quaeque insuper nunc evelli non potest absque timore irritationis generalis in populo. Accedit existentia coemeterii prope dictam Capellam, quod usque nunc inservit sepulturae defunctorum eiusdem sectionis *Buis*.

His igitur aliisque perpensis, et maxime quod nunc est in voto omnium, ut s. Sedes pro tota Ecclesia extendat privilegium, quo gaudent Hispani, quaesitum fuit quid precibus esset respondendum.

Resolutio. Sacra C. Concilii, die 10 Maii 1884 censuit respondere:

Pro gratia ad quinquennium, facto verbo cum SSmo.

LEGIONEN.

RESIDENTIAE

Die 10 Maii 1884.

Compendium facti. Legione apud ecclesiam s. Isidori Capitulum collegiale habetur, quod vitam et formam obtinuit ex Bulla S. P. Eugenii III et voto Comitiorum in oppido *Palencia* accitorum. Huius Capituli status singularis prorsus existit, siquidem Capitulares, dum e Clero saeculari assumuntur et per vices ab Episcopo et ab Hispaniarum Rege, tamquam patrono, nominantur et dum cuique ipsorum a civili gubernio pensio tribuitur, quae loco praebendae est, vicissim ipsi insimul habitare tenentur sub quadam regula quae dicitur esse s. Augustini. Et postquam nominati sunt, canonicam institutionem obtinere non valent, nisi integrum annum apud ecclesiam transegerint viventes

Digitized by Google

iuxta cuiusdam novitiatus normas. Ex hoc ista Collegiata *Regularis* solet nuncupari. Et eius status recentius comprobatus est in Concordato anni 1851, et in Bulla S. P. Pii IX *Inter Plurima* data die 29 Iulii 1859.

Asseritur autem Bullam Pii IX absque executione adhuc manere, forsan quia anno 1835 religiosa domus occupata fuit a Consilio Provinciali, ex praecepto civilis potestatis; atque ita sublata Capitularibus domo, et vitam communem desiisse et novitiatum amplius perfici non potuisse, imo et qui exinde nominati sunt canonici, institutionem in beneficio obtinere haud valuisse consequens erat. Hisce historice enarratis, en factorum series, quibus praesens gignitur controversia. Quum hodiernus Episcopus ad Legionensem sedem evectus est hoc malum invenit, videlicet plures sacerdotes, qui vel in Legionensi vel in alia dioecesi animarum curae addicti erant, a Regio patrono fuisse nominatos ad Canonicatus s. Isidori; et exinde Legione commorari pensionemque recipere; nec tamen parochiam dimittere, imo eam retinere, hac forsan ductos de causa, quod institutionem in Canonicatu adhuc non obtinuissent: ideoque plures paroecias Vicariis per indefinitum tempus cum animarum damno et plebis offensione esse commissas.

In hoc rerum discrimine cum consilium a S. Sede Episcopus rogavisset, S. C. C. die 24 Ianuarii respondit, ut Episcopus « sacerdotibus, de quibus in precibus, terminum praefigeret, et quatenus ipsi veri canonici diiudicari nequeant, redeant ad residentiam parochialem, et consulant conscientiae suae quoad reditus canonicales absque legitimo titulo perceptos: termino autem inutiliter elapso procedat contra detrectantes ad formam iuris. Quatenus vero iidem sacerdotes diiudicari debeant veri Canonici, idem Episcopus procedat contra eosdem ad formam iuris, nisi infra congruum terminum alterutrum beneficium dimittant. »

Huius rescripti vi omnes Canonici s. Isidori qui simul parochiam obtinebant, illam prompte dimiserunt, praeter Ioannem Sanchez, parochum ss. Salvatoris in oppido *Villa-*

Digitized by Google

manam. Hic enim utrumque, sive paroeciam sive canonicatum dimittere detrectabat; et cum saepius paterno more ab Episcopo monitus esset, ut alterutrum, iuxta legem seligeret, verba infructuosa evaserunt. Ideo tandem solemnibus litteris diei 9 Aprilis 1880 praescriptum ei fuit ut intra octiduum praeceptis sibi factis pareret. Verum tunc poposcit, ut quaestio ad tribunalia deferretur; et legionensis Praesul pro bono pacis, ut ipse ait, precibus acquievit; et ad hanc causam videndam canonicum doctoralem Caietanum Sentis delegavit.

Porro coram iudice sacerdos Sanchez se parochum esse confessus est; talemque permanere velle, usquèdum ad canonicatum s. Isidori institutionem non obtineret: tum enim lubenti animo paroeciae titulo nuncium missurum fore: interea tamen tamquam novitium Canonicorum Regularium s. Isidori (talem enim se dictitabat) nullo modo posse suo iure spoliari. Verum iudex, audito procuratore fiscali, cum perspexisset inane effugium ad legis rigorem vitandum in medium a Sanchez adduci, die 7 Iulii 1880 huic sacerdoti praefixit terminum 10 dierum, ut ad parochiam regrederetur.

Contra hanc interlocutoriam sententiam Sanchez protestatus est et appellationem quoque ab ea interponere apud Metropolitanum tentavit, quamvis incassum. Quia iudex die 14 eiusdem mensis utrumque remedium ei excludebat, et terminum 10 dierum antea praefixum iterum confirmabat. Inter haec decendium elabebatur, et cum ad suam paroeciam hic sacerdos non rediisset, iudex eum contumacem primum declaravit, die nempe 21 Iulii; et subinde, die nempe 29, definitivam sententiam tulit, qua sacerdos Sanchez paroeciâ privabatur et ad litis expensas damnabatur.

Appellatione illico interposita, omnia gesta in tribunali primae instantiae ad Metropolitanum transmissa sunt; sed quia appellatio admissa fuerat tantummodo quoad effectum devolutivum, ideo Patronus, cui subest paroecia Villamanam, illico ad hanc ecclesiam praesentavit sacerdotem sibi

Digitized by Google

benevisum, quem Ordinarius acceptavit quidem, sed, ceu videtur, non instituit.

Etenim inter haec Metropolitanus, rebus perpensis, sententiam iudicis inferioris rescidit, et decrevit D. Sanchez teneri ad residentiam parochialem sub poenis a C. Tridentino statutis, eumdemque omni iure carere ad residendum et officium implendum in ecclesia Collegiata s. Isidori, nisi Episcopus potestatem ei dederit pro dioecesis bono; et declaravit litis expensas esse *de officio*. Ast Sanchez neque huic sententiae acquievit, sed per Nuntium Apostolicum Hispaniarum ad Matriti Rotam appellavit. Haec autem in primo turno confirmavit sententiam Metropolitani quatenus in hac decernitur D. Sanchez teneri ad residentiam in paroecia Villamanam, decrevit in hanc, ipsum regredi debere intra sex menses, et voluit insuper ut omnium trium iudiciorum expensae essent *de officio*.

Verum neque haec sententia praefato sacerdoti placuit, quin imo ad alternum Rotae ordinem rem voluit referri. Et hic die 9 Ianuarii 1882, irritatis actibus alterius Collegii, decrevit manutenendum esse statum Collegiatae s. Isidori diei 9 Ianuarii, donec ad executionem mittatur Bulla Pii IX. Damnavit autem ad omnes iudicii expensas iudicem D. Caietanum Sentis.

Hac data sententia, decendium absque reclamatione lapsum fuisse videtur. Ideoque cum post aliquod temporis recursum ad idem tribunal habuissent sive sacerdos qui ad paroeciam Villamanam praesentatus a patrono fuerat, sive iudex Legionensis Curiae, qui expensis quatuor iudiciorum fuerat multatus, utrumque Rota reiecit.

Tum vero legionensis Praesul ad S. Pontificem se convertit petiitque quomodo consulere valeret parochiae Villamanam, quae pastore caret, quaeque adnumeratur inter praecipuas Dioecesis paroecias.

Digitized by Google

Disceptatio Synoptica.

SENTENTIA ROTAE CONFIRMANDA VIDETUR (1). Sancitum est in *auth. De appel.*, et *can. Anteriorum 2 q. 6*: « Omnes » appellationes posse intra decem dierum spatium a recita» tione sententiae numerandorum iudicibus, ab iis quorum » interest, afferri. » Adeo ut post hosce dies et in *Rem iudicatam* sententia transeat et appellatio amplius interponi non possit. « Cum post 10 dierum spatium sententia » in auctoritatem rei transeat iudicatae, qui ad provocationis » subsidium intra id temporis non recurrit, appellandi sibi » aditum denegavit, cum per hoc videatur per interpreta» tionem iuris rei iudicatae paruisse. » *c. Quod ad consultationem tit. De sent. in re iudic.* Atqui in themate decem dies absque partium reclamatione transierunt. Itaque sententia in rem iudicatam transiisse videtur; ac proinde iuxta sup. cit. iura ab ea amplius appellari non potest.

Animadversum quoque fuit, rem iudicatam *pro veritate accipi Reg. 207 ff.* et *l. Ingenium ff. de statu liber.*; habere pro se praesumptum utriusque partis consensum *cit. cap. Quod ad consultationem;* nec non praesumptionem iuris et de iure quod sit iusta *l. Res iudicata ff. de reg. iur.;* facere ius inter partes *c. Cum inter 13 §. Quamvis tit. de sent. et re iudic.;* finire lites *cap. 2 tit. cit.;* excludere probationem in contrarium etiam praetextu instrumentorum de novo repertorum *c. Suborta 21 §. fin. tit. De sent. cit.;* et *c. Monasterium ib.;* ac demum tanti esse valoris ut de ente faciat non ens et de falso verum, et de albo nigrum, secundum litteram legis *Iulianus verum n. 2 ff. De codict. indeb.*

Cum itaque ex utriusque iuris censura talibus clausulis res iudicata muniatur; iam qui ab ea provocant, repelli incontinenti debent. Et quamvis sint casus, in quibus per

(1) Animadvertant lectores punctum huiusmodi controversiae in hoc esse, nempe utrum et quanam ratione Rotae sententia diei 9 Ianuarii 1882 sustineri queat.

Digitized by Google

viam ut dicitur querelae, et data super hoc restitutione in integrum iuxta *L. 1 ff. Ex quibus causis maior.*, provocantes a re iudicata audiuntur; tamen hoc non fit nisi ex gravissima et evidenti iustitiae causa, ac nisi ex certis argumentis iniqua praecedens sententia appareat.

Atqui in themate Rotae sententia iustitiae speciem praeseferre videtur, tum pro ea parte qua decernitur res manere debere in *statu quo*, usque dum S. Sedes provideat, tum pro altera parte qua iudex Sentis processuum expensis multatur. Ergo provocatio a re iudicata non est admittenda.

Et quod praeprimis conservatio *status quo* sit iusta, potest hisce observationibus suaderi. Sanchez ex Regii Patroni nominatione certum ius nactus est ad Canonicatum, ius nempe ad rem iuxta *can. Decernimus 32 q. 7; can. 16 cap. Significante 18; cap. cum autem 24;* et *cap. Pastoralis 29 De iure patron. 38, L. 3 D.* Neque enim dubitare licet de huius sacerdotis idoneitate. Verumtamen institui in hoc beneficio non potest; idque extra omnem suam culpam, sed ex temporum aut rerum malitia.

Iamvero *imputari non debet ei per quem non stat, si non faciat quod per eum fuerat faciendum*, ut habet *reg. 41 iur. in VI.* Videlicet neque damnum neque poenam sentire debet, qui legitime impeditus non facit quod alias facere debuisset ad tradita per Reiffenstuel in *cit. reg.*; quia nemo sine culpa debet puniri, aut iure suo privari, vel damno affici, *arg. c, Sine culpa De reg. iur. in VI.*

Quae normae aequitatis non uno exemplo in iure canonico probantur. Ita e. g. si clericus non sacerdos ad ecclesiam parochialem promotus fuerit, intra annum sub poena amissionis paroeciae sacerdotalem ordinem suscipere tenetur c. *35 De elect. in VI:* et tamen ab hac poena immunis est si sufficienter probet, se legitime fuisse impeditum – ibi – « Annus autem huiusmodi tibi non currit si promeveri iusto impedimento detentus intra tempus huiusmodi nequivisti. » Sic etiam, si quis a sententia appellat, appellationem intra annum prosequi tenetur c. *Cum sit 5 De appellat.:* et ta-

Digitized by Google

men appellatio deserta non censetur, si impedimentum id faciendi intra annum adfuerit: « Dummodo prosecutionem » ipsius (appellationis) per impotentiam vos constiterit omi- » sisse. » Ita c. *Ex ratione 8 De appellat.* Sic pariter quamvis sub poena devolutionis electio fieri debeat intra tres menses c. *Ne pro defectu 41 De elect.;* tamen etiam post tres eligere adhuc possunt canonici si impedimentum intra tres menses eligendi sufficienter probent - ibi - « Intra » quos scilicet tres menses, (iusto impedimento cessante) si » electio celebrata non fuerit, qui eligere debuerant, eli- » gendi potestate careant ea vice. » Consimile exemplum habetur in canonicis infirmis qui non praestantes officium, tamen, utpote legitime impediti, percipiunt fructus.

Itaque etiam in praesenti casu sacerdos Sanchez, qui ex vi maiori impeditur ab institutione consequenda, debet in suo iure integer praeservari; nec ullo pacto damnificari: culpae enim ei verti non potest, seu imputari, quod per eum non stat: quia legitime impeditus poenam sentire non debet. Atqui si, stante hac impossibilitate institutionis consequendae, sacerdos Sanchez adigeretur vel eligere ius ad canonicatum, dimittendo paroeciam; vel eligere paroeciam dimittendo ius ad canonicatum, iam neque in suo iure idem integer praeservaretur, et reapse damnificaretur.

Sane in prima hypothesi ipse exueretur titulo certo beneficii, quin cognosci valeret utrum et quando posset novo titulo cohonestari: in altera vero privaretur iure ad canonicatum, videlicet spe et certa possibilitate consequendi beneficium pinguius et commodius, quam parochiale. Itaque stante dicta impossibilitate, et usque dum S. Sedes aliquid super hoc provideat, ad neutrum istorum sacerdos Sanchez cogi debet; quia in utroque casu poena absque culpa pariter ei inureretur, idque contra iuris normas superius allatas. Ideoque servandus erit *status quo,* iuxta Rotae sententiam.

Eo vel magis quod ex hac praesentis status conservatione dum sarta tecta servantur iura sacerdotis Sanchez,

Digitized by Google

neque Paroecia proprie damnificari videretur. Haec enim per Vicarium regitur, qui libere ab Episcopo constituitur, quique integros mensae fructus colligit, ut asseritur in saepe allegata sententia Rotali. Parochias vero per Vicarios regi neque absonum neque novum in iure est. Et praecise verificatur in casu sacerdotis ad Religionem transeuntis ex *cap. Beneficium 4 De regular. in VI.* – ibi – « Benefi-
» cium illius qui religionem ingreditur non est infra pro-
» bationis annum alicui conferendum; sed interim eidem
» beneficio per alium deserviri debebit, assignata sibi con-
» grua de ipsius proventibus portione. »

Itaque potest etiam in themate idem permitti, cum praesertim Sanchez mordicus sustineat se Novitium esse Canonicorum Regularium s. Isidori, ideoque Religiosorum privilegiis frui debere. Quod si ad impugnandum Rotalis sententiae valorem et ad *statum quo* damnandum, recursus fiat ad S. C. C. rescriptum; responderi primum potest, hoc subreptitie et obreptitie fuisse obtentum, iuxta ea quae allegata sunt in specie. Sed ulterius dici posset, ex eo rescripto laedi ius tertio quaesitum. Ius enim est sacerdoti Sanchez quaesitum ad canonicatum. Porro hoc iure ad rem is spoliaretur, quia, cum canonicus modo non sit ob institutionis carentiam, in paroeciam regredi quam primum cogeretur; et ita simul canonicatui nuncium mittere deberet.

Insuper Regio Patrono ius certum est, quemlibet clericum, etiamsi parochum, nominandi ad Canonicatus s. Isidori. Iamvero ex S. C. C. decreto eius ius coarctaretur, seu laederetur, quatenus r. Patronus nominaret ad huiusmodi praebendas, Parochiam possidentes: quia Ordinarius eisdem praecipere posset, ut ad paroecias redirent.

Porro ex *reg. XVIII Cancell. Ap.* decretum et declaratum habetur « quod deinceps per quamcumque signatu-
» ram seu concessionem aut gratiam vel Litteras Aposto-
» licas pro commissionibus seu mandatis aut declarationibus
» huiusmodi, etiamsi motu proprio et ex certa scientia, ac
» etiam ante motam litem a Sanctitate sua emanaverint,

Digitized by Google

» vel de eius mandato faciendas, *nulli ius sibi quaesitum* » *quomodolibet tollatur.* » Adeo ut ipse Motus proprius nihil operetur in praeiudicium iuris tertii, nisi id exprimat *c. Quamvis 8 De Rescriptis in VI.* Et Apostolicae Litterae non tollant alterius ius, « quamvis illud sit indirectum et » minimum » Riganti *in reg. 18 n. 7* citans alios: nam regula utitur dictione *quomodolibet,* quae includit omnes ius quantocumque minimum, ut observat Fagnanus in *c. Ceterum n. 21 De rescript.*

Imo ex adducta regula praeservatur etiam *ius ad rem,* quod provenit ex electione, praesentatione et oppositione – Riganti *l. c. n. 47,* et apud eum Lotter. *De re benefic. lib. 2, q. 51, n. 28* aliique – Hoc autem quam maxime causae sacerdotis Sanchez quadrat, ceu facile videre est. Et quamvis haec dicta praecise sint de actibus proprie papalibus; tamen applicationem quoque habent in ss. Congregationum rescriptis; imo et a fortiori; quae ideo praeservare semper debent iura tertiis quaesita, et nihil operari in praeiudicium ipsorum. Hac autem norma adoptata, cum praesens S. C. C. decretum laesivum videatur iuris tertiis quaesiti, iam hoc ipso habendum erit tamquam nullius effectus, et invalidari merito poterit. Neque subiungas, Rotae tribunal intervenire non potuisse, neque loqui, et eo minus invalidare S. C. C. decretum, quia iudex inferior non valet superioris acta damnare.

Obiectioni namque responderi posset, hoc adamussim verificari quando superioris acta valida per se sint; non vero cum ab intrinseco defectu sunt irrita ac nulla. Cuius exceptionis non unum suppetit exemplum in canonica iurisprudentia. Ita e. g. contra Confirmationes S. Pontificis super aliqua re, statuto, contractu, aut huiusmodi factas, nullus inferior iudex potest aliquatenus iudicare *cap. 1 et 2 De ccnfirmat. util. vel inut.* Et tamen potest contra eas procedere quando per evidentiam facti, aut huiusmodi, constet eas per falsi suggestionem fuisse elicitas *l. Cum olim 24*

Digitized by Google

De verb. signif.; et *c. De appellat. 2 De confirm. util. etc.* et *c. Super litteris 20 De rescript.*

Relate vero ad expensas litium, quibus gravabatur iudex primae instantiae Sentis, quamvis in hac parte durissima videatur Rotae sententia, attamen meminisse oportet hanc quoque in rem iudicatam transiisse; adeoque non posse tam faciliter ab ea recedi. Observandum insuper est, D. Sentis iuridicas procedendi normas non tenuisse, sive consideraverit sacerdotem Sanchez veluti duorum beneficiorum detentorem, sive eum habuerit veluti parochum non residentem.

Sane in prima hypothesi equidem statutum est *c. 28 De praeb. et dignit.* et *cap. 4 sess. 27 C. F.,* ut, quicumque residentiale beneficium obtineat, dum aliud eiusdem generis possidet, hoc maneat ipso iure privatus. Verumtamen huiusmodi disciplina viget, quando hoc alterum beneficium est collatum, acceptatum et pacifice possessum vel saltem penes beneficiatum stetit, quominus pacifice illud possederit, prout post Glossam in *cap. 35 De elect. in VI, v. Pacificam* tenent DD. communiter. Sed hoc extremum in themate non verificetur , et sic non potest invocari ad iustificandam sententiam, qua sacerdos Sanchez parochia privabatur.

Restat altera hypothesis, quod nempe Sanchez consideretur tamquam parochus apud ecclesiam non residens, qui proinde moneri debet et, nisi resipiscat, beneficio quoque privetur. Et notare in hunc sensum profecto ivisse Legionensem iudicem, ceu ex sententiae contextu apparet.

Verumtamen et in hoc casu contra iuris normas ipse processisset. Solemne enim est, quod parochus absens citandus est una aut trina monitione, personaliter aut per publica edicta, iuxta circumstantias, ut intra competentem terminum ad Ecclesiam redeat. Sed iuxta *cap. Ex parte De cleric. non resid.* ab ultimo edicto expectandus semper est adhuc per sex menses, quibus elapsis, et tunc tantummodo ad privationem procedi licite potest; Lucidi *cap. III §. 6, n. 235* et plures apud eum. Quae forma adamussim

Digitized by Google

servanda est « aliter (iudex) nulliter et iniuste procedit. » Lucidi ibi. Atqui haec forma penitus violata est in Legionensi iudicio, ideo in utraque hypothesi nullam excusationem D. Sentis adducere posse videtur.

Quo semel posito, incongruum non videtur eum fuisse iudicii sui expensis multatum. Iudex enim qui iniquam sententiam tulit, tenetur damni ex *L. 63 ff. De evict., et L. 32 ff. De iniur.* Neque iuris ignorantia eum excusare potest, quia haec neminem iuvat ex *reg. 13 iur. in VI.* et iudicem maxime dedecet. Quinimo, carens debitâ scientiâ, et ex culpabili ignorantia male iudicans, peccat mortaliter, et tenetur ad restitutionem totius damni causati parti laesae, sive in substantia litis sive in superfluis expensis, teste Card. De Luca *t. 2 disp. 37 n. 1.* Et quia inter damna accenseri quoque possent sequentium iudiciorum expensae, hisce quoque forsan Legionensis iudex videretur potuisse non inique multari.

Sententia Rotae respuenda videtur. In primis animadversum fuit non posse tuto dici eam sententiam transiisse in rem iudicatam, ex hoc tantum quod decem dies lapsi sint post eius promulgationem, quin interea partes reclamaverint; siquidem insuper requiritur quod sententia sit in se iusta, neque contra ius constitutum lata. Sane *L. Si expressim ff. De appellat.* haec habet: « Si expressim sententia contra iuris rigorem data fuerit valere non debet; et ideo et sine appellatione causa denuo induci potest » Et in *L. Si cum inter te C. Quando provocare* etc. iubetur sententiam contra leges canonesve prolatam nullas habere vires; adeo ut nec provocationis auxilium necessarium sit. Et rursum *c. inter ceteras 9 De sent. et re iudic.* statuitur: « *Sententiae non debet stari, si iniquitatem contineat manifestam.* » Idque ampliatur ad sententiam in qua Iudex exprimit causam non concludentem, quia etiam talis sententia est nulla; Abbas *c. Sicut nobis tit. cit. n. 14 et 15.*

Ex quibus locis aliisque DD. concludunt, sententiam

Digitized by Google

iniustam aut nullam numquam transire in rem iudicatam, licet ab ea non appelletur; sed probato iuris errore, potest retractari non solum post decendium, sed etiam post decennium usque ad 30 annos. Ita Maranta *tit. de sent. et re iudic. n. 154;* Reiffenstuel *eod. tit. n. 114 seqq.* Nam quod nullum est, nullum producit effectum, et non entis nullae sunt qualitates; et quae contra ius fiunt debent utique pro infectis haberi, iuxta notas iuris regulas. Atqui in themate haec omnia urgeri possunt contra Rotae sententiam. Eadem enim sancitur, Parochum per indefinitum tempus posse suam paroeciam deserere hac unice de causa, ut nempe pinguiori stipendio frui valeat, vel, si velit, ut ius ad rem sibi gratiorem amittere non cogatur. Hoc autem abnorme omnino esse et quorumcumque iudicum potestatem prorsus excedere quisque facile intelligit. Lex enim Tridentina *c. 1 sess. 23* quae Episcopos aeque ac Parochos tangit, alte proclamat: « Cum praecepto divino mandatum sit » omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas » agnoscere pro his sacrificium offerre verbique divini prae» dicatione, Sacramentorum administratione ac bonorum » omnium operum exemplo pascere, pauperum aliarumque » miserabilium personarum curam paternam gerere, et in » cetera munia pastoralia incumbere, quae omnia nequa» quam ab iis praestari et impleri possunt qui gregi suo » non invigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more » deserunt; s. Synodus eos admonet et hortatur ut divino» rum praeceptorum memores factique forma gregis, in iu» dicio et veritate pascant et regant. » Et subinde addit: « Si quis autem (quod utinam numquam eveniet) contra » huius decreti dispositionem abfuerit, statuit s. Synodus » praeter alias poenas adversus non residentes sub Paulo III » impositas et innovatas ac mortalis peccati reatum, quem » incurrit, eum pro rata temporis absentiae fructus suos » non facere. » Et pro parochis in specie subiungit: « Quod » si per edictum citati, etiam non personaliter, contumaces » fuerint eos posse ac debere puniri usque ad suae paroe-

Digitized by Google

» ciae privationem ; et quod « discedendi licentiam in » scriptis gratisque concedendam ultra bimestre tempus nisi » ex gravi causa non obtineant. » Post eiusmodi legis praescriptiones quid sentiendum sit de Rotae iudicio, ex se quisque concludet.

Neque magnificata causa non amittendi ius ad canonicatum, seu percipiendi pinguiores reditus, aliquid Sanchez iuvare videtur, quia eadem Tridentina Synodus recurrit, iubens cit. loc. « Neque executionem hanc (poenarum in » absentes) quolibet privilegio, licentia, familiaritate, exem» ptione, *etiam ratione cuiuscumque beneficii*, pactione, » statuto iuramento vel quacumque auctoritate confirmata, » consuetudine etiam immemorabili, quae potius corruptela » dicenda est, sive appellatione, aut inhibitione etiam in » Romana Curia, vel vigore Eugenianae Constitutionis su» spendi posse. »

Adeo ut in durissimo casu, quando mala plebs suum pastorem odit, qui ideo fugiendi habet necesse, in hoc casu, inquam, in quo parochi innocentis misereri omnia suaderent; tamen ex Fagnano *cap. Clericos De cleric. non resid. n. 27* « ubi inimicitiae sunt verisimiliter duraturae, » ut consulatur curae animarum, inducendus est parochus » ad resignandum vel permutandum; et ita parochus pu» nitur sine culpa sed non sine causa. » Et obtestans de S. C. C. consuetudine *n. 57* adiungit: « Quod si intra sex » menses necdum sedatae sunt inimicitiae (S. C.) rescribit » Episcopo, ut det illi sex mensium prorogationem, repe» titis omnibus quae in prioribus litteris continebantur, et » sine spe alterius prorogationis, quae rarissime conce» ditur. »

Et si tamen aliquando temperatum sit ab hoc rigore, et de anno in annum prorogatum sit indultum abessendi ad tradita per Lucidi *cap. III* §. *6, n. 233;* recolere tamen est, hanc disciplinam quoad parochos absentes observatam esse in hoc unico casu, vix in poenam turbidae plebis, semper ex gravissimis circumstantiis, atque vigore illius

Digitized by Google

supremae potestatis, qua in iudicando SS. RR. Congregationes utuntur: nam « indulta perpetua de non residendo » etiam ex iustis et rationabilibus causis iam sublata fuerunt » decreto *cap. 2. sess. 6.* Trident. » teste Fagnano *cit. l.*

Casus vero praesens toto coelo differt; in hoc enim absentia fieret in solum parochi commodum, ut pinguius emolumentum lucretur aut ius ad rem non amittat, idque per indefinitum tempus, continua querimonia fidelium de suo pastore agentium, (ut Episcopus testatur) ac non modico animarum detrimento. Et in hisce extremis absentiam Pastoris probare tum iniustum, tum canonicae legis atque ecclesiasticae disciplinae subversivum prorsus videtur. Ideoque Rotae sententia, qua talis absentia adstruitur nulla et nullius valoris dicenda. Consequenter neque in rem iudicatam transiisse, neque ulla ratione S. C. C. auctoritate firmanda. Quinimo omni ratione firmandum esset decretum 24 Ianuarii 1880 S. C. C. cuius aequitas et rationabilitas undique emicat.

Neque proficit dicere id fuisse subreptitie obtentum. Siquidem primum non videntur fuisse a S. C. C. ignorata, ea quae Rotae sententia affirmavit fuisse ab Episcopo in suo supplici libello non patefacta. Imo quamvis non fuissent illae circumstantiae enarratae, ut Rota supponit, tamen ex hoc non videretur vitiari rescriptum. Siquidem taciturnitas fuisset in re non essentiali: causa autem finalis rescripti « quae ex toto et funditus animum movet disponentis » iuxta Abbatem in *c. Post translationem De Renuntiat. n. 18* rite exposita fuisset, ut facile videre est. Haec enim in themate alia non fuisset nisi paroeciae provisio; ne scilicet paroecia tamdiu suo privaretur pastore. Itaque rescriptum sustineri debuisset: subreptio enim quae contingit circa causam non motivam non vitiat rescriptum, ut cum communi docet Reiffenstuel *De rescriptis n. 182.*

Inficiari quoque potest, quod sit iuris tertii laesivum huiusmodi S. C. rescriptum. Non quidem primum iuris regii Patroni. Hic enim adhuc valet quemlibet nominare,

Digitized by Google

etiam parochum, dummodo iste velit paroeciae suae renuntiare; quae tamen conditio in omni casu subintelligitur; imo et volita est ab Hispaniarum Rege. Ita enim iubetur a R. Decreto diei 14 Novembris 1851 *art.* 5. Gravamen igitur ex eo rescripto Regio patrono non est.

Sed neque laeditur ius nominati, qui quidem potest pro canonicatu optare, et optando ius habet si idoneus sit ut ab Episcopo instituatur. Verum nullo modo ei absenti competit ius servandi per indefinitum tempus paroeciam sub praetextu quod non instituatur, cum institutio canonica impossibilis sit, et ceteroquin possessionem de facto, eamdemque tutissimam nactus sit, beneficii et huius reditus integre percipiat. Si haec causa in themate sufficeret nullus non praetextus exinde valeret ad paroeciam deserendam et tamen possidendam. Quisque enim ad lucrum captandum abesse posse exinde videretur. Ast potius, paroeciae ius certum est habendi tandem aliquando proprium pastorem.

Denique allegare *Novitiatum*, ceu facit Sanchez, ut se tueatur in absentia et paroeciam servet, idem esse videtur ac fallaces nugas agere, ludere potius quam ratiocinari.

Quoad litis expensas animadversum fuit quod si ob suum iniustum iudicium damnandus sit dominus Sentis; iam,. et in supposito eorum quae usque modo observata sunt de Rotae sententia, contra hanc retorqueri posset argumentum. Et rursus quia post rescriptum S. C. C. diei 24 Ianuarii 1880 Sanchez videretur temere ad iudicium provocavisse, huic quidem tamquam temere litiganti refectio expensarum imponenda videretur. Siquidem ex textu expresso *Instit. De poena temere litig.* §. *Haec autem* praescribatur: » Improbus litigator et damna et impensas litis inferre adver» sario suo cogatur. » Et plura ad rem Card. De Luca 39 *de iudic. n. 7.*

Sed tandem quoad iudicem Sentis, quamvis ante tempus, si velis, sacerdotem Sanchez paroeciâ privaverit, non tamen absque causa, aut temerariae opinioni innixus. Tulit enim sententiam Fisci observatione, inter cetera, motus.

Digitized by Google

Et reapse ex plurium, sed non omnium, DD. interpretatione et praesertim ex S. C. C. praxi inductum est quod post Tridentinum adhuc vigeat praescriptum *cap. Ex parte*, videlicet quod, facta ultima monitione, ante privationis sententiam sex menses expectentur.

Quod si aliud sensit Legionensis iudex, cum id fecerit innixus aliorum quorumdam DD. auctoritate, iam hoc ipso excusationem optimam habere videtur. Auctor enim est Reiffenstuel *De sent. et re iudic. num. 180* quod litigans si succumbat non est condemnandus, quando is, antequam litem ingrederetur, habuit consilia DD. Ceterum iniustitia caderet circa accidentalia iudicii non circa substantiam. Sanchez enim post sex menses ad paroeciam non rediisset, sed pro canonicatu optavisset.

Concludam tandem, ait orator, afferendo verba quae leguntur in Alatrina 14 Martii 1842 coram de Retz apud S. R. Rotam – ibi – « Nisi enim de pura putâque calumnia ipse actor » doceat evidentissime, fieri numquam poterit, ut damno- » rum actionem ex passa inquisitione sibi asserere valeat. » Quod si semper firmissimum habitum et pro omnibus se- » quutum est, multo magis teneatur oportet pro Curia, et » Fiscali ministerio; cum Fiscus damnari non possit, nisi » ob manifestam calumniam et evidentem improbitatem. » Quod si iudex Sentis multari nequeat expensis iudicii sui, eo minus subsequentium.

Hisce praehabitis, propositum fuit enodandum sequens

Dubium

An et quomodo confirmanda sit, vel potius infirmanda sententia hispanicae Rotae diei 9 Ianuarii 1882.

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii, re cognitâ, sub 10 Maii 1884 censuit respondere:

Negative ad primam partem, affirmative ad secundam; et confirmandam esse sententiam Curiae Legionensis, solutis a sacerdote Sanchez omnium graduum expensis.

Digitized by Google

Ex Quibus colliges. I. Sententiam expressim contra iuris rigorem, et leges canonesve prolatam nullas habere vires, neque in rem iudicatam ullimode transire; ita ut probato iuris errore retractari queat etiam post decem dies:

II. Nam quae contra ius fiunt nullum producunt effectum, et pro infectis haberi debent.

III. Parochorum munus, quoad animas illis concreditas, ex praecepto divino promanans, rite adimpleri non posse, nisi ab eo qui gregi suo invigilat, assistit, neque eum unquam deserit: monentur enim a Tridentino et exorantur animarum pastores, *ut divinorum praeceptorum memores, factique forma gregis in iudicio et veritate pascant et regant.*

IV. Insuper adversus non residentes constitui poenas cum graduatione, incipiendo a privatione fructuum pro rata temporis absentiae, usque ad paroeciae privationem.

V. Huius praecepti rigorem haud moderari in praxi ab Apostolica Sede neque quoad pastorem, quem mala plebs odit; nam dum eidem vigore supremae potestatis, et ex gravissimis causis renovatur abessendi facultas de anno in annum, numquam conceditur perpetuum absentiae indultum.

VI. Parochum in themate neque mala plebs odit, neque gravissima adiuncta a paroecia abesse impellunt per indefinitum tempus, ideoque iure paroeciâ ab Episcopo privatus fuit, cum neque dimittere, neque ad eam redire futili innixus causae praesumeret, illectus ut videtur pinguioris reditus amore.

VII. Hinc facili modo deprehendi, Rotae sententiam nullitatae laborare, neque in rem iudicatam transiisse dum sinit, adversus Tridentinum, ut parochus per indefinitum tempus absit a Paroecia, duo insuper retinendo beneficia, utraque residentiam praebendati exigentia.



Digitized by Google

DE TULANCINGO

CIRCA FACULTATEM BINANDI

Die 10 Maii 1884.

Per summaria precum.

Compendium facti. Episcopus de Tulancingo in Mexicana Republica, die 13 Ianuarii 1883 supplicem libellum Sanctissimo obtulit, haec humiliter exponens: copiam Sacerdotum non esse in Civitate Tulancingo; ita ut saepe accidat ut non sit Sacerdos qui Missam celebret, ad quam venit magna pars populi, ceu evenit in ultima Missa dierum Dominicarum et aliarum. Quum autem impietas multis abhinc annis Nationem illam pervaserit, apprime expedire censuit, ut in diebus festivis nunquam deficeret sacrificium Missae, ad quod fideles numerosi conveniunt; cum pro multis haec assistentia sit fere unicus actus publicus religionis. Quibus de causis petiit ut duos designare valeret presbyteros, qui binandi facultatem haberent.

Disceptatio Synoptica

Gratia deneganda videtur. Ex officio animadversum fuit quod etsi in primaeva Ecclesia plura divina Sacrificia ab uno Sacerdote eadem die celebrata fuissent, tamen in posterum Ecclesiae disciplina immutata fuit et Concilia et Summi Pontifices leges ediderunt, quibus statutum fuit, Sacerdotes una vice eodem die posse Missae Sacrificium offerre. Ita Innocentius III ab Episcopo Wigorinensi requisitus: « Utrum Presbyter duas Missas eadem die celebrare valeat, » responsum dedit: Excepto die Nativitatis Domini, nisi » causa necessitatis suadeat, sufficit Sacerdoti semel in die » unam Missam solummodo celebrare. » Idipsum statuit Honorius III *in cap. Te referente* §. *2 de celebratione Missarum*. Causa autem necessitatis, iuxta communem Theologorum sententiam, debet esse *vera et gravis* uti probant etiam responsa S. C. C. negantia gratiam binandi, ut videre est in *Derthusen. 20 Augusti 1768*, in *Apten. 8 Maii 1734, Nicien. 27 Novembris 1790*, et nostris tem-

Digitized by Google

poribus in *Arboren. 23 Augusti 1879, Avenionen. 22 Aprilis 1882* etc. (1) Et si aliquando Ecclesia facultatem binandi concessit hoc fuit in casu, quo unicus Sacerdos duas Paroecias regebat, ac proinde ne una Paroecia, propter longitudinem itineris ab alia, careret beneficio audiendi Missam, facultatem binandi illi Parocho tribuit.

At in casu nostro videtur deesse hanc necessitatem, quia Episcopus petit facultatem iterandi Missam pro duobus Sacerdotibus ab ipso designandis; quia non raro evenit ut non sit Sacerdos qui Missam celebret, ad quam venit magna pars populi, ut accidit in *ultima Missa* dierum Dominicarum et aliarum. Quibus ex verbis apparet, quod Episcopus queritur de defectu Missae in *hora ultima,* cui defectui potest occurrere vel monendo Christifideles ut intersint Missae horae tertiae aut primae, vel obligando aliquem Parochum vel Sacerdotem ut celebret hora ultima. Ergo cum gravis necessitas binandi non appareat, quia agitur de sola commoditate, videtur gratiam esse denegandam.

Gratia concedenda videtur. Adversus tamen ea quae relata sunt, placuit animadvertere quod lex, quae vetat iterari Missam ab uno Sacerdote eadem die, cum sit ecclesiastica, Ecclesia solet, ut benigna mater, dispensare si necessitas hoc petat; et praecipue si removeantur causae, quae occasionem legis prohibentis dederunt. Et causae quandoque fuerunt vel avaritia Sacerdotum, qui duas vel plures celebrabant Missas et sic plures percipiebant eleemosynas, vel potius quia aucto numero Sacerdotum necessitas aberat iterandi Missam pro commoditate populi. Et hisce remotis causis facultatem dedit reiterandi Missam etiam S. C. C. in *Pacen. 16 Decembris 1876, Lingonen.* et *Turonen. 24 Augusti 1878, Mexicana 20 Decembris 1879, Vallisoletana 7 Aprilis 1883.*

In casu vera et gravis necessitas apparet ex ipsis verbis supplicis libelli Episcopi; ex quibus apparet quod si gratia non concedatur, magnus numerus populi diebus festivis ca-

(1) Confer Vol. XV, pag. 159.

Digitized by Google

reret beneficio audiendi Missam; quod vitandum est praecipue in praesentibus circumstantiis: nam, ut ait Episcopus, ista assistentia Sacrificio Missae est in multis fidelibus fere unicus actus publicus religionis. Cum autem hic actus externus et publicus necessarius sit ad fidem fovendam et ad exemplum bonorum operum aliis praebendum, apparet quod, gratia non concessa, pertimescendum est damnum eidem fidei. Imo ut relatum fuit in *Mexicana 20 Decembris 1879* ab Archiepiscopo Mexicano in sua expositione status Ecclesiae «. . . . Missae auditione dempta, facile (Mexicani) possent actus idolatricos exercere, qui a labe superstitionis omnino immunes adhuc non sint. » (1)

Praeterea qui gratiam petit, est ipse Episcopus, qui, nisi necessitas gravis adesset, nunquam exceptionem pro sua Civitate in lege generali ecclesiastica petiisset. Eadem petitionis forma probat hanc necessitatem, quia Episcopus gratiam quaerit non pro Titio vel Caio Sacerdote, sed ut ei concedatur potestas designandi duos Sacerdotes, qui Missam iterare possint eadem die, ut ita suppleat defectui Sacerdotum in illis circumstantiis in quibus necessitas urget. Quae necessitas in mexicana Republica apparet etiam in supra citata relatione Archiepiscopi mexicani ex verbis: « huc accedit, quod sit talis Sacerdotum inopia, ut vel in hac ipsa civitate archiepiscopali, ne qui in carceribus, hospitalibus . . . versantur, Missae beneficio diebus festis careant, relator binationem permittere debuerit. » Unde videtur gratiam esse concedendam in casu, sicut concessa fuit in *Mexicana 20 Decembris 1879*.

Quibus praemissis, quaesitum est quid esset respondendum Episcopo oratori

Resolutio. Sacra C. Concilii sub die 10 Maii 1884 re ponderata, censuit respondere:

Dummodo non commodum, sed necessitas id exigat, pro gratia ad decennium, facto verbo cum SSmo.

(1) Recule Vol. XIII, pag. 340.



PAPIEN.

IRREGULARITATIS

Die 10 Maii 1884.

Per Summaria precum.

Compendium facti. Proposita fuit haec causa inter Summaria precum diei 2 Iunii elapsi anni 1883, et sequenti responso dimissa a S. C. C.: « *Dilata ad annum, et post annum Clericus recurrat commendatus ab Episcopo, et cum testimonio medici curantis.* » (1)

Verum cum praefatus Clericus 24 aetatis suae anno iam expleto, in eo sit ut etiam theologicum cursum conficiat, quamvis nondum transactum sit tempus a S. C. C. praefinitum, pro nova obtinenda audientia, nihilominus confidenter denuo recursum habuit, ad s. Sedem ut ab hoc dubitationis statu liberatus, possit ad s. Subdiaconatus Ordinem quam cito promoveri.

Has preces vehementer commendavit Papiensis Episcopus aiens: a mense Iunio 1883 Clericum oratorem semel tantum affectum fuisse a comitiali morbo; clarum Medicum fidem facere, morbi indolem mitem esse, et sanabilem per iuges curas, quibus sedulo clericus incumbit et incumbet: Dioecesim omnino Sacerdotibus egere, qui paroecias desertas adeant pro bono spirituali animarum.

Medicus vero deposuit: sese commoditatem habuisse certiorem fieri de modo quo morbi accessus exorditur, progreditur, et attenuatur; et pro certo habere convulsiones dici posse *epilettiformi* eo quod magnam praeferant morbo comitiali similitudinem. Qua de re, ait Medicus, si clericus optatum finem pertingere velit iugibus remediis, ab arte medica praemonstratis, usurum etiam ad vitam, adpromittere oportet.

Cum vero ex noviter deductis quaestio faciem non mutaverit, et aliunde principia iuris, quae ad rem facere videntur iam sufficienter in praeterito folio exposita fuerint; quaesitum fuit quomodo preces oratoris essent dimittendae.

Resolutio. Sacra Cong. Concilii, re ponderata, sub die 10 Maii 1884 censuit respondere:

Pro gratia ad cautelam, oneratà oratoris conscientià non intermittendi susceptam morbi curationem, facto verbo cum SSmo.

(1) Relata fuit Vol. XVI, pag. 95.

Digitized by Google

LITERAE SSmi Patris nostri LEONIS XIII. ad Emum D. Cardinalem Ludovicum Iacobinium, Status Secretarium, de erigendo Valetudinario pro laborantibus morbo cholerico.

Signor Cardinale

Il terribile flagello del morbo asiatico che prima apparve nella vicina nazione Francese, come già si temeva, ha colpito anche molte parti dell' Italia settentrionale e meridionale: e se quasi per tutto ha serpeggiato e serpeggia tuttora lentamente, nella popolosa città di Napoli, semina stragi e rovine. — La Provvidenza fino a questo giorno ha ricoperto di una speciale protezione la città di Roma, campandola dal flagello. Della quale misericordia Noi coi sentimenti dell' animo profondamente riconoscente e devoto abbiamo reso e continuamente rendiamo umilissime grazie alla bontà divina: e con tutto il fervore del Nostro spirito innalziamo ogni dì al Padre delle misericordie la voce e le mani supplichevoli affinchè, per l' intercessione potente della Gran Vergine e dei gloriosi Protettori, storni dalla Nostra Roma il flagello e la salvi. — Ma pur troppo e per le molte iniquità che muovono a sdegno la divina giustizia, e per la vicinanza dei luoghi invasi dal morbo non siamo senza timore per questa Nostra Città che Noi amiamo con affetto speciale: nè

Eme Princeps

Formidabilis calamitas, Asiaticus morbus, qui in finitima primum Gallica gente se prodidit, modo, uti iam verebamur, multas etiam Italiae septentrionalis et meridionalis perculit regiones: et si fere quoquo pervasit atque etiamnum lente serpit, in frequentissima urbe Neapoli cladibus exitioque implet omnia. Dei Providentia ad hunc usque diem Urbem Romam, eam ab hac calamitate protuens, speciali praesidio contexit. Ob quod divinae Clementiae munus Nos summopere grati et reverentis animi sensu Divinae Bonitati et egimus et assidue agimus humillimas gratias, ac toto nostri Spiritus affectu ad Misericordiarum Patrem vocem manusque supplices quotidie levamus, ut pientissima Virgine Deipara atque gloriosis Auspicibus nostris suffragantibus, Urbem hanc nostram ab ea clade liberet ac sospitet. Sed eheu! cum ob multa scelera, quae Divinam Iustitiam ad iram provocant, tum vero etiam ob locorum, quos morbus invasit, viciniam, huic nostrae Civitati, quam praecipuo amore prosequimur, profe-

Digitized by Google

Ci è possibile rimanercene indifferenti di fronte al pericolo. Quindi Ci rivolgiamo a Lei, Signor Cardinale, con questa lettera, per comunicarle su tal proposito le Nostre intenzioni e per commettere a Lei la cura di mandarle ad effetto.

Sappiamo che con lodevole premura e con saggio accorgimento si sono già presi da chi amministra la pubblica cosa molti ed opportuni provvedimenti, affinchè l' invasione del temuto morbo, qualora avvenisse, non cogliesse la città alla sprovvista.

Ma Noi altresì desiderosi di trovarci preparati al soccorso del Nostro diletto popolo di Roma, abbiamo stabilito di aprire, allestire e mantenere a tutte Nostre spese un ampio spedale nelle vicinanze del Vaticano, dove Ci sia facile di accedere anche personalmente per visitare e confortare i malati. Questo spedale sarà aperto a vantaggio principalmente dei Rioni a Noi più vicini di Borgo e di Trastevere. L'Amministrazione di esso vogliamo sia affidata al Nostro Maggiordomo, e la direzione ai due distintissimi periti dell' arte salutare che Ci assistono, il Prof. *Alessandro Ceccarelli* e il Dott. *Ruggero Valentini:* i quali, conformandosi alle norme già opportunamente stabilite, potranno associarsi anche altri, ove ne sia duopo, nell' assistenza dei colerosi.

cto timemus. Quocirca ad te, Eme Cardinalis, has literas mittimus, ut animi nostri hac super re consilia et proposita tibi patefaciamus, curamque committamus, ut ea quae proposuimus, perficiantur.

Equidem novimus, ab iis qui rem publicam administrant, laudabili studio et sapienti consilio satis atque opportune provisum, ne si forte qui timetur morbus accedat, Civitatem necopinam occupet.

At vero et Nos qui ad subveniendum dilecto nostro populo Romano parati esse percupimus, amplum Valetudinarium in vicinia Vaticani, quo Nobis facile liceat accedere ad invisendos solandosque aegrotos, pandere, rebus omnibus instruere, eique omnia quae opus erunt nostris sumptibus providere, statuimus. Hoc valetudinarium vicis Nobis vicinioribus, Burgi nimirum, ut aiunt, et Transtiberino patebit: eiusque administrationem summo Sacrae nostrae Domus Magistro creditam volumus, directionem vero duobus praeclarissimis medicae artis peritis, qui Nobis adsistunt, videlicet Professori Alexandro Ceccarellio *et Doctori* Rugero Valentinio: *qui conformantes sese ad regulas opportune statutas, et alios, si quidem opus fuerit, in gerenda cura morbo cholerico laborantium, sibi adsciscere poterunt.—*

Digitized by Google

A tale scopo, quantunque difficili siano le presenti condizioni Nostre, pure fiduciosi nella Provvidenza e nella generosità del mondo cattolico, abbiamo già stanziato la somma di *un milione*. — Sarà sua cura, Signor Cardinale, di far sì che con la maggior possibile sollecitudine e nella più utile e soddisfacente maniera abbia effetto questa Nostra volontà, ispirataci da quella carità cristiana che sull'esempio del divino Maestro giunge anche a dare la vita a vantaggio dei propri fratelli.

Che se poi, il che Dio tenga sempre lontano, il flagello anche tra noi si propagasse e si aggravasse, Ci riserviamo di disporre all'uopo anche del Nostro Pontificio *Palazzo del Laterano* in quella misura che sarà possibile ed opportuna.

Riceva intanto a pegno del sincerissimo affetto che abbiamo per Lei, la Nostra Apostolica benedizione.

Dal Vaticano 10 settembre 1884.

LEONE PP. XIII.

Ad hunc σκοπον *assequendum, quamvis in angustiis Nos versemur, fidentes tamen Divinae Providentiae et Catholici Orbis generosae virtuti, decies iam centena argenteorum italicorum millia deposuimus.*

Officii tui erit, Eme Cardinalis, curare, ut haec nostra voluntas, ea christiana charitate Nobis inspirata, quae pone divini Magistri exempla ad vitam pro fratribus suis profundendam pervenit, maxima qua fieri possit celeritate, atque eo modo qui et omnium maxime utilis et Nobis acceptissimus futurus sit, ad effectum adducatur.— Si vero, quod Deus avertat, morbus hic propagetur et ingravescat, Ipsi Nobis de Nostro Palatio Laterano ad id operis disponere reservamus eâ quidem ratione quae et possibilis et opportuna videbitur.

Accipe interea ut sincerissimi, quo te prosequimur, amoris pignus, Apostolicam nostram Benedictionem.

Datae in Aedibus Vaticani 4. Id. Septembris a. 1884.

LEO PAPA XIII.

Digitized by Google

NOTIFICATIO Emi. Cardinalis Lucidi Mariae Parocchi, Vicarii generalis SSmi. D. N. LEONIS XIII, de Congregatione quae se nuncupat a s. Paulo.

Fin dal principio del suo glorioso Pontificato, la Santità di N. Signore Leone Papa XIII, indirizzando, mediante il Cardinale Vicario, la parola a' suoi figli, li metteva in guardia contro il proselitismo dell' eresia. Lodata la loro costanza nel respingere le seduzioni, diffuse anche là, donde la tenerezza degli anni, l' insufficienza della coltura e le gravi miserie avrebbero dovuto sbandire, almeno per decoro civile, quelle arti che in qualsivoglia congiuntura condanna la Religione; il Santo Padre, a scongiurare tanto pericolo dalla sua Roma, ricorreva al sapiente rigore delle censure. Da quel giorno è ormai trascorso, d'oltre due mesi, il sesto anno, e il male senz' arrestare l' innegabile incremento del bene, s' è pur dilatato. A spegnere la cattolica educazione del nostro popolo e ravvivare culti morenti in patria, calarono da straniere contrade sètte d' ogni maniera, invadendo il suolo intriso del sangue de' martiri; e dove G. C. predisponendo con visibile provvidenza il soggiorno del Principe degli Apostoli, aveva fondato il centro dell'unità, uomini in lotta fra sè, inalberarono il vessillo

Iam ab ipso faustissimi sui Pontificatus exordio, SS̃mus Dominus N. Leo XIII ad Ecclesiae filios per Cardinalem, id temporis suum in Urbe Vicarium, sermonem convertens, eos ab haereticorum, errores suos disseminantium, insidiis cavere iubebat. Commendata eorumdem Fidelium constantia in repellendis seductionis lenociniis, eo usque perlatis, unde vel ipsa tenera aetas, minor animorum cultura, ipsa demum rerum penuria debuissent, ratione saltem civilis honestatis, eas subdolas artes prohibere, quas nullo non tempore nec loco Religio sancta condemnat; SS̃mus Dominus ut tam grave periculum ab sua Urbe Roma averteret, iustam Censurarum severitatem adhibebat. Sex abhinc anni duoque menses praeterlapsi iam sunt; et malum, quin certissimum boni progressum cohibere potuerit, nihilominus dilatatum est. Ad extinguendam catholicam populi nostri educationem, et ad Cultus in sua Patria pene mortuos hic suscitandos, ab exteris regionibus cuiusque generis sectae huc descenderunt, solum occupantes Martyrum sanguine madidum; atque ubi Dominus Iesus Christus, Principis Apostolorum Sedem visibili Providentia praedisponens, centrum unitatis fundaverat, homines invicem pugnantes, discordiae vexillum sustulere. Attamen,

Digitized by Google

della discordia. Pure se non foss' altro, per quanto ecciti a lagrime la perdita anche d'un'anima sola, e in tanto copiose, moltiformi necessità sia spettacolo triste lo scialacquo dell' oro, gittato a incoraggiare l' apostasia; basterebbe richiamare alla memoria l' accennata Istruzione del mio venerando Predecessore.

Oggi però minacciano questa Città nuovi guai: una sedicente *Congregazione di S. Paolo*, insediata nella via Genova, arrogandosi titolo di cattolica e abusando l' appellativo d' italiana, tenta irretire i Romani nello scisma e nell' eresia. E sebbene, come già tant' altri, sia per cadere ancor questo assalto dato alla nostra fede, concorrono qui tuttavia ragioni specialissime per levar alto la voce e denunciare la nuova sètta.

Essa vantasi cattolica ed italiana, mentr' è veramente eretica e forestiera. Del Cattolicismo conserva, a inganno degl' imperiti, qualche apparenza. Sono apostati, ma ritengono tuttavia il carattere sacerdotale quelli che, nella riprovata congrega, vengono ogni Domenica parodiando i divini misteri, dei quali hanno creduto opportuno mantenere, quant' è alla sostanza, le cerimonie. Quindi sebbene si permettano d' abolire la lingua propria della Chiesa, vincolo de' credenti dalle Amazzoni al Tago, dalla

etsi aliud non proferrem, iis quos ad lacrymas fundendas vel unius animae exitium provocat, quibusque in tam multis tamque variis populorum necessitatibus, auri profusio ad haeresim promovendam impensi, triste spectaculum exhibet, satis esset, Instructionem, cuius supra memini, venerandi Praecessoris mei, in memoriam revocare.

At vero hodie huic Civitati nova mala imminent: hominum Congregatio, quae se a S. Paulo nuncupat, in Via, quae ab urbe Genua nomen habet, constituta; Catholicae *cognomentum sibi usurpans, atque* Italicae *abutens appellatione; in schisma atque haeresim Romanos inducere conatur. Quamvis autem et hic hostium impetus in Fidem nostram, quemadmodum et alii id genus permulti; huc assidens, frangatur et concidat necesse sit; tamen potissimae rationes vocis altius elevandae, atque huius novae sectae propalam denunciandae hic praesto sunt.*

Ipsa se iactat Catholicam *atque* Italicam, *dum reapse haeretica est atque extera. Catholicae Religionis quamdam speciem servat, ut imperitis hominibus imponat. Sunt quidem apostatae; sed ii nihilominus Sacerdotalem characterem retinent, qui in reprobo conventu Dominica quaque die divina Mysteria illudendo imitantur, quorum, seposità substantià, aliquos servare ritus et coeremonias sibi opportunum censuerunt. Hinc factum est, ut quamvis sibi fas esse arbitrentur linguam qua Ecclesia utitur, abolere; linguam, inquam,*

Digitized by Google

Terra del fuoco all' Islanda, la lingua de' Concilii e de' Padri, la lingua delle due civiltà unificatrici del mondo, quella che fu degna di venire appresso l'ebraica e la greca sul titolo della croce, e cotal tesoro di lingua lo scambino con un gergo non riconoscibile dal Cavalca, nè dall'Alighieri; quindi sebbene siansi arbitrati d' ingerire variazioni nel rito, punto lecite senza il consenso dell' Autorità moderatrice della liturgia per l' Universo; all' occhio de' semplici quell' apparato di novità può sembrare innocente e, quasi una delle tante forme liturgiche, onde s' abbella la Chiesa. Male pur questo, e gravissimo, involgendo enorme lesione dell' ecclesiastica disciplina circa la legge della preghiera, la quale, secondo la celebre formola di S. Celestino fissa la legge del credere: *Ut legem credendi lex statuat supplicandi* (Ep. XXI).

Ma v' ha di peggio. Essi rovesciano le leggi divinamente poste a impedire, che nella Chiesa dove tutto è ordine, altri invada gli uffici senza missione. « Come predicheranno, domanda l'Apostolo, se non sono invitati? » *Quomodo praedicabunt nisi mittantur?* (Rom. X, 15). Or mentre il Divino Unigenito le tante volte protesta, non essere sua propria, ma del Padre la dottrina predicata da lui – *Sermonem quem audistis non est meus, sed eius qui misit me, Patris* (Ioan. XIV,

vinculum unitatis omnium fidelium catholicorum ab Amazonum fluvio ad Tagum, a Terra quae ab igne nomen habet, ad Thulem: linguam Conciliorum ac Patrum; linguam duarum Potestatum, Romanae et Christianae, quae Mundum cum civilibus moribus unitate donaverunt (civili videlicet et religiosa); linguam denique, quae digna fuit, ut post Hebraicam et Graecam in Titulo Crucis conscriberetur; atque hanc tam magni pretii linguam cum obscura quadam loquendi ratione commutent, quam neque Cavalca, neque Aligherius agnoscerent: et quamvis in ecclesiasticum Ritum variationes inducere arbitrati sint, quod quidem, absque consensu supremi moderatoris Sacrae Liturgiae in universa terra, facere nefas est; oculis tamen imperitorum hominum hic novitatis apparatus innocens videri potest, atque una e tot liturgicis formis, quibus condecoratur Ecclesia. At vero et hoc malum est, et quidem gravissimum, quum ecclesiasticam disciplinam de supplicandi lege vehementer laedat; quae iuxta percelebre S. Caelestini effatum, credendi legem statuit: « Ut legem credendi, ait, lex statuat supplicandi » (Ep. XXI).

Sed praeterea quod peius est hi leges subvertunt divinitus positas, ne quis in Ecclesia ubi omnia ordinata sunt, officia sibi usurpet sine missione. « Quomodo praedicabunt, sciscitatur Apostolus, nisi mittantur? » (Rom. X, 15). Igitur dum Unigenitus Dei adeo saepenumero protestatur, suam

Digitized by Google

24); mentre del Divino Paraclito è scritto, ch' egli all' opera santificatrice delle anime sarebbe mandato dal Padre e dal Figlio: *Paraclitus autem Spiritus Sanctus quem mittet Pater in nomine meo* (Ib. 26); questi improvvisati apostoli presumeranno di parlare nel nome di Dio, senza essere autorevolmente mandati? Non dissimili da' profeti, condannati in Geremia « perchè senz' ordine, prendevan l'abrivo, vuoti d' inspirazione, si davano a profetare » (XXIII, 21) continuano la discendenza di quegli eretici, che s. Cipriano (de Unit. Eccl.) dipinge in atto di capitanare da sè, non richiesti, gente avventiccia lasciatasi portare dalla spensieratezza. Ora *nessuno si arroga l'onore se non chi è chiamato da Dio a somiglianza d'Aronne* (Heb. V, 1). Il levita attende dal Vescovo, e il Vescovo alla sua volta si gloria di sottostare al Romano Pontefice, al quale, nella persona di Pietro, G. C. commise unico, intero senza limiti, nè riserve il suo gregge. *Pasce agnos meos... pasce oves meas* (Ioan. XX, 16. 17). Eglino pertanto s' intrusero nella vigna del Signore per devastarla; tralci spiccati dalla vite, s' abbarbicarono a esotiche piante, indarno lusingandosi di menar frutto; lungi dal secondare lo Spirito di Dio, animator di concordia, gittatisi alla balía d'uomini potenti

propriam non esse, sed Patris, doctrinam quam praedicabat. «Quem audistis sermonem, non est meus, sed eius, qui misit me, Patris» (Io. XIV, 24); dum de divino Paracleto scriptum est, ad opus perficiendae sanctificationis animarum a Patre et Filio missum iri «Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem Pater mittet in nomine meo» (Ibid. 26); isti ex tempore conficti apostoli, Dei nomine loqui praesument nulla auctoritate missi? Haud dissimiles Prophetarum, qui per Ieremiam damnantur, quod cursum sine mandato arriperent, et divina inspiratione destituti prophetarunt (Ier. XXIII, 21). Propaginem prosequuntur haereticorum, quos s. Cyprianus depingit iniussos ducentes adventitiam gentem, quae desidia atque incuria se trahi sinit (Lib. de Unit. Eccl.). At vero « Nemo sumit sibi honorem; sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron.» (Heb. V, 1), Levita Episcopo attendit; Episcopus autem et ipse subesse gloriatur Romano Pontifici, cui Dominus Iesus Christus in persona Petri unicum atque integrum gregem suum, sine limitibus, sine ulla exceptione commisit. « Pasce agnos meos... pasce oves meas (Ioan. XX, 16. 17). Se ipsi igitur in vineam Domini, ut eam devastarent, intulerunt, intruserunt: palmites a vite excisi, plantis exoticis adhaesere, frustra sibi ipsi blandientes, se posse fructum ferre. Quin Spiritui Dei, qui concordiae auctor est, obsecundent, facti servi hominum potentium secundum carnem, matri quae ipsos nutriit,

Digitized by Google

secondo la carne, muovono guerra alla madre che li nutrì e contro coloro, ch'ebbero larghi d'affetto e beneficii, levano stizzosamente il calcagno. Così da sè medesimi hanno scritta la propria sentenza; usciti, direbbe s. Girolamo, dall'arca non ponno che perdersi nel diluvio; abbandonata la Cattedra di S. Pietro, soggiungerebbe S. Cipriano, quella Cattedra, ov' è fondata la Chiesa, come ponno pretendere d'appartenere tuttora alla Chiesa? (de Unit. Eccl. c. 4), o qual posto avanza loro nell'ovile di G. C. quando si sono sbrancati dall'ovile di Pietro, che tutto l'ebbe in custodia? (S. Bernardo, de Cons. ad Eug. L. 2, c. 4).

Dunque il loro attentato, oltrecchè sacrilego e sovversivo dell'ecclesiastica disciplina, è essenzialmente scismatico.

Ma quasi fosse leggero il peso di tante colpe, lo raggravano della massima, ch'è l'eresia. Non è un segreto (apparisce dall'*oggetto* della Congregazione, posto a capo dello statuto), ch'essi, accomunandosi d'idee alla sètta de' vecchi cattolici, l'ultima fra l'ereticali, sopravvenuta da omai tre lustri a funestare la Chiesa, impugnano il Primato di giurisdizione e l'infallibilità del Romano Pontefice definiente *ex cathedra* in materia di fede e costumi: sono quindi eretici manifesti. E neppure è un segreto la

bellum indicunt, atque in eos, a quibus olim benevolentia et beneficiis large affecti sunt, calcem iracunde elevant: atque ita ipsi suam contra se subscripsere sententiam: ab Arca salutis egressi, ut scribit s. Hieronymus, diluvio pereant necesse est: s. Petri Cathedra derelicta, subiicit s. Cyprianus, in qua fundata est Ecclesia, quomodo contendere possunt, adhuc se ad Ecclesiam ipsam pertinere? (De Unit. Eccl. c. 4), aut quis locus illis superest in Ovili Christi Domini, quando ab Ovili Petri, cui totum commissum est, diverterunt? (S. Bern. Lib. de Consid. 2, c. 4).

Igitur eorum attentatum, praeterquam quod sacrilegum est, atque ecclesiasticam disciplinam subvertit, re ipsa schismaticum est.

Quasi vero tot culparum pondus leve esset, illud praegravant omnium pessimâ, quae est haeresis. Arcanum quidem non est, quum id ex ipso Congregationis scopo, qui in Statuti capite prostat, manifeste pateat; quod hi Sententiam amplexantes veterum *(ut vulgo vocantur)* Catholicorum, *quae Secta, inter haereticas, omnium recentissima, tribus abhinc lustris ad Ecclesiam exturbandam supervenit, Primatum iurisdictionis, et Infallibilitatem Romani Pontificis definientis, ut aiunt,* ex Cathedra *in re fidei et morum, impugnant: sunt igitur manifesto haeretici. Neque item arcanum est, sympathiam ipsos alere erga ecclesiam Gallicanam, a Hyacintho Loysonio misere progenitam.*

Digitized by Google

simpatia ch'essi alimentano verso la cosi detta Chiesa Gallicana, miseramente generata da Giacinto Loyson. Questa, oltre convenire negli errori de' vecchi-cattolici, stermina la confessione sotto colore di ridurla *libera* e *morale;* non rende alla Vergine il dogmatico appellativo di madre di Dio; distingue riguardo all'origine ed all'autorità, i libri protocanonici dai deuterocanonici della Bibbia; aggiudica alla vera Chiesa gli scismatici orientali e gli anglicani: or è da cotale società che i dissidenti di via Genova ricevono ispirazioni e conforti. Questa ritengono *religione adatta alla coltura del popolo ed ai bisogni della civiltà presente* (Statuto ib.), a preferenza della vera Cattolica.

Anzi più, ne' libri disseminati fra' proseliti liberamente, insinuano altri errori, che *Iddio onnipotente.... ha dato ai suoi ministri autorità e precetto di dichiarare e pronunziare al suo popolo penitente l'assoluzione e remissione de' loro peccati* (Vespro, Ufficio quotidiano, p. 2). Eppure il Vangelo afferma recisamente: *a chi rimetterete, a chi riterrete* (Ioan. XX, 23). Negano nei loro *Salmi* l'infallibilità della Chiesa, quando vi si canta di lei: *Fa ch'ella in noi rinasca. Fa ch'ella sia qual fu* (Salmi e cantici, Roma, 1882, Cantico 58, p. 62). E della SS. Eucaristia:

Haec praeterquam quod in errores convenit veterum-Catholicorum, Confessionem sacramentalem expungit sub specioso praetextu, velle se eam liberam *facere atque* moralem: *denegat Virgini Mariae dogmaticam appellationem, Theotocon seu Deiparam: Sacrae Scripturae libros, cum ratione originis, tum vero etiam ratione auctoritatis, Protocanonicos a Deuterocanonicis distinguit ac separat: verae Christi Ecclesiae Orientales Schismaticos atque Anglicanos adiudicat. Ab hac nimirum Societate Haeretici qui in Via, cui a Genua nomen est, conveniunt, inspirationes suscipiunt, hortamenta, auxilia: atque hanc unam populo excolendo idoneam autumant, quaeque temporum nostrorum necessitati prae catholica religione apprime inserviat. (In suo Statuto).*

Immo vero in Libris inter suos proselytas libere disseminatis et alios errores adstruunt. Ex. gr. « Deum Omnipotentem dedisse suis Ministris auctoritatem atque praeceptum declarandi ac pronuntiandi populo poenitenti absolutionem et remissionem peccatorum » (In suis Vesp. et Off. quot. p. 2); quum in Evangelio a Christo Dño expressissime edicatur « Quorum remiseritis, quorum retinueritis » (Io. XX, 23). Denegant in suis Psalmis Ecclesiae indefectibilitatem; canitur enim de ea (Cantic. 58): « Fac ut illa in nobis renascatur: Fac ut illa sit qualis ante fuit. » De SSña vero Eucharistia sic, ut latine sonat (Cant. 132). « Hic panis nobis commemorat – Immensum Iesu

Questo pane ci rammenta – Di Gesù l'immenso amor; – Il suo corpo rappresenta, – Ch'ei donò pel peccator. – Questo vin del sangue emblema – Del Signor a noi sarà (Ib. Cant. 132, n. 131). Qui splende chiara la negazione della reale presenza di G. C. sotto le specie eucaristiche, e si predica a rima l'eresia de' Berengariani.

Arrogi la dissimulazione delle verità cattoliche, la nessuna invocazione dell'Immacolata Vergine, degli Angeli e dei Santi, il ghiacciato alito del Protestantesimo soffiato dall'un capo all'altro di questi libri, e poi si neghi la professione d'eresia alla sedicente Congregazione di S. Paolo della Chiesa cattolica italiana.

Sebbene: i due appellativi reciprocamente s'elidono, quello tutta la terra, questo involgendo una nazione, certo nobilissima, una però delle tante abbracciate con materna carità dalla Chiesa. È applicabile al caso la sentenza d'Agostino contro i Donatisti: « Prezzo del comune riscatto è il sangue di Cristo. Quanto vale? l'intero mondo. Quanto? tutte le genti. Sono dunque ingratissimi contro il prezzo che li ricomprò, ovvero tumidi di superbia coloro che affermano, o quello essere sì da poco da aver redento i soli Africani, od eglino esser da tanto che bastino ad appropriarselo tutti soli. » (In Ps. 95). Non ponno dunque vantarsi del

amorem. – Corpus Eius repraesentat – Quod ipse dedit pro peccatore. – Hoc vinum, emblema Sanguinis – Domini nobis erit. » Ubi apertissime patet, realem Christi Domini praesentiam sub speciebus eucharisticis, denegari; atque haeresis Berengariana rhythmice praedicatur.

His adde dogmatum catholicorum dissimulationem; cuiusmodi est Immaculatam Virginem, sive Angelos, sive Sanctos nuspiam invocari: adde gelidum Protestantismi halitum a capite ad calcem in eorum libris spirantem; et neges quaeso, si potes, manifeste haereticam esse Congregationem, (quae se a s. Paulo per summum nefas appellat) Ecclesiae Catholicae italicae.

Nimirum hae duae appellationes se invicem elidunt; quum prior universam terram, posterior autem eam nationem designet, etsi nobilissimam, quam tamen Ecclesia maternâ charitate amplexata est. Huc referenda videntur quae Augustinus contra Donatistas scribit: « Sanguis Christi pretium (redempti Orbis) est: tanti quid valet, nisi totus Orbis? Quid (inquam), nisi omnes gentes? Valde ingrati sunt pretio suo, aut multum superbi qui dicunt, aut illud tam parum esse, ut solos Afros emerit; aut se tam magnos esse, pro quibus solis sit datum » (In Ps. 95). Non igitur gloriari possunt nomine Catholico, qui se religionis, ut aiunt, nationalis *fautores profitentur. At verum ne est, eorum cultum in Italia reapse nationalem esse? Huiusmodi cul-*

Digitized by Google

titolo di cattolici, quando si professano fautori d' una religione nazionale. Ma è poi vero, che il loro culto sia nazionale in Italia? L' idea n' è straniera, tolta dai vecchi cattolici, a' quali anche recentemente ricorsero per violentare in capo a un loro adepto lo Spirito Santo: n' è forestiera la pratica, mutuata da pochi Gallicani del Loyson e da' Ritualisti; d' Italiano che cosa ci resta? Ricordino come in Italia i due Socini ed il Sarpi sieno eccezioni, e la regola protegga i genii, che in ogni ordine di scienze e d'arti, si la nativa penisola illustrano e l'universale civiltà, che la Religione. Da Costantino a noi, le più sublimi pagine della storia italiana le scrisse il Papato, nè vi fu bella, nobile, utile istituzione, che non vantasse Mecenati i Pontefici. Ricordino che sul cielo italiano mal s' addensano le nebbie dell' eresia: il genio d'Italia, armonizzando le più dissimili facoltà, se posa nelle braccia di Dio, è cattolico; se poi sventuratamente se ne discioglie, non ristà a mezzo, nè degna pur d'un saluto le sale dei protestanti, ma via per lo sdrucciolo dell'empietà corre al fondo.

È dunque eretica la Congregazione di s. Paolo della Chiesa cattolica italiana; sono sacrileghe le funzioni del culto da essa esercitate, nè a quella può darsi il nome, nè a queste a bello studio

tus idea et forma extera omnino est, quam hi a veteribus Catholicis mutuati sunt, ad quos nuper etiam confugerunt; ut in quemdam suum alumnum vi Spiritum Sanctum inducerent. Extera item est exercitatio, quam a paucis Gallicanis Loysonii, atque a Ritualistis, quos vocant, mutuati sunt. De re italica quid quaeso nobis superest? Meminerint, in Italia binos Socinos Sarpiumque prorsus singularis fuisse ingenii; communemque iudicandi rationem geniis praeclarissimis favere; qui in omni scientiarum atque artium genere cum natalem Peninsulam universamque hominum societatem, tum vero etiam Religionem Sanctam illustrant. Ab Imperatore Constantino ad nos usque, praeclariores atque insigniores Italicae Historiae paginas Romanus Pontificatus exaravit conscripsit: nec ulla fuit publici operis perpulcra, nobilis atque utilis institutio, quae Romanos Pontifices vel auctores, vel fautores, quasi totidem Mecenates, non habuerit. Meminerint, haeresim sub Italico coelo frustra in nubes condensari: nam Italicae gentis indoles, quae dissimillimos etiam animos invicem accommodat atque componit, eiusmodi est, ut si Italus Deo adhaereat, catholicus sit; si vero se ab ipso seiungat, nequaquam in medio consistat, atque Aulas Protestantium foris pertransiens ne salutare quidem dignetur; sed infelici quodam fato per lubricam impietatis viam ruens praecepsque feratur in imum.

Est ergo haeretica Congregatio, a s. Paulo nuncupata, Ecclesiae

Digitized by Google

si può assistere, senza incorrere le censure.

Applichiamo pertanto al caso, anche in virtù di particolari facoltà a Noi delegate dal Santo Padre, la dichiarazione emanata dall' Emo Nostro Predecessore, nella sua lodata Istruzione del giorno 12 luglio 1878. (*)

1. Incorrono la scomunica maggiore, riservata al Papa tra le specialissime, tutti coloro, i quali anche senza l' animo di aderire all' eresia, e per solo rispetto umano si ascrivono, o in qualunque altro modo danno il nome alla detta Congregazione, nè più, nè meno che se si aggregassero all' altre sètte.

2. A più forte ragione incorrono la stessa pena quelli che prendono parte alle funzioni di essa, ovvero ascoltano il predicante con l' animo d' arrendersi a lui, quante volte, com' essi empiamente dicono, li persuada.

3. La incorrono parimente quelli che, fattisi autori dell' altrui spirituale rovina, inducono comechessia altri a intervenire alle funzioni, ai sermoni, od alle conferenze di quella sètta.

4. E finalmente sono innodati nella stessa censura tutti coloro che pubblicano con la stampa gli inviti a' sermoni od alle conferenze, ovvero i temi di queste o di quelli, per il favore che prestano

Catholicae Italicae, *ut ipsa se appellat: Sacrilegi ritus, quibus utitur, supplicationesque quas peragit; nec eidem dare suum nomen cuiquam Catholicorum licet, quin in ecclesiasticas censuras incurrat.*

Hic igitur, peculiaribus etiam facultatibus utentes nobis a Pontifice concessis, ea quae Eminentissimus Praecessor noster edixit in sua Instructione III. Idus Iulii anno MDCCCLXXVIII edita applicamus.

1. Excommunicationi maiori, Pontifici Romano inter specialissimas reservatae ii omnes obnoxii sunt, qui etiam sine voluntate adhaerendi haeresi, et solummodo respectus humani causâ, aut quacumque alia ratione, eidem Congregationi nomen dant, prorsus perinde ac si aliis damnatis sectis adscribantur.

2. Potiori iure eidem poenae subiacent, qui in cultus functionibus partem habent, vel praedicanti aures praebent animo assentiendi si quidem is, ut impie loquuntur, sibi ipsis persuadeat.

3. Eidem censurae obnoxii sunt, qui auctores effecti spiritualis ruinae aliorum hominum, alios quoquomodo inducunt, ut eiusdem sectae cultus functionibus, publicis sermonibus, collationibusve intersint.

4. Denique eâdem censurâ innodantur, quotquot eorum invitationes ad concionem collationemve typis impressas in vulgus edunt, aut earum themata quomodolibet publicant; propter favorem quo

(*) Instructio haec prostat Vol. XI, pag. 168.

Digitized by Google

cosi alla diffusione od alla conferma dell' eresia.

E poichè sta scritto « chiunque ama il pericolo, perirà in quello » (Eccl. III, 27), sono dichiarati gravemente colpevoli queglino che, anche per sola curiosità, entrano nella sala della detta Congregazione, quando o vi si predichi, o vi si facciano le funzioni; e molto più se vi si assista, sia pure materialmente e con intenzione aliena dall' eresia.

Racconta il secondo libro de' Re (XXI, 10), come Resfa dì e notte vegliasse i figli, pendenti esanimi dal patibolo della Croce. La pietà di quella povera madre, onde si commosse Davidde, è tuttodì celebrata con ampie lodi; e la pietà della Chiesa nel difendere, non che dalle rapacità delle fiere i cadaveri, dalle insidie dei nemici le anime de' suoi figli, quella vigile sollecitudine dell' amore materno sarà recata a durezza? V' è una pietà crudele, tutta studio a dissimulare le colpe, a spalancare il varco agli errori, a guardare impassibile i tanti precipitantisi negli abissi. Non è questa la pietà della Chiesa. V' è tal durezza che grida, minaccia, trattiene, ma a salvar l' innocente, a sollevare il caduto, sicchè non infradici nel lezzo delle passioni: questa è la durezza, questa la crudeltà della Chiesa. « Meglio, dice l' ispirato autor de' Proverbi, meglio le ferite d' un amico

haeresim sive diffundendam, sive confirmandam afficiunt.

Et quoniam scriptum est « Qui amat periculum in illo peribit » (Eccles. III, 27), idcirco gravi culpae obnoxii denunciantur, qui vel solâ curiositatis causâ in eiusdem Congregationis aulam, quando vel concio habetur, vel functiones peraguntur, ingressi fuerint; praesertim vero si quis, etiam animo ab haeresi alieno, ibi adsistat.

In secundo libro Regum (XXI, 10), legitur; Respha filiis suis, dum e Crucis patibulo exanimes penderent, sollers vigilasse. Illius miserae matris pietas, qua Davidis animus adeo commotus est, etiam num amplissimis laudibus celebratur; at vero Ecclesiae pietas in tuendis nedum a belluarum rapacitate cadaveribus, verum ab hostium insidiis suorum filiorum animis, ac vigil materni amoris solicitudo, cordis duritiae tribuetur? Est enimvero quaedam pietas crudelis, quae omni studio aliorum culpas dissimulare, atque erroribus aditum patefacere contendit, dum ipsam interea nil miseret eorum, quos videt ad inferos se praecipites dare. Haudquaquam eiusmodi est Ecclesiae pietas. Item vice versa, est quaedam crudelitas, quae clamat, minatur, detinet; sed ut innocentem servet, lapsumve sublevet, ne quis in vitiorum coeno putrescat: haec profecto Ecclesiae duritia est, haec crudelitas. « Meliora sunt, ait Proverbiorum inspiratus Auctor, (XXVII, 6), vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odien-

Digitized by Google

che non i baci incantevoli dei nemici. " *Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis* (XXVII, 6). Quella crudele pietà ritraggono i baci dell' odio, questa pietosa durezza rivelano i rimproveri dell'amore.

A' gemiti di tanta madre porgete l' orecchio, o Romani. *Gemitus matris tuae ne obliviscaris* (Eccles. VII, 29); ascoltate gli autorevoli avvisi del Padre vostro, piangente i danni, piangente la perdita di tanti figli, e consolando il dolore di Lui, predisporrete a clemenza il giudice incorruttibile.

Dalla Nostra residenza, nella Solennità dell'Arcangelo San Michele, 29 settembre 1884.

L. M. CARD. VICARIO

AUGUSTO Can. BARBIELLINI *Segr.*

I MM. RR. Signori Parroci leggeranno al popolo in un dì festivo e spiegheranno questa Notificazione.

tis » Illam quidem crudelem pietatem odientis *oscula referunt; hanc vero pietate plenam crudelitatem produnt* diligentis *increpationes.*

Gemitibus tantae Matris aures praebete, Romani « Gemitus Matris tuae ne obliviscaris » (Eccles. VII, 29). Patris vestri, tot filiorum perniciem exitiumque lugentis, monita gravissima animo auribusque percipite: atque ita eius dolorem levantes, aeterni Iudicis, qui corrumpi non potest, animum ad clementiam in vos ipsi flectetis.

Data e nostris aedibus die Sancto Archangelo Michaëli Sacra, 29 Septembris anno 1884.

L. M. CARD. VICARIUS

AUGUSTUS Can. BARBIELLINI *Secr.*

Admodum Reverendi DD. Parochi hanc nostram Notificationem die festo legent populo atque explanabunt.



Digitized by Google

LITTERAE APOSTOLICAE SSmi D. N. Leonis XIII. de erectione Urbani Collegii statuum foederatorum Americae Septentrionalis.

Ubi primum latissimae Americae Septentrionalis plagae deductis ex Europa coloniis frequentia populorum celebrari coeperunt, Romani Pontifices Praedecessores Nostri ad eam regionem oculos convertentes in qua modo florentissima ex foederatis statibus Respublica constituta est, omnes sollicitudines et studia sua in id contulere, ut catholica fides quaeque ex ea dimanant in civitates bona, non modo inter Christifideles manerent incorrupta, sed etiam inter gentes sive barbaris sive ex diversis orbis partibus illuc immigrantes, quamvis, origine, lingua, moribus, religione dissitas, inducerentur. — Ad hos salutares fructus assequendos maxime valuerunt, tum virorum apostolicorum delectus quos undique conquisitos in eas provincias mittere numquam destiterunt, tum sedulae assiduaeque curae Sacrae Congregationis Christiano nomini propagando, cuius consiliis et ministeriis Iidem perpetuo usi sunt, ut septentrionalis Americae spirituali utilitati consulerent. — Porro eadem Sacra Congregatio Decessoribus Nostris operam navans, inter alia sui studii argumenta erga eam regionem, hoc etiam exhibuit, ut nempe admissis in Urbanianum Collegium eius regionis alumnis, ex iis novos in dies Evangelii praecones in urbe totius christiani Orbis principe, in ipsis Pontificum oculis ad pietatem et scientiam pro Americae borealis gentibus diligenti institutione informandos, opportune curaret. Illustris autem Americae gentis electa pars tot tantisque Summorum Pontificum dilectionis testimoniis ita respondit, ut quam dè se expectationem, excitaverat, eidem luculenter re ipsa satisfecerit. Egregia enim semper argumenta praebuit sui studii erga catholicam religionem, ac filialis obedientiae devotaeque voluntatis erga Apostolicam Sedem. Eique firmis obsequii vinculis sese devinctam ostendit. Qua in re praecipuam commendationem sacri eius regionis Pastores sibi vindicant, quorum concordibus et assiduis laboribus brevi eo res adductae fuere, ut amplissima Episcopali Hierarchia per memoratos status constituta, religiosis Ordinibus invectis, Catholica institutione diffusa, veluti novum Ecclesiae spirituale regnum in iis regionibus effloruerit.

Haec magna cum consolatione intuentes Romani Pontifices sui muneris, paternaeque suae erga illustrem illam partem dominici gregis benevolentiae esse duxerunt, ut maiora etiam in eius utili-

Digitized by Google

tatem peragenda curarent. Quapropter inclitus Decessor Noster fel. rec. Pius IX nihil ad religionis incrementum utilius, ad Pontificiam munificentiam opportunius existimavit quam providere, ut quemadmodum plures ex aliis exteris nationibus, sic foederati Americae Septentrionalis status suam in Urbe domum altricem haberent in qua delecti iuvenes sacris studiis sacraque disciplina instituendi, ad exercendum deinde in patria sua uberi cum fructu sacerdotale ministerium exciperentur. — Quod feliciter mente conceperat illustris Decessor Noster, operam etiam dedit, ut omni sublata mora ad exitum perduceretur. Itaque Eius iussu a sacro Consilio Christiano nomini propagando coëmpta in urbe domus, quae Sacrarum Virginum a Visitatione Deiparae antea fuerat, Collegio alumnorum Septentrionalis Americae addicta, perpetuumque in usum attributa est; simulque anno 1858 die solemni Sanctae Dei Matris sideribus receptae ab eodem Sacro Consilio litterae datae, quibus eiusdem Collegii erectio pro foederatis Americae Septentrionalis statibus decernebatur. Collegium quidem ipsum felicibus auspiciis die 8 decembris anno insequenti dedicatum est: sed tamen usque ad hanc diem illud supererat, ut documentum Apostolicum ederetur, quo ipsum ex more institutoque huius Apostolicae Sedis canonicae suae erectionis vim et dignitatem acciperet. — Eius rei causa Venerabiles Fratres Americae Borealis Episcopi, qui superiore anno exeunte de gravibus religionis rebus acturi in hanc almam Urbem convenerunt, per Ven. Fratrem Archiepiscopum Baltimorensem Nobis fervidas preces obtulere, ut quod nondum a Collegio regionis suae constituto peractum fuerat, auctoritate curaque Nostra fastigium imponentes operi, perficeremus. Nos itaque haud cunctandum rati, eorumdemque Venerabilium Fratrum communibus votis obsecundare, clerumque et fideles americanae regionis novo hoc amoris testimonio prosequi cupientes, decretum a memorato Sacro Consilio editum super constitutione Collegii Clericorum pro foederatis Americae Septentrionalis statibus, cum omnibus et singulis in illo contentis, Auctoritate Apostolica tenore praesentium confirmamus eique inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac praeterea ad maiorem Dei Gloriam, ad incrementum catholicae religionis, ad decus utilitatemque magnae Reipublice foederatorum Americae Septentrionalis statuum, eadem auctoritate tenore praesentium idem Collegium in hac alma Urbe, iuxta canonicas normas erigimus et constituimus, ac nomine et titulo Pontificio decoramus, eidemque omnia iura, praerogativas, privilegia huiusmodi Collegiorum propria attribuimus et elargimur, ad leges quae infra sequuntur.

Digitized by Google

I. Cardinalis Sacri Consilii Christiano nomini propagando Praefectus pro tempore existens, idem perpetuo Patronus Collegii esto: idemque ubi opportunum sibi visum fuerit, adiutorem sibi in eo munere gerendo deligendi et constituendi iure fruatur.

II. Administratio universa Collegii ab Archiepiscopis et Episcopis foederatorum Statuum Americae Septentrionalis, vel a Praesulibus ab ipsis ad id muneris legitime deputatis, geratur.

III. Archiepiscopi et Episcopi, quibus, ut supra Collegii administratio concredita est, iidem, cum moderator Alumnis Collegii regendis renunciandus fuerit, tres sacerdotes, qui ad hoc munus obeundum idonei visi fuerint Sacro Consilio Fidei propagandae, proponant, uti ex iis Summus Pontifex audito Sacrae Congregationis consilio eligat, quem Collegii regimini Rectoris nomine et potestate praeficiat.

IV. Rector in omnibus quae ad Collegii regimen pertinent Emi Patroni ac Episcoporum Collegii Administratorum auctoritati obsequatur, eisque accuratam rei familiaris rationem sexto quolibet anni mense reddat.

V. Rector idem, ut munere suo expeditius et utilius perfungi queat, tum in iis quae oeconomicam Collegii curationem, tum in iis quae Alumnorum disciplinam spectant, opportunis adiutoribus utatur. — Propterea ipsius erit, Emo Patrono approbante, idoneum sacerdotem vicarium suae potestatis adsciscere, nec non curatorem rei familiaris Collegii Emo Patrono et Episcopis administratoribus proponere, ac de ipsorum consensu constituere, qui in munere exercendo a Rectoris auctoritate nutuque pendere debebit.

VI. Rector omnibus praesit, non alumnis modo, sed et singulis maioribus ac minoribus Collegii administris.

VII. Nec inter alumnos admittatur quispiam, nisi aut ratione originis aut ratione domicilii vel quasi domicilii foederatorum Americae Statuum civis habeatur, et constitutis conditionibus satisfaciat, ac ingenii morumque laude probatus firmam spem praebeat, sese in ecclesiasticis ministeriis esse perpetuo inserviturum.

VIII. In alumnis novis adsciscendis Collegii Rector cum Episcopis agat ad quorum Dioecesim ipsi pertinent; tum de singulis qui excipiendi erunt ad Emum Patronum referat, alumnosque item antequam Collegium ingrediantur, aut in patriam redeant, coram Emo Patrono sistat.

IX. Alumni antequam ad sacros Ordines promoveantur, iuramentum de more emittant, ut in Collegiis Pontificiis fieri solet.

X. Collegii Urbani fidei Propagandae scholas Americani Alumni

Digitized by Google

studiorum causa celebrent, ibique ad gradus Academicos assequendos doctrinae experimenta edant. — Quo vero in studiis suis proficere valeant uberius, sacerdos rerum theologicarum et philosophicarum scientia praestans apud ipsos commoretur, qui iisdem in susceptis praelectionibus explanandis et illustrandis adiumento erit.

XI. Quod autem ad spiritualem Alumnorum curam attinet, Rectoris munus erit sacerdotem ad confessiones excipiendas ab Emo Urbis Vicario approbatum, in pietatis magistrum et ordinarium Confessarium qui in Collegii aedibus degat, de Emi Patroni assensu deligere; isque ita delectus Alumnorum animis ad virtutem et scientiam Sanctorum studiose ac prudenter provehendis operam navet.

XII. In Alumnorum disciplina regulae seu leges Collegii Urbani Fidei Propagandae opportune temperatae, ac peculiaribus Americani Collegii rationibus accommodatae, accurate serventur.

Volumus denique ut hae Literae Nostrae firmae rataeque, uti sunt, ita in posterum permaneant; irritum autem et inane futurum decernimus si quid super his a quoquam contigerit attentari: contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae sub annulo Piscatoris anno millesimo octingentesimo octuagesimo quarto die xxv Octobris, Pontificatus Nostri anno septimo.

F. CARD. CHISIUS.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

VARMIEN.

IMPEDIMENTI MATRIMONII

Die 14 Iunii 1884.

Compendium facti. Anno 1878 Franciscus K. et Augusta Z. sese mutuo amore foventes matrimonium inire statuerunt. Verum huiusmodi nuptiis se opposuit Elisabeth mater Francisci edicens, hunc natum quidem esse post matrimonium cum

Digitized by Google

viro suo Andrea, ideoque in libro parochiali ceu filium legitimum inscriptum, sed revera procreatum esse ex illicita copula, quam ipsa ante matrimonium habuerat cum Iosepho patre Augustae.

Nihilominus conniventibus, immo approbantibus parentibus Augustae, uti refert Ordinarius varmiensis, tractatus matrimoniales inter Franciscum et Augustam continuati sunt. Cumque ista ex illicito commercio cum Francisco prolem peperisset et secunda vice uterum gereret, mense Maio 1880, matrimonium, quod vulgo dicitur civile, inter eos conclusum est; quamvis Officialis civilis a Magistratu superiori peteret, ut contra Franciscum propter *incestum* ageretur; quod ex mandato superiori prohibitum fuit ex eo quod in libro baptismali Franciscus ut legitimus filius esset inscriptus.

Hac tamen sententia fori civilis prolata, Parochus modo defunctus renuit matrimonio ecclesiastico assistere ob praefatum impedimentum. Quapropter Iosephus pater Augustae Episcopum varmiensem in scriptis adiit, ut parochum ad matrimonii benedictionem cogeret.

Episcopus rem suo Vicario commisit, ut diligentius inquireret. Hic, instructo processu, testibus hinc inde auditis sub iureiurandi fide, et praevia matura deliberatione, die 15 Decembris 1880 decrevit: inter Franciscum et Augustam matrimonium iniri non posse propter impedimentum primi gradus consanguinitatis: utpote genitos ex eodem patre: super quo impedimento ab Apostolica Sede dispensatio numquam conceditur. Insuper iussit praefatos sponsos ab invicem separari, et a sacramentis recipiendis prohiberi tum ipsos, tum parentes Augustae, nisi antea scandalosissimum filiae contubernium protegere destiterint.

Tres per annos res ita permanserunt, donec tandem mense Novembri 1883, Ioseph pater Augustae ad s. Sedem confugit exponens: matrem Francisci cum mendacio adiisse parochum nunc defunctum... eique dixisse se adolescentem illum, qui nunc matrimonium contracturus fere 30 annos natus est, extra matrimonium procreasse ex ipso patre Au-

Digitized by Google

gustae... Matrimonii celebratione ab officiali status civilis peracta, matrimonium ecclesiasticum Parochum recusavisse atque institisse, ut coniugum fieret separatio; quae tamen impossibilis est; eo quod iam ex eis nati sint tres pueri, et iidem coniuges copulentur lege civili: quae separationem non sinit. Qua de re Orator petiit, ut Franciscus et Augusta ad ecclesiasticum matrimonium admitterentur.

Disceptatio Synoptica.

Decretum curiae infirmandum est. Decreto Curiae Varmiensis non pauca adversari videntur. Quandoquidem in primis adest generalis praesumptio et quidem in iure fundata, qua dicitur, prolem constante matrimonio legitimo natam, tamquam legitimam habendam esse quoadusque validis argumentis contrarium non probetur; ita enim ius habet - *pater est quem iustae nuptiae demonstrant,* in *cap. 2, qui filii sint legitimi,* et in *lege Nuper 11 Cod. de natur. liber.* Iamvero ex actis deprehendimus Franciscum in lucem prodiisse constante legitimo coniugio Elisabeth et Andreae, quod celebratum fuit septimo ante Francisci nativitatem mense. Ex actis etiam constare scimus, Andream, licet tempore nativitatis Francisci longe commorantem, paucis tamen diebus ante matrimonii celebrationem, sponsam Elisabeth carnaliter cognovisse, prout haec fatetur. Quapropter cum Franciscus ceu legitimus filius Elisabeth et Andreae in Baptizatorum libro inscriptus fuerit, Andrea minime reclamante et cum uti filius legitimus Andreae retentus fuerit a civili superiori Magistratu, qui insuper matrimonium civile inter Franciscum et Augustam iussit peragi; iam hoc argumentum peremptorium videretur pro Francisci legitimitate.

Sed ulterius praesumptio illa nedum ullo directo argumento excludi posse videtur, sed immo magis convalidari ex eo quod ante matrimonium Elisabeth, ceu acta demonstrant, non uni aut alteri tantum corporis sui copiam fecerit. Duo siquidem testes asseruerunt carnale commercium cum Eli-

Digitized by Google

sabeth habuisse: nec non ipse Iosephus, qui quamvis copulam mense Septembri 1847 cum illa habitam non deneget, affirmat tamen perfectam non fuisse et semen non effundisse.

Quae cum ita sint, nihil certi adstrui posse videtur ad effectum impediendi matrimonium Francisci cum Augusta. Agitur enim de statuendo impedimento matrimonium dirimente; quod odiosum est et contra libertatem coniugii, praesertim cum res esset de impedimento super quo Ecclesia nunquam dispensavit. Agitur de crimine constituendo, cuius natura in suo effectu difficillime probatur, eo quod ordinario occulta manet et incognita; principium enim est iuris canonici quod copula non probatur de visu; Consci *lib. 2 cap. 14* §. *1.* Proinde non indicia et praesumptiones, sed facti certitudo in iure requiritur. Hinc est quod Doctores quoad hanc materiam nonnisi concludentissimas probationes admittant, scilicet quae ostendant actum perfectum et consummatum; et quae sufficiunt ad demonstrandum in genere delicta carnis, uti dicunt; non sufficere ad dimittendum adulterium, stuprum, vel incestum. « Omnes actus obscoeni, ait » Ciaz *Discept. 2, n. 153,* non per indicia et praesumptio- » nes.,. sed per duos testes contestes de loco et tempore » idoneos ac omni exceptione maiores, qui deponant super » actu consummato ac perfecte praefinito dictae copulae. » A fortiori id dicendum pro statuendo impedimento consanguinitatis, in quo, ut aiunt Doctores, nec sufficit copula per se apta ad generationem, sed requiritur insuper quod generatio reapse sequuta sit ex hac et non ex alia copula.

Quid vero ad impedimentum in themate constituendum affertur? Omnes probationes allatae ad destruendam fidem, quam semper meretur, libri parochialis, unice reducuntur, ad serotinam reclamationem Elisabeth, licet iuramento firmatam, cum ex altera parte perfectum commercium deneget Iosephus. Hinc quanti in iure faciendum sit unius mulieris testimonium, nemo est qui ignorare possit. Praeterquamquod enim *testimonium unius est testimonium nullius,* in casu

Digitized by Google

occurrit, *effronti nulla fides*, et *alligans turpitudinem suam numquam auditur*. Testis enim iuxta canones ut sibi fidem valeat vindicare debet esse famâ et conversatione praeclarus, Cap. *Insuper de ea qui matr. accus. pot.* Ast talis non videtur esse Elisabeth, quae ante matrimonium praeclarâ famâ non enituit, ceu ipsamet fassa est.

Neque uti probatio valida haberi posset Elisabeth iuramentum: id enim non sufficit nisi per idoneos testes fuerit comprobatum: *cap. 3 De eo qui cognovit.* Immo Theologi in subiecta materia adeo plenam et evidentissimam exigunt probationem, ut affirmare non dubitent quod, si mater etiam in articulo mortis constituta cum iuramento declaret, filium suum extra nuptias genitum esse, ei fides non est adhibenda. Neque huiusmodi iuramentum a S. C. attentum fuit in *Senogallien. 17 Augusti 1805*, in *Ferentinen. 5 Iulii 1856* et in *Pisauren. 22 Maii 1875.*

Denique praetereundum non est, totum hoc negotium Elisabeth circa illud versari, in antipathiam nempe qua ipsa laborat erga Augustam, et proinde praetulisse huic seniorem sororem. Id enim affirmarunt plures testes iuramento subiecti, qui audivisse testantur Elisabeth « non esse contrariam, si filius suus seniorem filiam Catharinam Iosephi in matrimonium duceret. »

Quae vero in huiusmodi causis fuerit Sacrae Congregationis praxis, deprehendi potest in *Ravennaten. Matrimonii 13 Septembris 1721;* Zamboni verbo matrimonium §. 9; et in *Pientina Matrimonii 20 Martii 1732.* « Iuxta annum 1732 sponsalia inter Franciscum Giannini et Lucretiam Cantelli contracta fuerunt. Paulo post Virginia ipsius Lucretiae mater, quae prius fuit uxor Bartolomaei Cantelli, et post eius mortem nupsit Angelo Carontio, apud acta episcopalis Curiae, iureiurando interposito, denunciavit, se filium illum procreasse non ex Bartolomaeo priori marito, sed ex inhonesto coitu cum Ioanne Carontio, avunculo memorati Francisci Giannini, cum quo Lucretia sponsalia contraxit, proindeque matrimonium inter se ineundo obstare canoni-

Digitized by Google

cum consanguinitatis impedimentum. Nihilominus s. C. Franciscum ac Lucretiam posse matrimonium contrahere resolvit. » Et ita in *Bobien. Matrim. 16 Feb. 1742*, in *Balneoregien. Impedim. 16 Iunii 1770*, ut alias omittam.

DECRETUM CURIAE CONFIRMANDUM EST. Ex altera vero parte non minoris ponderis videntur argumenta quae Curiam varmiensem sapienter egisse suadent. Et in primis recolendum est, causas matrimoniales, ubi agitur de matrimonio impediendo ob aliquod dirimens impedimentum, si nondum contractum, vel dissolvendum, si iam initum, recenseri inter causas populares; ideoque non modo quorum interest, sed et ipsi coniuges, amici et propinqui in gradibus proximis accusatores et testes esse possunt. *Cap. super eo 22 de test. et attest.* et *cap. videtur 3 qui matrim. accus. pot.* Imo cuilibet fideli per se grave incumbit onus impedimentum matrimonium dirimens relevare, etiamsi solus de eo notitiam habuerit et probare non potest. S. Ligor. *tract. de matrim. n. 995.*

Hac igitur obligatione mota Elisabeth statim ac audivit de tractationibus matrimonii filii sui cum Augusta Curiam adivit, declarans: « se mense Septembris 1847 cum Iosepho copulam carnalem habuisse, et se gravidam sensisse, ex qua causa omnia probavit, ut matrimonium cum suo priore sponso Andrea, ex quo iam anno 1844 unum filium habebat, qui autem illo tempore militiae serviebat, et iuxta testimonium Officii militaris die 30 Septembris 1847 ex castello Koenigsberg dimittebatur, ut quam primum celebraretur, quod die 23 Novembris 1847 factum est. Post sponsi reversionem cum illo copulam non habuit, nisi paucis diebus ante nuptias. Istam prolem ex illicito concubitu cum Iosepho procreatam, esse Franciscum, quem die 2 Iunii 1848 genuisse affirmavit. » Et quoniam in illius nativitate maritus iterum abfuit, ipsa prolem ut legitimum filium Andreae in libro baptismali inscribendam curavit.

Quo posito, communissima est doctrina inter Doctores quod cum agatur de impediendo matrimoninm ob impedi-

Digitized by Google

mentum dirimens, si sola mater sponsi vel sponsae asserat intercedere consanguinitatem inter illos, coniungi nullo modo debent. Ita Schmalzgrueber *tom. IV part. III num. 70* innixus *cap. super eo 22 de test. et attest.* Vivian. in *ration. V. ad dict. cap.* Laym. *n. 3* Barb. *n. 9 ibid.* aliique. Et merito quidem : etenim ideo probationes plenissimae et undequaque certae requiruntur quando agitur de statuendo impedimento huiusmodi matrimonium, iam initum dissolvente, ut ne humanis passionibus vel miseriis inserviendo Christi Sacramentum profanationi et vilipendio exponatur. Cum igitur deficit ratio favoris, ad Sacramenti sanctitatem, ut in casu; quaelibet probatio etiam levis existentiae impedimenti sufficiens esse potest ad matrimonium impediendum, quin necesse sit ut antecedat rigorosa et evidens demonstratio. Hinc in *Asculana Matrim. diei 4 Iunii 1768 §. De modo...* legitur « De modo autem probandi impedimentum affinitatis » communiter distinguitur: vel agitur de matrimonio iam » contracto, et tunc quaeritur probatio plenissima, vel agi- » tur de matrimonio nondum contracto, et tunc ad illud » impediendum levis sufficit probatio. » Ita respondit Alexander III in *Cap. super eo 22 de testibus:* ita loquitur Consci *de separat. thori lib. 1 cap. 6 n. 35;* ita Rota *dec. 1317 coram Lancellotti.*

Quare S. C. C. in *Anconitana Matrim. 6 Augusti 1712.* resolvit « non esse locum celebrationi matrimonii in faciem Ecclesiae inter comitem Carolum Ignatium Nappium et Catharinam Casserari infimae conditionis: sed obstat potius aliquod impedimentum. Nam a Curia Episcopali praepeditus fuit tum ob inhonestam conversationem praehabitam cum Maria Magdalena, tum quia idem iactaverat eamdem Catharinam ex iniusto complexu genuisse ac filiam suam esse. »

Et in *Fulginaten. Mat. 22 Ian. et 17 Sept. 1767,* « Sponsalibus contractis inter Petrum Iacomini et Caeciliam Severoli ac iureiurando firmatis, dum in matrimonium coniungi cupiebant, ex parte Curiae episcopalis canonicum impedimentum appositum fuit, ex quo Caecilia gravem habuerit

Digitized by Google

consuetudinem cum germano fratre Petri, quos concubentes quaedam ancilla vidisse retulit. Propositum itaque fuit dubium, *an constaret de impedimento canonico, seu potius locus esset celebrationi Matrimonii;* S. C. rescripsit ordinario qui permitteret promulgationes et processum efformaret. Denunciatum fuit matrimonium et ex plurium testium depositionibus de impedimento constare promotor fiscalis asseruit. Hinc causa reproducta mandavit Episcopo ut prohiberet dictum matrimonium. »

Verum ad declarationem Elisabeth convalidandam non desunt et alia adminicula. In primis siquidem vir eius Andreas testatur « se nunquam dictum Franciscum filium suum habuisse et hanc suam persuasionem ab aliis etiam confirmatam audiisse; quamvis de hac re post reversionem ex militia locuti sint, se tacuisse, contra inscriptionem factam in libro baptismali nihil fecisse, et suae uxori indulsisse. » Secundo ipsi parentes Elisabeth et praesertim avunculus Francisci nullum non moverunt lapidem, ut ab huiusmodi matrimonio promovendo desisteretur: ipsi enim credunt Iosephum esse patrem naturalem Francisci.

Accedit testimonium Francisci Bauer, frater Elisabeth, Ioannis Wenzel famuli parentum Elisabeth, et Iosephi Kramkowski. Quae omnia satis abunde videntur ut Decretum Curiae sustineri in omnibus possit. Nam iuxta *caput 2 de consanguin.* et *cap. 27 de testib.* fama de existentia impedimenti per se sufficere potest ad matrimonium inhibendum.

Nec aliquid suffragari valet in contrarium argumentum deductum ex sententia magistratus civilis; ipse siquidem rem non investigavit quoad illegitimitatem, sed innixus fide libri baptismalis eo quod in eo Franciscus uti filius legitimus Andreae et suae coniugis Elisabeth sit inscriptus, matrimonium civile iussit iniri.

Neque contra existentiam impedimenti aliquid grave deduci potest ex inhonesta vitae ratione quam Elisabeth cum pluribus habuisse compertum est. Quandoqnidem testes huiusmodi sub sacramenti fide denegarunt quamlibet cum Eli-

Digitized by Google

sabeth turpem consuetudinem tempore conceptionis Francisci: et ex iis Iacobus Iunker ab anno 1846 ad 1849 servitio militari longinqua in regione adscriptus erat.

Quoad verba vero Elisabeth se nempe non esse contrariam si filius suus seniorem filiam Iosephi in matrimonium duceret, ipsa Elisabeth declaravit: se nunquam desiderasse ut filius suus Franciscus seniorem Catharinam in matrimonium duceret. Quaecumque igitur humani negotii suspicio in Elisabeth exulare videtur.

Verum contra nullam adhibendam esse Iosepho fidem videtur, tum quia ex actis apparet nullum eidem delatum iuramentum, tum quia hac in re praecipuus auctor scandali habetur: quia concubinatus in sua domo tot annos toleravit. Quo posito iam apparet quonam in pretio haberi debeat eiusdem declaratio„ copulam nempe cum Elisabeth haud perfecto modo exercitam fuisse, quia tunc ignarus de seminis effusione, cum esset iam in aetate 22 annorum.

Quibus expositis, propositum fuit diluendum

Dubium.

An decretum Curiae varmiensis sit confirmandum, vel potius infirmandum in casu.

Resolutio. Sacra C. C. re perpensâ, sub die 14 Iunii 1884, censuit respondere: *Decretum esse confirmandum.*

Ex quibus colliges I. Omnibus a ss. Canonibus obligationem imponi revelandi impedimentum dirimens, quoties agatur de impediendo matrimonio ineundo, sive de dissolvendo iam initum; hinc causae matrimoniales dicuntur causae populares.

II. Non requiri rigorosam et evidentem demonstrationem ad evincendam impedimenti existentiam quando agitur de matrimonio ineundo; quia deest ratio favoris ad sacramenti sanctitatem fovendam, ceu evenit in matrimonio iam inito; et quamlibet probationem, etiam levem, in hunc finem satis esse posse.

Digitized by Google

III. Ex DD. erui nullo modo coniungi posse eos coniuges, inter quos mater sponsi aut sponsae revelaverit existere consanguinitatem, praecipue si alia adsint adminicula huiusmodi revelationem roborantia.

IV. Denunciationi matri sponsi, in themate, haud alia deesse adminicula quae maximum pondus illius verbis adiiciunt, talemque constituunt probationem, ut matrimonium ecclesiasticum rite iniri nequeat.

VARSAVIEN.

SEPARATIONIS TORI

Die 14 Iunii 1884.

Compendium facti. Francisca anno 1861 matrimonium in facie Ecclesiae contraxerat cum Stanislao, verumtamen breve infra tempus iurgia et dissentiones inter coniuges ortae sunt. Quinimo aversio in virum, ex parte mulieris eo usque excrevit, ut ipsa die 29 Aprilis 1881 Curiae archiepiscopali Varsaviensi obtulit libellum, quo maritum suum accusans saevitiarum, molestae cohabitationis et adulterii, separationem quoad torum, cohabitationem et mensam ad tempus indefinitum, ob culpam viri expostulabat, paratam se exhibens omnia testibus comprobare.

Hac super re in Curia varsaviensi processus a Iudice delegato instructus fuit, omnibus ad tramites iuris peractis. Licet autem vir cuncta acriter denegaret, tamen illius assertiones non tales visae sunt, quae vigorem depositionum testium ab actrice inductorum penitus labefactarent. Quapropter Consistorium varsaviense die 8 Iulii 1882 sententiam definitivam tulit, qua « Stanislao et Franciscae coniugibus separationem mensae et tori ad tempus indefinitum, ex culpa rei conventi mariti, tribuit. »

Digitized by Google

Ab hac sententia Stanislaus appellationem interposuit ad Iudicem Apostolicum secundae instantiae Lublini, qui, actis prioris iudicii ad trutinam revocatis, praefatam sententiam, utpote carentem fundamento, abrogavit et dictis coniugibus ulterius communem vitam in concordia et amore christiano mandavit.

Attamen ab hac sententia appellavit mulier ad s. Sedem, et Archiepiscopus varsaviensis super hoc libello requisitus ait « Mea ex parte sententiae praedecessoris mei . . . in omnibus assentio, sententiamque ab illo latam iustam et iure canonico innixam censeo. » Quod studuit demonstrare per argumenta varia.

Disceptatio Synoptica.

Defensio mulieris (1). Neminem profecto latet, ait orator, quod perpetua et individua esse debet inter coniuges vitae consuetudo. Indissolubilem enim eam statuit divini humanique iuris ratio, quia non solum reipublicae interest, ut ii in connubialis foederis societate permaneant ad sobolem procreandam, sed Ecclesiae etiam interest tum ratione Sacramenti, qua a Deo coniuncti nullo pacto separentur, tum etiam metu periculi ne quis, coniuge absente, aliquid humani patiatur. Nihil igitur bono iuri magis odiosum est quam maritalis consortii individuitatem dissociare: et optime receptum est, nullas in ecclesiastico foro causas separationis admitti, nisi quae gravissimae revera sunt, eaeque numeris omnibus probatae; Cap. *causam matrim. de test. cog. vel non.* Cap. *Litteras de restit. spoliat.* Constant. *Vot. decis. 392 num. 1. §. 4,* s. Congregatio in *Firmana Separ. thori 16 Maii 1869 §. Res,* Rota *decis. 815 n. 2 coram Buratto, Decis. 72, num. 1 et 2 coram Durano,* in *Anconitana Obseq. matrim. 9 Dec. 1763 §. 2 coram*

(1) Vir, post sententiam Iudicis Lublinensis in sui favorem, sese remisit prudenti iudicio s. C. Congregationis; mulier vero per advocatum sua iura defendit.

Digitized by Google

Zelada, et in *Romana seu Sabinen. Separat. Tori 23 Iunii 1820* §. *2 coram Tiberi* et *decis. 15 num. 2 coram Eño Patrizi.*

Plures at vero per Franciscum afferuntur causae ad tori separationem: iteratae scilicet mariti saevitiae, verbalibus iniuriis copulatae, animi aversio seu odium, fundata suspicio adulterii, dilapidatio patrimonii et demum incorrigibilitas eiusdem viri; quae omnia impossibilem reddunt cohabitationem, absque ulteriori corporis et animae discrimine.

Quoad saevitias, eas reapse sibi illatas fuisse et quidem frequenter et sine causa affirmavit mulier, nedum coram Iudice varsaviensi, sed etiam in supplici libello ad Sanctissimum oblato: ait enim maritum esse hominem absque ullis principiis, charactere flexibili praeditum, leviter etiam principalia vitae tractantem, prodigum et sensualem... Diu et permulta passa sum in silentio expectans mariti immutationem; sed perperam, quia peior fit in dies. Hinc certum atque imminens persentiens malum in meam ruinam filiorumque meorum, quamvis aegro animo, forum ecclesiasticum adivi, separationem petens praecipue ut filii amoverentur a malo exemplo infelicis patris.

Declarationi mulieris plenam fidem faciunt omnes testes tum a muliere inducti, tum a Curia varsaviensi acciti, qui deponunt, Stanislaum esse naturae vehementis animique saevi, male uxorem suam tractare, eique convitiatum fuisse verbis calumniosis et iniuriosis.

Iamvero mulieris declarationi deferendum esse videtur 1. quia non agitur de solutione matrimonii, sed de sola materiali separatione: hinc iuxta Rotam *Decis. 20 n. 12 coram Coccino;* et *decis. 105 num. 8 p. 18 num. 1 recent.* non adeo requiritur ad hoc probationum rigor; sed fortius in casu deferendum est mulieris declarationi, quia testimoniis est coadiuvata. 2. Quia non praesumitur, mulierem velle laedere famam viri, et se privare obsequiis matrimonialibus sine gravi causa; Rota *loc. cit.* Porro quoties

Digitized by Google

maritus iniuste in uxorem invehit, frequentes, tametsi non graves, saevitias insonti foeminae sufficere, ut possit a marito perpetuo secedere arguit Consci *de separat. thori coniug. lib. 2, cap. 6, num. 25* - ibi - « Si maritus sine » iusta causa seu ex levi frequenter male tractet uxorem, » evidentissimo decipiuntur aequivoco, qui huiusmodi mala » tractamenta si non sint atrocissima, spernenda esse pu» tant non ex alia ratione, quam liceat marito levibus etiam » percussionibus corrigere uxorem ut emendetur. Nam sub» lata iusta causa, cessat necessitas correctionis, neque per » correctionem speranda est emendatio de errore seu culpa » non commissa: ideoque in hoc casu sive leves, sive gra» ves malae tractationes fuerint, ad separationem devenien» dum esse omnis ratio suadet. » Consonat Rota *decis. 248, » num. 9, part. 6, Recent.*

Augeri insuper saevitiarum atrocitatem si cum iis accedant iniuriae, etsi verbales, quae diffamationem quamdam secumferunt, quaeque valent ingenium mitissimum mulieris honestae ac piae concutere. Huiusmodi vero iniurias plures testes narrarunt. Nec desunt DD. qui diffamationem aequiparent periculo vitae, et iustam separationis causam arbitrentur, uti Cyriac. *controvers. 172 num. 13.* Consci *de separat. thori lib. 2 cap. 10;* et etiam Rota in *Romana separat. thori 4 Iunii 1836 §. 13 coram Cuniliach.*

Accedit hisce omnibus alia causa gravissima separationis ob adulterium. Quamvis enim Ecclesia teneat matrimonium ratum et consummatum non posse quacumque ex causa etiam adulterii dissolvi quoad vinculum, fatetur tamen ipsum dissolvi posse quoad thorum et cohabitationem. Huius autem dissolutionis sive separationis causam legitimam, esse adulterium indubitatum est; et ratio assignatur a D. Thoma *in 4 Sentent. dist. 25 quaest. 1, art. 1* - ibi - « Domi» nus dimittere uxorem concessit propter fornicationem in » poenam illius qui fidem fregit, et in favorem illius qui » servavit, ut non sit adstrictus ad reddendum debitum ei, » qui non servavit fidem. » Quoad divortium sive separa-

Digitized by Google

tionem ex adulterio utriusque coniugis par conditio est. Ecclesiam enim in hac causa non cognoscere differentiam inter virum et uxorem multis auctoritatibus probari posse tradit Ferraris *verb. adulterium num. 15.*

Causam vero ad divortium instituendum constitui non solum ab adulterio formali sed etiam a suspicione adulterii docet D. Hieronimus « Ubique est fornicatio, vel fornica- » tionis suspicio dimittitur uxor » et legitur suspicionem sufficientem esse in *cap. 2 Dixit Dominus q. 1, caus. 32.*

Ab hac autem doctrina dissentire non videtur Rota in *decisione 337 num. 4 et 18 part. 12 recent.* et in *decis. 818 part. 18 tom. 2 recent.* - ibi - « Ubi non agitur » de adulteriis criminaliter ad effectum infligendi poenam » adultero, sed solum de separatione thori, quo casu licet » materia dicatur gravis et ardua, nihilominus omnes Do- » ctores conveniunt, quod leviores probationes sufficiant, » quoque ad istum effectum lex adulterii probationes admit- » tat per coniecturas, praesumptiones et adminicula, ut pon- » derant Farinac. *de test. quaest. 64 num. 229,* Busatt. » *Cons. 218 num. 1,* Menoch. *cons. 31, num. 18,* Cy- » riac. *controv. 281 num. 26,* iuxta textum in cap. *Lit-* » *teris 12 De praesumpt.* »

Iamvero in themate nedum de simplici, sed de violenta suspicione agitur, quae moralem habet certitudinem, ceu ex testibus deprehenditur, quaeque iam in prima instantia provocavit condemnationem sontis coniugis, ceu sententia ipsa innuit: « quia iidem testes attestantur tales circumstantias et facta, quae simul sumpta commovent magnam suspicionem in reum conventum de laesa fide matrimoniali. » Atque hic animadvertendum, testes a viro allatos in iudicio reconventionis praedictis depositionibus minime vim auferre: negativam siquidem constituunt probationem, cum interrogati nihil scire responderunt quoad mariti tractationem erga uxorem.

Instat tandem Francisca maxime in tertia causa, scilicet in eo quod vir dilapidet patrimonium suum et dotem

Digitized by Google

eius; ita ut ad extremam egestatem facile redigatur: ita enim illa in supplici libello ad S. C. C. misso conqueritur quod « Decretum secundae instantiae, iterum manibus mariti libertatem quasi gladium imposuit, quo.... potest occidere me cum liberis per prodigalitatem. »

Iamvero in iure habetur iuxta Clericat. *de Sacr. Matrim. dec. 39 num. 18* et Card. De Luca *disp. 42 n. 272,* inter saevitiae actus referri dilapidationem et dissipationem bonorum - ibi - « Videtur reduci posse ad saevitiam, si » coniux bona omnia vel maiorem partem dissipare velit » et de facto id exequi coeperit, hoc enim grave est inno» centi onus, non facile tolerandum. » Quam sententiam probat Clericatus, addens tamen apud alios DD. talem saevitiae speciem non inveniri, quamvis frequentissima sit in praxi.

Nec sperandum sibi esse putavit uxor, virum a mala agendi ratione recessurum, iugi experientiâ plurium annorum edocta, ac inflexibili animi viri indole quae eum incorrigibilem reddit. Praeterea animadversum fuit magni ponderis esse votum Archiepiscopi, qui plene uxori favet.

Ex his omnibus igitur facile concludi posse videtur Sententiam Iudicis Lublinensis esse infirmandam.

Defensio viri. Viri autem favore animadversum fuit causam omnis contentionis et iurgii ortum habuisse ex obventione legati 40,000 rubrorum, quod uxorem suam contigerat. Hac enim haereditate aditâ, illa coepit magnitudine divitiarum extolli, et villae domicilio relicto, praetextu educationis filiorum Varsaviae commorari eidem placuit, cum gravi mariti iactura, rerumque familiarium.

Hisce praemissis quoad factorum historiam, ne verbum quidem facit ad excipiendam adulterii accusationem, qua totis viribus uxor nititur ad separationem thori obtinendam, et de qua quinque testes allati fuerunt. Nec ullam specificam confutationem exhibuit de duris tractationibus et saevitiis, de quibus praedicti testes fuerunt loquuti. Testes vero ab eo adducti deposuerunt illum laboriosum esse patrem fa-

Digitized by Google

milias et frui probi viri famâ. Ille autem asseruit ignorantiae proprii defensoris adscribendum esse et instigationi operaeque personarum excelsioribus muneribus fungentium quod Consistorium varsaviense sententiam pro separatione tori decernenda dixerit.

Contendit atvero accusationem prodigalitatis excipere, ac abusus substantiae uxoris ob facultatem marito concessam a lege Poloniae administrandi uxoris bona. Multoque minus valere hanc accusationem subsumit, eo quod in iudicium raptus apud civile Tribunal, proprio iuri renunciavit administrandi tum bona patrimonii, tum bona uxoris, stipulata per acta Tabellionis diei 10 Martii 1883 quadam compositione: et in cuius vim uxor singulis filiabus inscriptionem hypothecariam 8,000 rubrorum concedebat. Insuper ait dotem mulieris et 40,000 rubra in tuto esse per inscriptionem hypothecariam: seseque vendere villam coactum fuisse propter expensas causarum, et ob curam morbi paralysis quo affectus fuit. Hinc locum non habere ait accusationem dilapidationis patrimonii et dotis mulieris.

Animadversum praeterea fuit quod ad tori separationem non quaevis, sed iusta ac legitima causa intersit oportet, vel saevitiarum, vel implacabilis odii, vel quid aliud grave, ex quo coniugum animi ita exacerbati dignoscantur, ut alterius vita in grave ac proximum obiiciatur periculum. Hinc si in atrocibus saevitiis causa reponatur, considerandum illico quales saevitiae atroces sint reputandae, « ut » non quaelibet, ait Rota *Decis. 39 num. 12 recent.*, sae» vitia sufficiat, sed illa tantum quae resultat ex pluribus » et reiteratis actibus, et iis quidem atrocibus, adeo ut nec » plures moderati nec unus atrocissimum sufficiat. » Idipsum definitum fuit in *decis. 412 num. 6 coram Bichio* in *Valentina Separ. Tori 12 Febr. 1752* §. 5 *coram Elephant.* nec non penes H. S. C. in *Melevitana Sep. Tori 3 Sept. 1825* §. *Mulier,* et in *Firmana Obseq. matr. 18 Nov. 1826* §. *Haec tamen.*

Rursus si implacabile odium inter coniuges obtruditur,

Digitized by Google

inspiciendum subest nitideque probandum, utrum revera hoc odium inter coniuges intercedat, unde et ex qua ratione manaverit, utrum sit perpetuo duraturum, utrum nulla spes reconciliationis affulgeat.

Verum si de saevitiis sermo sit, de quibus a Francisca vir insimulatur, eos haud legitimam separationis causam suppeditare, vir arguit. Quandoquidem haud plenissime et concludenter probatae existunt; cum ex ipsis testibus una aut altera vice tantum eadem locum habuerint, et fluebant potius, ut habet Iudex Lublinensis in sua sententia, ex indole propera mariti, non vero ex maligna indole et odio erga uxorem, neque efficiebat diuturnam et continuam seriem factorum actrici iniuriosorum et minantium eiusdem quieti vel valetudini. Secundo quia facta quae narrantur eiusmodi sunt, ut nequeant omnino inter saevitiarum species recenseri. Actus enim sunt leves et momentanei, qui ex primo impetu vel calore iracundiae, ob uxoris culpam vel inobedientiam prodire potuerint: hinc apti haud esse possunt ad concludendam consuetudinem insaeviendi necessariam pro tori separatione. Ita tenet Rota in *cit. Signina Separat. Tori 4 Iunii 1790 §. 5 coram Malvasia.*

Idipsum de iniuriosis verbis sentiendum tenet Rota. Actum profecto, inquit, de universis fere matrimoniis esset, si ex inofficiosis parumque urbanis verbis coniuges separari deberent contra dispositionem textus in cap. *Litteris si vero de rest. spol.* et contra monitum Rotae in *Carpen. Separ. Tori 23 Iunii 1781 §. 4 coram de Baesane,* et s. Congregationis, quae in casu sane duriori separationis petitionem reiecit, ceu videre est in *Firmana Separat. Tori 16 Maii 1789.*

Quoad adulterii suspicionem indicatae a testibus circumstantiae, etiam in stricta aestimatione non faciunt contra virum praesumptionem huius delicti: praesertim quia in epistolis uxoris ad virum, tunc temporis conscriptis, non exhibetur ea suspicio adulterii cum persona a testibus indicata. Hinc huiusmodi causa separationis ob adulterium, eo prae-

Digitized by Google

sertim quia a viro acerrime denegatur, non attendenda esse videtur.

Incuria autem in agendis et administrandis familiae negociis, post viri confessionem, nullo modo inter causas legitimas separationis recenseri valet; eo praesertim quia iam legali remedio eidem occursum fuit, per compositionem nempe diei 10 Martii 1883. Iuvat tandem animadvertere quod Iudex lublinensis his rationum momentis suam fulcivit sententiam: nempe quia verba contumeliosa viri in uxorem non ex odio, sed ex indole propera oriebantur; quia dum deficit testimonium durationis contumeliarum, litterae uxoris exhibitae a reo convento, ad eumdem scriptae variis in adiunctis, innuunt quietam inter coniuges consuetudinem vitae; quia circumstantiae a testibus indicatae haud satis probant viri adulterium si praecipue comparentur cum litteris praefatis mulieris.

Hisce praenotatis propositum fuit diluendum

Dubium

An sententia Curiae Lublinensis sit confirmanda vel infirmanda in casu.

Resolutio. Sacra C. C. re ponderata, die 14 Iunii 1884, censuit respondere:

Sententiam esse confirmandam.

Ex quibus colliges. I. In foro ecclesiastico haud admitti separationis causas nisi gravissimas, numerisque omnibus probatas: quia iuri nihil magis odiosum, et reipublicae magis noxium est quam dissociare consortii individuitatem, quam ratio divina et humana probavit.

II. Ad separationem obtinendam, iustam atque legitimam interesse oportere causam, ceu sunt odium implacabile, graves saevitiae, aut quid aliud grave, ex quo argui possit vitam alterius coniugis in proximo constitui discrimine.

III. Aliam exhibere legitimam separationis causam adulterium, formiter probatum; nam « Dominus dimittere uxorem concessit propter fornicationem in poenam illius, qui

Digitized by Google

fidem fregit, et in favorem illius qui servavit, ut non sit adstrictus ad reddendum debitum ei, qui non servavit fidem. »

IV. Saevitias tamen graves esse debere, quaeque resultant ex pluribus et reiteratis actis; odium autem si vere adsit inter coniuges, eiusmodi esse oportere, ut nulla affulgeat reconciliationis spes.

V. Motiva pro separatione obtinenda in themate, a muliere exhibita, formiter probata haud visa esse Emis Patribus; qui ideo confirmarunt iudicis Lublinensis sententiam.

ARETINA

RENUNTIATIONIS PAROECIAE

Die 14 Iunii 1884.

Compendium facti. Antonius Parrini anno 1852 paroecialem Ecclesiam consequutus oppidi *Poppi,* aretinae Dioecesis, sedulam iugemque impendit operam ut eiusdem Paroeciae fructus augerentur. Solertisque studii exitus is fuit, ut antiqui reditus libellarum 1,176 attollerentur ad annuam summam libell. 4483. Attamen sollers huiusmodi amor in vindicandis suae paroeciae iuribus, aequo maior nonnullis visus est. Hinc molestias in Parochum diversimode elaboratas, promoverunt. Siquidem pluries in iudicium raptus est *politicas* ob causas, ter per insidias nex eidem parata fuit, perperam tamen, vulnusque grave interdiu illatum, frequentiori in loco, et plurimorum in conspectu. Parochus qui iam annos natus 60 erat ab Apostolica Sede petiit, ut a residentia dispensaretur tum molestiarum, tum aeris inclementiae causâ. Gratia dispensationis ad biennium concessa fuit; ast odiis iugiter desaevientibus, sese paratum esse, ait, ad paroeciam dimittendam, dummodo eidem pensio reservaretur redditibus beneficii congrua.

Digitized by Google

Rogatus de more Antistes retulit: redituum vim eam esse ab oratore oblatam, etsi non omnes reditus aucti fuerint aere parochi: eius ministerium vilescere prorsusque inutilem evasisse; quod devitari potuisset prudentius agendo, uti decet pastorem, cui spirituale bonum ovium cordi sit; onera paroeciae gravia esse ita, ut si oratori, qui procul negotiis vivere studet, pensio expetita bis mille libellarum concederetur, vix totidem relinqueretur novo parocho, cui pondus diei et aestus permanet, praeter onus duorum cappellanorum.

Disceptatio Synoptica

Pensio concedenda videtur. Ex his quae praemonita sunt clarum fit renuntiationem a Parocho propositam acceptandam omnino esse. Quandoquidem legitimae concurrunt causae, ob quas iuxta Innocentium III *in Cap. 10 de Renunt.* Episcopus renuntiandi licentiam potest postulare, quaeque causae a fortiori valere debent etiam pro Parochis, prouti et sana ratio et tenor Constitutionis Pii V *Quanta Ecclesiae* docent; De Angelis *in Praelect. Iuris Can. lib. 1 tit. 9 n. 3.*

Adest enim in primis debilitas corporis, prouti eruitur ex ipsius Parochi depositione, qui ait, frigoris tempore talia ferre incommoda quae raro eidem sinunt e domo egredi; ita ut nisi Oratorii privati indulto frueretur, missam litari pluries nequiret. Neque aegrotos noctu invisere eidem licet, quia oculis non valet. Dum autem vires corporis deminutionem in annorum lapsu patiuntur, labores in dies augentur deficientiae presbyterorum causâ, qui cappellanorum onere fungantur. Concurrit praeterea odium plebis; ut dilucide innuunt atrociora facta in parochum, ordinarii testimonio confirmata. Eiusmodi autem inimicitias duraturas esse censuit Episcopus.

Porro in huiusmodi casu non solum concedendam, verum etiam suadendam et imponendam esse Parocho renuntiatio-

Digitized by Google

nem paroeciae docet Fagnanus *in Lib. 3 Decret. Cap. Clericos 17 de Cleric. non resid. n. 27* - ibi - « Ubi inimicitiae sunt verosimiliter duraturae, ut consulatur curae » animarum, inducendus est Parochus ad resignandum vel » permutandum *arg. Cap. Ad supplicationem de renuntiat.*» Ita etiam constanter docuit S. C. C. uti videre est in *Militen. 15 Octobris 1644;* in *Alerien. 10 Iulii 1757;* in *Derthonen. Reintegrationis in Paroecia 20 Iulii 1878;* et in nuperrima *Albien. 1 Septembris 1883.*

Quoniam vero in tali casu Parochus, licet non sine causa, tamen sine culpa punitur, ut notat Glossa in *Cap. Tua nos in vers. Administrationis de Cler. aegrot.;* hinc S. C. C. consuevit iugiter eidem congruam reservare pensionem super fructibus beneficii resignati, ut honestae ipsius sustentationi consuleretur, ceu ex sexcentis decisionibus eruitur et praesertim ex citata *Albien. Suspensionis 1 Septembris 1883.* (1) In hac enim causa cum Parochus Marty parochianorum aestimationem et fiduciam amiserit et imo eorum indignationem contra se excitaverit, ideoque a proprio Archiepiscopo fuerit suspensus; res delata ad S. C. C. et proposito dubio: « *An* » *sententia Curiae archiepiscopalis Albiensis diei 18 Iu-* » *lii 1882 sit confirmanda vel infirmanda in casu* », S. C. C. respondere censuit: « *Dilata et ad mentem; mens est, ut Archiepiscopus curet Parochum inducere ad paroeciam vel permutandam cum alio beneficio plus minusve aequivalentis valoris, vel dimittendam cum assignatione aequae pensionis.* »

Concedenda igitur videtur Parocho petita pensio in casu, eo vel magis quia tum ob adversam valetudinem, tum ob senescentem aetatem impos evaserit sustinendi onus curae animarum alterius paroeciae.

Utrum vero pensio haec coaequare deberet medietatem fructuum, uti expostulavit Parochus, animadversum fuit, novum non esse in iure ut pensio reservetur usque ad medie-

(1) Recole Vol. XVI, pag. 467.

Digitized by Google

tatem fructuum beneficiorum, ceu docet Ferraris *in Biblioth. Can. v. Pensio n. 103* – ibi – « Quandoque tamen pensio » reservatur usque ad dimidiam partem fructuum, Rota » *part. 19 tom. 1 dec. 379 n. 13.* Et sane iuxta stylum » Datariae beneficia solent gravari pensione ascendente ad » medietatem fructuum, Rota *part. 4 tom. 3 dec. 536 n. 6.* » Et pressius quoad pensionem, quae reservatur super fructibus parochialis Ecclesiae, causâ resignationis, referre praestat ea, quae habet Pyrrus Corradus *in Praxi benef. lib. 5 cap. 1* ubi praenotato in *num. 26* quod pro Parocho salva debet esse congrua 100 ducatorum, ita prosequitur in subsequenti *num. 27:* « Quod si parochialis Ecclesiae fructibus etc. excedunt supradictos ducatos centum, consuevit » pensio super illis constitui pro ea quantitate, quae excedit » dictam summam. »

Haec vero omnia maiorem vim exerere debent in casu quia Parochus Parrini fructus paroeciae quadruplicavit, domumque parochialem suis sumptibus noviter extruxit. Aequum igitur videtur, ut in casu Parrini pinguiori donetur pensione cum tam bene Ecclesiae suae profecerit. Haec enim sinere nequaquam potest, ut ii, qui res suas in bonum ipsius Ecclesiae vertunt deterioris sint conditionis ac illi, qui eas in sui commodum et ut suis voluptatibus satisfaciant, insumunt.

Negat demum Parochus Parrini se accepisse subsidia sive ab haeredibus antecessoris sui, sive a Gubernio ut haec omnia bona quae dicta sunt perageret.

Pensio deneganda videtur. Ex altera vero parte renuntiationem paroeciae admittendam haud esse suadere videtur stylus S. C. Congregationis, qui in puncto inimicitiarum explicatur a Fagnano in *Cap. Clericos lib. 3 Decr. de Cler. non resid. num. 25 et 26* – ibi – « Et in hanc sententiam saepius respondit S. C. Concilii, quae in his casibus consuevit dare litteras ad Episcopum, ut si verae sint et graves inimicitiae, quae narrantur, et *absque Parochi culpa, et antequam Ecclesiam obtinuit,* exortae: super

Digitized by Google

quibus Episcopi conscientia oneratur, dilationem ei det, ut in alio tutiori ac viciniori loco manere possit, durantibus dumtaxat inimicitiis, dum tamen non ultra sex menses durent. Interea autem Vicarium idoneum in illa Ecclesia constituat Episcopus, assignata ei congrua portione ex reditibus Ecclesiae: et partes etiam suas interponat, *et omnem diligentiam adhibeat, ut tuto possit residere Parochus.* Quod si intra sex menses nedum sedatae sint inimicitiae, rescribit Episcopo, ut det illi sex mensium prorogationem *repetitis omnibus, quae in prioribus literis continebantur,* et sine spe ulterioris prorogationis, quae rarissime conceditur: nam cum indulta perpetua de non residendo etiam ex iustis et rationabilibus causis iam sublata fuerint Decreto *Cap. 2 Sess. 6,* ubi inimicitiae sunt verosimiliter duraturae etc. »

Ex hisce vero apparet quod S. C. Congregatio antequam Parochis concedat facultatem dimittendi Paroeciam iugiter experire solet iuris remedia superius a Fagnano relata. Porro in themate praeprimis obiter animadverti potest: Parochum quoad exortas inimicitias culpae expertem prorsus non esse. Episcopus enim deposuit, parochum Parrini inconsulto zelo nimium se ferre ita, ut si prudentius ageret omnia cessarent dissidia. In alia autem relatione asserens Episcopus veritatem excidii ex ruina cuiusdam muri ob Municipii incuriam, statim subiunxit: « tamen post factum desiderandum erat lites et iurgia non augeri, in tanta temporum nequitia, et vulnus receptum vitare potuerat (Parochus). Ex hac re crevit timor in Parocho, et irae in populo accensae fuerunt. » Parochus enim, occasione instaurationis huius muri, Municipium in ius rapuit ob reparationem quorumdam damnorum, ex quo lites et irae magis magisque excrevisse videntur. Concludendum igitur videtur, graves inimicitias nec absque culpa Parochi, nec antequam Ecclesiam obtinuerit exortas fuisse.

Praeterea animadversum fuit, Parochum a tempore, quo indultum abessendi a S. C. C. obtinuit, numquam deputasse idoneum Vicarium, qui partes interponere et omnem diligentiam adhibere debuisset, ut inimicitias contra Parochum

Digitized by Google

exortas sedaret. Si nullus autem repertus fuit presbyter qui munus animarum sibi assumeret, negligentiae Parochi tribuendum est; qui congruam fructuum portionem idoneo Vicario assignare omnino renuit, teste Ordinario. Neque mirari nequit quod dum Parochus, in Civitate Dioecesis principe vitam degens, fructus Paroeciae integros in sui custodiam perciperet, fideles eius conscientiae concrediti longius, eius operâ, omni caruissent Sacerdote, nisi Parocho viciniori onus consulendi urgentibus necessitatibus populi datum ab Antistite fuisset. Hinc irae arctius exarserunt in populo cui deerat ordinaria adsistentia pastoris.

Quod si serius Parochus suum substitutum deputavit, videlicet post iniunctionem et comminationem eidem factam a S. C. Congregatione de reditu in paroeciam, et ulterius contra ipsum procedendi, ad formam iuris, id insufficiens videtur ad excusandum parochum, ita ut eidem concedi possit expetita renunciatio; sed videtur potius quod eiusdem preces reiiciendae sint praecipue ob sacerdotum deficientiam. Supervacaneum autem hic esse videtur loqui de adversa valetudine et senili aetate Parochi, cum S. C. C. *die 6 Aprilis 1647* reposuerit « *Non aetatem senilem, nec malam valetudinem excusare Parochum a residentia personali;* » *Lib. 18 Decr. 329,* et Benedictus XIV *Inst. Eccles. 17 num. 14.*

Attamen etiam admisso quod concedi velit petita resignatio paroeciae, perpendenda sunt ea quae Episcopus in facti specie retulit, nec non in aliis relationibus ut erui possit an Parocho Parrini reservanda sit pensio ab eodem optata.

Quibus aliisque praemissis propositum fuit enodandum

Dubium

An et quomodo annuendum sit petitioni Praepositi Parrini in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii, re cognita die 14 Iunii 1884, censuit respondere: *Pro resignatione paroeciae cum reserva-*

Digitized by Google

tione pensionis libellarum bismille, facto verbo cum Sanctissimo.


Ex quibus colliges. I. Solere sacram Concilii Congregationem iuris experiri remedia priusquam indulgeat Parochis facultatem paroecias dimittendi ; ita ut etiamsi inimicitiae constituant causam resignationis legitimam, tamen probandum eas esse veras, graves, et éxortas absque parochi culpa, et antequam Ecclesiam obtinuerit.

II. De his onerari Episcoporum conscientiam: ut Parocho, quem mala plebs odit, indulgeatur ad tempus alio in loco permanere, donec adhibitâ omni diligentiâ, certum fiat parochum tuto residere non posse, et inimicitias verosimiliter duraturas; ita ut eidem concedenda sit resignandi facultas.

III. Nam ex iure constitui, legitimam adesse debere causam pro quacumque renuntiatione; quia maximum Ecclesiis impenderet detrimentum si beneficiatus quisque, praecipue cum cura animarum, absque legitimo motivo a Superiore admittendo et expendendo, abire posset.

IV. Pensiones constitui quoties subsit iusta et legitima causa: ut puta ob insigne clerici in Ecclesiam meritum, excellentem virtutem, summam doctrinae peritiam, senectutem, aegritudinem, vel aliam piam causam.

V. Remisso iuris rigore in themate adhibitam fuisse videri summam Apostolicae Sedis benignitatem, in oratorem; cuius praecipuum meritum in Ecclesiam in hoc esse videtur, ut fructus paroeciae mire, eius operâ pertinaci, augerentur; super quibus nunc magnum retulit commodum.



Digitized by Google

ZAMOREN.

DISPENSATIONIS SUPER DEFECTU NATALIUM.

Die 14 Iunii 1884.

COMPENDIUM FACTI. Iosephus Dioecesis Zamorensis in Hispania ex adulterino ac incestuoso progenitus concubitu Iosephi cum Rosalia, sorore uxoris eius, clericalem statum amplecti cupiens, dispensationem ab irregularitate, ex defectu natalium, supplex postulavit, ut et ad sacros Ordines promoveri valeret et ad ecclesiastica beneficia assequenda admitteretur. Quas preces etiam Episcopus commendavit.

Disceptatio Synoptica.

GRATIA DENEGANDA VIDETUR. Contra eiusmodi gratiae concessionem animadversum fuit, illegitimos non esse promovendos ad sacros Ordines, ceu decernitur in *Cap. 1 de Filiis Presbyt. ordin. vel non,* ubi expresse statuitur: « *Ut filii Presbyterorum, et ceteri ex fornicatione nati ad sacros Ordines non promoveantur.* » Idque optime constitutum est triplici praesertim de causa, ut communiter docent dd. post Glossam in *Cap. fin. de filiis Presbyt. in 6°.* Prima petitur ex s. Ordinis praerogativa seu dignitate; quam etiam tangit s. Thomas in *IV Senten. Distinct. 25 art. 11 q. 3.* « Ordinati, ait, in quadam dignitate prae aliis » constituuntur . . . Et quia obscuratur hominis claritas ex » *vitiosa origine,* ideo etiam de *illegitimo toro* nati a su- » sceptione Ordinum repelluntur. »

Secundam rationem iam pridem expressit in sua doctissima praefatione s. Ivo Cartonensis, dicens: « Quidem Ro- » mani Pontifices decreverunt, ne filii Presbyterorum as- » sumerentur ad Presbyteratum, non quod personarum ac- » ceptio apud Deum alicuius sit momenti; vel natura, quae

Digitized by Google

» omnium par est genitrix, ab aliquo possit reprehendi, vel » filius pro iniquitate patris, condemnari. . . Sed ad reprimendam quorumdam Presbyterorum incontinentiam, vel » tutius muniendam aliorum continentiam. »

Tertia ratio petitur ex incontinentia, quae in filio timetur iuxta illud vulgare; *Saepe solet similis filius esse patri.* Qua ratione utitur Sixtus V in Const. contra illegitimos edita §. 1 in verbis: *Illegitime genitos, qui ut plurimum parentum vitia et incontinentiam imitari solent* etc. Quod si dispensatione aliquando irregularitas tollitur, nihilominus, ut notat s. Thomas in *loc. cit.* « *tanto est difficilior dispensatio, quanto origo est turpior* », quod etiam non obscure expressit Innoc. III *in Cap. 10 de renuntiatione.*

Cum igitur ex duplici capite turpissima videatur, origo Iosephi, utpote qui genitus fuit ex adulterio et incestu, prono alveo fluere videtur eiusdem preces prudenter excipi non posse. Duplici enim impedimento ligabantur parentes Iosephi tempore copulae, nec ullo iure matrimonium inter ipsos consistere poterat.

Gratia indulgenda videtur. Ex altera vero parte sciendum est, quod SSmus Pontifex iugiter concedere solet dispensationem super defectu natalium quando constat de oratoris vitae honestate, ingenio, ac de Ecclesiae utilitate et praesertim necessitate. Porro haec omnia adesse in themate testatur Episcopus, ita scribens: « Cum vera sint omnia ab exponente enarrata, tam relate ad irregularitatem ex defectu natalium, cuius dispensationem cupit, quam ad bonam animi dispositionem ad statum sacerdotalem amplectendum, numerusque clericorum in hac Dioecesi existentium de die in diem minuatur, mihi videtur dignum esse, ut ei dispensationem ab irregularitate supradicta concedatur. »

Nec desunt exempla harum dispensationum; ita exempli gratia S. C. C. in *Brixien. 9 Septembris 1882* dispensationem largita est Clerico ex sacrilega unione genito (1), et

(1) Habes eiusmodi quaestionem Vol. XV, pag. 452.

Digitized by Google

in nuperrima *Gratianopolitana 19 Ianuarii 1884* eamdem gratiam concessit cuidam Clerico ex coniugato et soluta procreato (1).

Hisce praenotatis quaesitum fuit quomodo oratoris preces essent dimittendae.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re cognitâ sub die 14 Iunii 1884 censuit respondere:

Attentis etc. Dummodo absit scandalum, onerata conscientia Episcopi, pro gratia usque ad presbyteratum inclusive, facto verbo cum SSmo.

NUSCANA

POSTULATUM CIRCA ONUS SUSCIPIENDI LAUREAM QUOAD PRIMAM DIGNITATEM COLLEGIATARUM

Die 12 Iulii 1884.

COMPENDIUM FACTI. Nuscanus Praesul in relatione status Ecclesiae suae exposuit, quod in Bullis Pontificiis collationis beneficii primae Dignitatis scilicet Archidiaconatus in Ecclesia Collegiali apponitur clausula « *Infra annum Lauream doctoralem suscipere tenearis.* » At quoniam Sac. Congregatio in pluribus resolutionibus, quando Dignitas curam animarum, vel curam iurisdictioni adnexam non habet, sed honoris tantum praerogativa insignitur, respondit non teneri ad susceptionem Laureae doctoralis, et nihilominus in Bullis semper apponitur memorata clausula; Episcopus ad auferendum dubium quod in quavis collatione primae Dignitatis absque iurisdictione in Curia renovatur de obligatione

(1) Quaestio haec prostat Vol. XVI, p. 461.

Digitized by Google

Laureae doctoralis, enixe expostulavit a S. C. Congregatione authenticum responsum de valore et effectu clausulae ex stylo Datariae Apostolicae apponi solitae.

Sacra C. C. ab Episcopo quaesivit, *an in respectivis dignitatum fundationibus quidquam disponatur circa obligationem suscipiendi Lauream, et quaenam fuerit observantia.*

Episcopalis Curia retulit, pauca nunc superesse documenta in Archivio ex quibus colligere tantum valuit quod in Dioecesi Nuscana, praeter Capitulum cathedralis Ecclesiae, tria sunt Capitula collegiata. Primum vulgo *di Montemarano* olim Cathedrale, alterum *di Montella,* et tertium *di Bagnoli.*

De Capitulo Cathedrali nihil in fundatione inveniri circa onus suscipiendi Lauream primae dignitatis affirmari posse videtur. Et id arguitur ex quadam Synodo dioecesana anno 1748 celebrata; quia loquens de Archidiacono se remittit ad ius commune a Tridentino statutum *Sess. 24 c. 12 de Reform.*

Hodiernus tamen Archidiaconus sicuti etiam recentiores praedecessores titulo Doctorali praediti reperiuntur; at idem de remotioribus affirmari nequit ob deficientiam documentorum.

Nec aliquid certi de lege fundationis Capituli *di Montemarano* invenitur. Haud levi tamen fundamento supponi posse videtur Archidiaconatum fuisse collatum ad formam iuris communis. Quoad observantiam vero certum est actualem Archidiaconum a sacra Studiorum Congregatione dispensatum fuisse a Doctoratu consequendo, postquam ab Ordinario tamquam idoneum ad officium declaratum fuerit. Antecessor etiam titulo doctorali decorabatur, utpote antea Canonicus Theologus. De reliquis vero certa norma assignari nequit.

Digitized by Google

Collegium vero *di Montella* institutum fuit per Bullam Leonis X, in qua nulla fit mentio de obligatione Lauream obtinendi. Et hoc sensu, scilicet pro non obligatione, a Capitulo semper interpretata fuit. Sed in praesens prima dignitas non confertur per Datariam apostolicam, proinde deficit occasio et fundamentum dubii.

Denique Collegiata *di Bagnoli* suam institutionem cognoscit ex Bulla Pii IX, in qua expresse ponitur onus primae dignitatis Doctoratum consequendi. Sed haec Bulla plenam executionem nondum assequuta est ob non paucas vicissitudines.

Disceptatio Synoptica.

Favore laureae animadversum fuit, neminem latere dispositionem Concilii Tridentini de obligatione primae Dignitatis in qualibet Ecclesia Lauream doctoralem obtinendi: « Archidiaconi etiam, qui oculi dicuntur Episcopi, sunt in » omnibus Ecclesiis, ubi fieri poterit, Magistri in Theologia, seu Doctores aut Licentiati in iure Canonico *Sess. 24* » *12 de Refor.* » Non immerito igitur, Apostolica Dataria clausulam illam apponit in Bullis collationum, quae observari debet, praesertim si, ut in themate, iam aliqua observantia firmata sit, ceu constat ex Curiae relatione.

Adversus lauream observatum fuit quod Doctores tenent nunc Decretum seu clausulam quae apponitur in Bullis provisionis « *Infra annum* etc. » potius de stylo scriptorum, quam ex voluntate Principis apponatur, quia Concilium Tridentinum loquitur de illis Archidiaconis, qui ea munera funguntur quae olim de iure communi exercebant, unde si curam animarum non habent, neque actu iurisdictionem exercent, non dicuntur oculi Episcoporum, neque comprehenduntur in decreto Tridentini; Monacelli *suppl. ad 1.*

Digitized by Google

tom. n. 212; Barbosa supra Conc. *Sess. XXVI cap. 12 num. 5 et 6.* Gonzales *de benef. p. 7 cap. 7 n. 41.* Quapropter tamquam vana a S. C. C. spreta est illa clausula in *Caurien. Maii 1589,* in *Sulmon. 26 Maii 1594,* in *Acquipendii 20 Iunii 1681,* in *Lavallen. 12 Ianuarii 1697, Cotronen. 16 Febr. 1704* apud Monacelli *loc. cit.*

Neque aliquid imponi potest vi consuetudinis, quandoquidem haec consuetudo incerta est et ambigua: imo ex indiciis potius excludi videtur.

Quibus animadversis, quaesitum fuit quodnam responsum esset dandum Episcopo roganti.

Resolutio. Sacra Concilii Congr. re cognitâ sub die 12 Iunii 1884, censuit respondere:

Quoad Collegiatam vulgo Bagnoli standum esse litteris Apostolicis s. m. Pii IX. Quo vero ad Cathedralem aliasque Collegiatas Ecclesias, Lauream doctoralem, pro dignitatibus omni cura et iurisdictione carentibus, de iure non requiri.



Digitized by Google

LITTERAE APOSTOLICAE SSmi D. N. Leonis XIII. de Sede Archiepiscopali Carthaginensi restituenda.

LEO EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Materna Ecclesiae caritas, quamquam est in omne hominum genus aequabiliter diffusa et de gentibus singulis mirabiliter sollicita, solet tamen praecipuo quodam misericordiae sensu ad illas respicere, quas ab Evangelii complexu aut vis aut error abstraxit. Nihil enim tam grave est, quam renascente superstitionis caligine obcaecari eos, quibus praeclarissimo Dei munere et dono lumen aliquando veritatis affulserat: nihilque tam miserum, quam semel in salutem vindicatos, in interitum relabi. — Atqui arcano Dei consilio istius modi calamitas sicut alias terras non paucas, ita Africam Romanam perculit, cum sapientiam christianam mature Afris cognitam et receptam maximarum tempestatum fluctus violenter extinxerint. In quo praeter modum luctuosa fortuna Carthaginis: hanc quippe christianis non minus quam bellicis civilibusque praestantem laudibus calamitosae vicissitudines suis ipsam ruinis oppressam funditus deleverunt. Harum cogitatio rerum facit ut Nos, officii Nostri apostolici memores, ad maritimas Africae oras, quae prope sunt in conspectu positae, non sine paterna pietate hoc tempore intueamur. Quoniamque videmus catholicum nomen satis iam in illo tractu reviviscere, volumus ut bona illa seges, quae uberes pollicetur fructus, cultura et curatione Nostra altiores quotidie radices agat, beneque Deo adiuvante adolescat. Quamobrem cum ad rei sacrae stabilitatem atque ordinem omnino plurimum referat, singulis christianorum societatibus suos sibique proprios praeesse Episcopos, arbitrati sumus, spectato Ecclesiae Africanae statu, Sedem Archiepiscopalem Carthaginiensem restitui, sublata administratione Apostolica, oportere.

Qua in re libet quidem aliquid cogitatione repetere de pristino eius Ecclesiae splendore, atque a praeteritarum rerum memoria auspicium capere futurarum. Sane Ecclesiam Africanam e Romana prognatam esse constat, cum ab ultima antiquitate traditum sit,

si minus beatum Petrum, certe proximos eius successores Evangelium Afris attulisse. Apud quos christianum nomen apparet celeriter adultum : altero enim nondum exacto saeculo descriptis finibus impositisque rite Episcopis, plurimae per Africam Ecclesiae constitutae sunt. Easque disciplina floruisse vel ex eo coniici licet, quod ante exitum saeculi secundi Ecclesia catholica Pontificem ex Africa accepit, scilicet sanctum Victorem, qui, christiana republica naviter gesta, decennio post martyr occubuit. — Brevi autem intervallo non mediocris extitit copia sapientium hominum atque magnorum : Cyprianum intelligimus, Tertullianum, Aurelium, Evodium, Possidium, et qui non Africam modo sed universam christianam rempublicam unus maxime illustravit, Augustinum.

Ab ipsis vero Ecclesiae Africanae primordiis praestitisse Carthaginem nemo dubitat. Huius enim civitatis Episcopis ius est mature quaesitum ut ceteros potestate anteirent, ipsaque Carthaginiensis Ecclesia, ut est apud Augustinum (1), caput Africae appellaretur. Revera tanta erat Carthaginensium Pontificum per Africam auctoritas, ut de caussis Ecclesiarum cognoscere consueverint: item responsa Episcopis dare, legatos ad Principem mittere, concilia omnium provinciarum indicere. Qua de re perhonorificum et gravissimum est sancti Leonis IX decessoris Nostri testimonium, qui de iure Archiepiscopatus Carthaginiensis sententiam rogatus, ad Thomam Episcopum sic rescripsit : « sine dubio post Romanum » Pontificem primus Archiepiscopus et totius Africae maximus me- » tropolitanus est Carthaginiensis Episcopus : nec pro aliquo epi- » scopo in tota Africa perdere potest privilegium semel susceptum » a sancta romana et apostolica Sede, sed obtinebit illud usque in » finem saeculi et donec invocabitur in ea nomen Domini Nostri » Iesu Christi, sive deserta iaceat Carthago, sive resurgat gloriosa » aliquando. Hoc ex concilio b. martyris Cypriani: hoc ex Synodis » Aurelii: hoc ex omnibus Africanis conciliis; hoc, quod maius est, » ex venerabilium Praedecessorum Nostrorum romanorum Praesu- » lum decretis aperte monstratur. »

Verum non dignitate solum, sed etiam christianarum virtutum ac nominatim fortitudinis exemplis visa est Carthago antecellere. Etenim, si urbs Roma excipiatur, vix alia reperietur civitas quae tot martyres ac tam praeclaros Ecclesiae caeloque genuerit. Praedicatione et cultu serae posteritatis florent prae ceteris Perpetua et Felicitas, par feminarum nobilissimum, quarum tanto mirabilior victoria, quanto diutius cum quaesitissimis cruciatibus infirmitas

(1) Epist. XLIII, num. 17.

Digitized by Google

sexus dimicavit. Nec minus inclyta magni Cypriani palma. Nam sanctitate et rebus gestis Carthaginem, stilo et litteris christianum nomen cum multos annos nobilitasset, ad extremum in media Ecclesia sua, spectantibus iis quos ipse ad martyrium instituerat, praeclarissima confessione defunctus vitam cum sanguine pro Christo libens profudit.

Atque illud quoque memoriam Carthaginiensem Ecclesiae non parum commendat, Africanos episcopos ad eam vocatu Archiepiscopi convenire solitos, de communibus religionis negotiis una deliberaturos. Ac plura quidem diversis temporibus condidere sapienter decreta, ex quibus non pauca supersunt, et quorum vel ad comprimendas haereses, vel ad morum disciplinam in Clero populoque sancte retinendam, plurimum valuit auctoritas. Fama memor celebrat in primis Concilium Carthaginiense tertium ab Aurelio episcopo viro fortissimo habitum, quo sanctitatis ingeniique sui lumen Augustinus attulit. — Huiusmodi vero tam salutares fructus, Episcopis Carthaginiensibus nitendo laborando perceptos, coniunctioni potissimum cum hac Apostolica Sede acceptos referri oportet. Cum enim esse intelligerent divino iure constitutum ut Ecclesia Romana cunctarum Ecclesiarum princeps sit et magistra, et tamquam ex radice ad ramos, sic ex ea ad Ecclesias singulas omne principium vitae et viriditatis manare, nihil antiquius habere consueverunt, quam ut permanerent cum successoribus beati Petri perpetuo atque intimo nexu devincti. Quod quidem varia litterarum monumenta, acta Conciliorum, legationes de gravioribus negotiis ad Pontificem romanum non raro missae, nominatimque Optati et Cypriani epistolae gravi auctoritatis pondere testantur. Atque illud est memoratu dignum, quod eiusmodi in apostolicam Sedem obsequium non diuturnitate temporis est, neque formidolosis illis rerum conversionibus debilitatum. Ex quo geminum Africa beneficium tulit, alterum ut in maximis suis calamitatibus perfugium quoddam et solatium in Apostolica Sede semper invenerit: alterum, ut romanorum Pontificum magisterio praesidioque freta perniciosissimas haereses partim repulerit, partim extinxerit.

Sed spatium temporis haud valde longinquum gloriose emensa, consenescere Ecclesia Africana coepit et ad occasum deflectere, ita tamen ut multo fuisset victura diutius, nisi vitam illata vis peremisset. Non enim senio ipsa suo confecta interiit, sed barbarorum armis oppressa succubuit. Revera exploratum est quantum Afris malorum attulerint Vandali: quorum effrenati exercitus ubicumque vestigium posuissent, ad direptiones urbium caedemque civium Arianae venena pestis adiungebantur: ac tantus erat ubique terror, ut

Digitized by Google

catholici *nullatenus respirarent, neque usquam orandi aut immolandi concederetur gementibus locus* (1). Saeculo autem septimo Saraceni, hostes christiani nominis, cum easdem provincias, more procellae, inundavissent, acerbissimae servitutis iugo indigenis imposito, Carthaginem ipsam tot iam fessam aerumnis, igne ferroque exciderunt, planeque perniciem et vastitatem Ecclesiae intulerunt. Quibus temporibus, saeviente passim adversus fidem catholicam furore hostium, rursus martyrum seges, et magnus Confessorum numerus, et fortium Episcoporum et sacerdotum egregii manipuli extitere, ut prorsus sicut cum laude Africana Ecclesia adoleverat, ita cum dignitate occubuisse videatur.— Tantis autem in tenebris, quae consecutae sunt, Carthaginienses Episcopi duo apparent, vix plus quam nomine cogniti : Thomas, de quo supra est facta mentio, et Cyriacus. Nam qui saeculo decimo quinto posteaque occurrunt, plerique omnes ornamentarii fuerunt.

Quinto a Saracenorum dominatione seeculo, cum germanae Ecclesiae vix pauca ac prope evanescentia vestigia in Africa superessent, inventus est in Italia, qui salutem Africani generis ingenti animo complexus, de religione catholica illic restituenda cogitaret. Is fuit, quod nemo ignorat, Franciscus Assisiensis : qui Tunetum, ad oppidum Proconsularis Africae princeps Carthaginique proximum, Aegidium et Electum alumnos suos submisit, iussitque in iis hominibus ad instituta catholica revocandis, quantum possent, elaborare. Anceps et salebrosum inceptum, si quod aliud : in quo multum uterque desudavit caritate et fortitudine summa : alter vero sanctissimi propositi laudem nobili martyrio cumulavit. — Mox Gregorius IX decessor Noster alios ex illo ipso instituto viros eodem in culturam animorum legavit : illorum tamen laboribus barbarica vexatione interceptis, necessario factum est, ut terra Africa apostolicos viros ad saeculum usque decimum septimum nullos habuerit. Tunc demum, auctoritate sacri Consilii christiano nomini propagando, Praefectura apostolica instituta est, quae Algeriensem, Tripolitanam, ac Tunetanam provincias una complecteretur : eamque sodales Franciscales Capulati gerere iussi.— Deinde Praefectum Apostolicum seorsim creari placuit, cuius potestati quidquid est agri Tunetani subesset : iidemque religiosi sodales ad id munus electi. Qui laboriosum opus, animose susceptum, animo aeque excelso expleverunt, ut omnino dederint, quid caritas possit, passim documenta maxima. Nam in tam agresti Saracenorum immanitate incredibiles molestias pertulerunt : plurimique numeran-

(1) Victor Vitensis, *Pers. Vand.* lib. I, c. 7.

Digitized by Google

tur, qui caeli inclementia absumpti, qui ferro barbarorum sublati, qui vigiliis perpetuisque fracti laboribus martyrii honores delibarint. Sed eorum constantia religionis incremento mire profuit: nec exiguae illae utilitates putandae, quas recentiore memoria Afris pepererunt, nimirum paroeciae aliquot conditae, scholae in eruditionem puerorum apertae, et quaedam in solatium calamitosorum pie instituta.

Ineunte hoc saeculo, cum militares Gallorum copiae in Africam adnavigassent, inque maritimis oris victrices consedissent, constituta ibidem provincia est, cuius imperium apud eos esse coepit. Haud multo serius, dato Algeriensibus Episcopo, amplissimae illae regiones, quae a Saracenis diuturno dominatu tenebantur, veteris dignitatis aliquid recepisse visa sunt. — Deinde Dioecesibus Constantinae et Orani institutis, pluribus locis, in quibus olim Ecclesia sospes et florens insederat, sanctissimi ritus catholici longo intervallo sunt restituti. Ipsa Tunetana regio, cum christianorum crevisset numerus, mutata in Vicariatum apostolicum Praefectura, Episcopum a Romana Sede accepit. Atque ex eo tempore provisa sunt multa ad christianam morum disciplinam salubria: amplificatae paroeciae: auctae scholae: sodalitates pietatis caussa plures coalitae.

Haec satis prospera initia spem plurimis fecerant fore ut, deductis coloniis in eum tractum in quo sita Carthago fuit, revocari aliquando ab interitu posset Africanarum princeps urbium, et secundum instituta maiorum novum a Pontifice Romano Episcopum accipere. Cui quidem spei partim respondisse exitum laetamur: cetera responsurum, Deo adiutore, non diffidimus. Nam Vicariatus Tunetani administrationem adeptus Archiepiscopus Algeriensis S. R. E. Cardinalis Carolus Martialis Lavigerie, ad propagationem fidei stabilemque rei sacrae constitutionem vir sapiens atque impiger animum appulit. Multas res perfecit utiliter spatio perbrevi: nec pauca suscepit ad excitandam e cineribus suis Carthaginem opportuna. Et sane in regione *Mègara* proxime a situ, quem Cyprianus cruore suo dedicavit, nèc longe admodum a loco sepulturae eius, in ipsis ruinis Carthaginiensibus aedes episcopales cum aedicula extruxit: ibique accolae et finitimi, praesertim egentes et calamitosi, miseriarum solatium quotidie reperiunt. Presbyteros in ipsa domo episcopali, itemque Tuneti, aliisque Vicariatus frequentioribus locis ad officia sacerdotalis muneris obeunda constituit: quibus ipsis officiis sodales Franciscales Capulati dare operam strenue perseverant. In regione, quae *Byrsa* audit, Seminarium Carthaginiense condidit: cuius alumni in novae Dioecesis spem succrescentes ad

Digitized by Google

theologiam, ad philosophiam, ad humaniores litteras idoneorum doctorum curis magisterioque erudiuntur. Ad Paroecias pristinas novas adiunxit non paucas: unamque ex iis in sacello constituit, quod a sancto Ludovico nuncupatur, eo ipso in loco unde rex pientissimus ab hac brevitate vitae ad sempiterna in caelis bona evocabatur. Praeterea hospitalem domum senectute et egestate coniuncto incommodo laborantibus; valetudinarium aegrae plebi curandae: aedificia adolescentibus utriusque sexus educandis aperuit. Quibus illecti commodis et beneficiis satis multi iam incolere ea loca coeperunt in spem auspiciumque revicturae civitatis. Denique perfecit, ut ad tuitionem Archiepiscopi rerumque coeptarum absolutionem necessarii sumptus perpetuo suppeterent.

Igitur cum haec, quae commemorata sunt, diligenti consideratione momentoque singula suo ponderaverimus, perrogata etiam sententia sacri Consilii christiano nomini propagando; quod universae christianae reipublicae faustum sit, maximeque Afrorum saluti ac dignitati bene vertat, Sedem Archiepiscopalem Carthaginiensem harum litterarum auctoritate restituimus. Proptereaque eos fines agri Tunetani, in quibus olim Carthago erat, quique hoc tempore quinque pagos complectuntur nempe *La Marsa, Sidi Bou Saiid, Douar es Chott, La Malga, Sidi Daoue* cum suis templis, oratoriis, piis etiam institutis, cumque universis utriusque sexus catholicis incolis, exire de potestate Vicarii Apostolici Tunetani, et Archiepiscopo Carthaginiensi in posterum subesse et parere iubemus.

E templis, quae sunt intra fines civitatis, Metropolitanum esto, quod is, qui haec decreta Nostra perfecturus est, maluerit, titulo tamen non mutato.

Archiepiscopus Carthaginiensis Vicarium sibi generalem unum pluresve, si res postulaverit, adsciscat: insuper consiliarios adiutoresque ad expedienda Archidioeceseos negotia ex ordine Cleri legat. — Idem controversias de matrimoniis, caussasque ceteras, de quibus Archiepiscopum cognoscere ius est, cognoscat et dirimat. Cetera omnia, quae ad pastoralis officii munus pertinent, liber gerat. — Synodos Dioecesanas constitutis lege temporibus habendas curet. Collegium Canonicorum Metropolitanorum, secundum praescripta legum ecclesiasticarum, ubi primum fieri poterit, instituat. Unus ex Canonicis primus esto in Collegio, Archidiaconi dignitate auctus; duoque canonice eligantur, quorum alter Theologi, alter Poenitentiarii officium gerat. Seminarium Carthaginiense educendis sacrorum alumnis perpetuo addictum sit. — Per interregnum administratio Archidioeceseos geratur secundum praescripta Litterarum Apostolicarum Benedicti XIV *Ex sublimi* et *Quam ex sublimi.*

Digitized by Google

De Ecclesiis Suffraganeis, de finibus describendis, itemque reliquis de rebus, quae ad perfectam Archidioeceseos constitutionem pertineant, integrum Nobis esse volumus id quod expedire videbitur opportune decernere. — Demum Venerabili Fratri Nostro Carolo Martiali S. R. E. Cardinali Lavigerie Archiepiscopo Algeriensi, Administratori Tunetano, mandamus ut ea omnia, quae his continentur Litteris Nostris, exequatur: idque vel per se, vel per interpositam personam in ecclesiastica dignitate constitutam.

Volumus autem omnia et singula, quae per has Litteras decrevimus, firma, stabilia, rata, uti sunt, ita in omne tempus permanere: neque iis quidquam officere ullo modo posse, ne Nostras quidem et Cancellariae Nostrae regulas, quibus omnibus, horum decretorum gratia, derogamus. Nulli ergo hominum liceat has Litteras Nostras infringere, vel eis ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae Millesimo octingentesimo octogesimo quarto, Quarto Idus Novembris, Pontificatus Nostri anno septimo.

C. CARD. SACCONI Pro-Datarivs — F. CARD. CHISIVS

VISA

De Cvria I. De Aqvila e Vicecomitibvs

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Secret. Brevium

I. Cvgnonivs

Digitized by Google

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS

EX CONSISTORIO HABITO DIE 10 NOVEMBRIS 1884

ALLOCUTIO SSmi D. N. LEONIS Papae XIII.

Quam aspera in Ecclesiam saevire procella pergat, quam crebrae sint ob hanc caussam quamque graves Nobis praesertim, qui ad gubernacula sedemus, sollicitudines animi subeundae, nemini fortasse melius est quam Vobis cognitum, qui in administranda christiana republica consilium Nobis operamque praestare pro dignitate vestra soliti, saepe in mediis rerum difficultatibus Nobiscum una versamini. Postea vero quam, datis in id Litteris Enciclycis, consilia et artes societatum clandestinarum libere aperuimus, quod omnino a Nobis et officii Nostri et salutis publicae ratio postulabat, inveterata inimicorum odia gravius etiam videntur exarsisse, ut metuendum sit ne magis laboriosa certamina dies afferat. — Verumtamen quoscumque demum casus inimica vis invexerit, securi suscipiemus: in tutela enim patrocinioque Dei omnipotentis conquiescimus, cuius est beneficio datum tributumque Ecclesiae suae, ut, eo auspice et adiutore in omne tempus victrix, in ipsis dimicationibus crescendi caussas inveniat. Quod quidem si superiorum saeculorum, quotquot ab Ecclesia condita fluxerunt, non esset memoria testatum, satis ea confirmarent quae nos ipsi hoc tempore perspicimus. Ecce hoc ipso teterrimo bello, quod adversus catholicum nomen diu deflagravit, nihil sibi metuens Ecclesia defungitur: atque in eo maxime triumphat, quod in tam pervagata opinionum morumque corruptela, quando summum bonum, quae est fides christiana, circumfusis undique insidiis in periculo vertitur, non rara occurrunt experrectae virtutis documenta, concordiaeque, caritatis, fortitudinis exempla passim in populo christiano renovantur. — Eodemque tempore novas easque peramplas regiones Evangelio christiano videmus Dei munere reclusas. Viget catholicum nomen in America: foederatarum civitatum Episcopi hoc ipso mense concilium acturi sunt, deque ecclesiastica disciplina rite ordinanda communi iudicio deliberaturi. Viget idem ac propagatur apud Australianos, apud Indos, variisque Orientis partibus ita ut christianorum multitudo quoti-

dianis propemodum aucta incrementis alios atque alios vicario munere apostolico rectores persaepe requirat.

De Africa vero, quamvis magnam adhuc partem christianae sapientiae expers cultu inhumano vilescat, illud tamen Nos iucunde afficit beneque in posterum sperare iubet, quod instituta christiana satis iam coluntur in septentrionali, quae mari alluitur, ora. — Qua in re non exigua sunt merita unius viri ex amplissimo Collegio vestro, qui communi Africanae gentis saluti quam maxime intentus, instantia et laboribus assecutus est, ut brevi annorum cursu multa praeclare facta concluderet. Itaque de istius regionis bono valde solliciti sumus; et dum de provehendis per Africanas plagas commerciis civilique cultu his ipsis diebus in Europa consulitur, Nos quidem auspicatiore ad salutem consilio Evangelii lumen per ea loca propagare tuerique conamur. — Atque in primis cogitationes Nostras ad se hoc tempore convertit illa non tam urbs, fere enim nulla est, sed memoria urbis opulentae olim atque imperiosae, Carthaginem intelligimus: quam si memori admiratione suspiciunt posteri, quod multis rebus pace belloque floruerit totius Africae princeps et romanae aemula magnitudinis, multo magis suspiciant ob christianas laudes oportet. Ipsa quippe, nota omnibus et vulgata commemoramus, religionem christianam sibi ab urbe Roma allatam maturrime complexa est, tamque studiose retinuit, ut sanctissimorum virorum proventu martyrumque fortissimorum numero cum paucis civitatibus comparanda sit. Carthaginiensibus Episcopis iam inde ab ultima antiquitate haec dignitas obtigit, ut primatiali potestate Africae universae praeessent. Quod si postea, semel atque iterum vastantibus Africam barbaris, omnia cum religiosa tum civilia decora uno interitu occiderunt, ipsa civitate principe funditus deleta, permansit tamen veterum gloria meritorum, maximeque laus Sedis Archiepiscopalis, quam magnus Cyprianus sapientia et virtute sua non paucos annos nobilitatam martyrio demum consecravit. — Nos igitur harum rerum cogitatione adducti paternaque benevolentia christianos ex Africana gente complexi, cum magnopere velimus administrationem rei sacrae apud eos firmius stabiliri, maturum esse censuimus, ut throni Archiepiscopalis honor, auctoritate Nostra, Carthagini restitueretur: quapropter hac de re Litterarum apostolicarum exempla vobis singulis, Venerabiles Fratres, propediem reddi iussimus.

Minime dubitamus, quin pro summo vestro in Ecclesiam studio magnopere iucunda Vobis accidat ista pervetustae Sedis Archiepiscopalis velut ad vitam revocatio: eodemque tempore non minus

Digitized by Google

gratum acceptumque Vobis fore confidimus, quod amplissimum Collegium vestrum supplere viris decrevimus bene de Ecclesia meritis, quos doctrina, virtus, rerum usus, munera gesta valde commendant. Ii autem sunt:

Carolus Laurenzi Episcopus Tit. Amatensis, S. R. et U. Inquisitionis Assessor, quem S. R. E. Cardinalem Ordinis Presbyterorum in Consistorio Secreto die 13 Decembris 1880 creavimus, hodieque publicamus:

Michaelangelus Celesia, Archiepiscopus Panormitanus ex Ordine S. Benedicti.

Antonius Monescillo y Viso, Archiepiscopus Valentinus:

Gulielmus Massaia, Archiepiscopus Tit. Stauropolitanus, ex Ordine Minorum Capulatorum:

Caelestinus Ganglbauer, Archiepiscopus Viennensis ex Ordine S. Benedicti.

Zephyrinus Gonzalez y Diaz, Archiepiscopus Hispalensis ex Ordine Praedicatorum:

Carmen Merosi Gori, S. Congregationis Consistorialis et S. Collegii Secretarius:

Ignatius Masotti, S. Congregationis Episcoporum et Regularium Secretarius:

Isidorus Verga, S. Congregationis Concilii Secretarius.

Quid vobis videtur?

Itaque auctoritate omnipotentis Dei, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli et Nostra creamus et publicamus S. R. E. Presbyteros Cardinales

Carolum Laurenzi
Michaelangelum Celesia
Antonium Monescillo y Viso
Gulielmum Massaia
Caelestinum Ganglbauer
Zephyrinum Gonzalez y Diaz et Diaconos Cardinales
Carminem Merosi Gori
Ignatium Masotti
Isidorum Verga

Cum dispensationibus, derogationibus et clausulis necessariis et opportunis. In nomine Patris ✠ et Filii ✠ et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Digitized by Google

SSmus Pater habita praecedenti Allocutione, sequentes proposuit Ecclesias:

Ecclesiam Carthaginensem inter mere titulares Ecclesias hactenus adnumeratam, per Apostolicas Literas exordientes *Materna Ecclesiae caritas* datas die 10 huius mensis Novembris a Tunisino Apostolico Vicariatu seiunctam, dismembratam, ad Metropolitici iuris fastigium restitutam, seu noviter erectam et vacantem per translationem R. P. D. Petri Rota ad Archiepiscopalem Ecclesiam Thebarum; ad quam SANCTITAS SUA promovit Emum ac Rmum Dominum Martialem S. R. E. Presbyterum Cardinalem Allemaud Lavigerie, Archipraesulem Algerianum atque Apostolicum Tunetis Administratorem. Carthaginiensis urbs, caput olim magni imperii et provinciae proconsularis Africae metropolis ac Primas, aedificata hodiedum cernitur in ea Africae parte, cui Tunisii regnum est nomen, quamque plura incolunt civium millia. Inter Ecclesias inibi extantes fas erit neo-Archiepiscopo illam seligere et ad Metropoleos honorem evehere, quam ceteris aptiorem adiudicaverit. Eius pariter erit curae Capitulum instituere Metropolitanum ad normam sacrorum canonum. Archiepiscopale palatium, quoad fieri potest, Metropolitanae proximius erit statuendum, vel aedificandum. Pro mensae Archiepiscopalis censu satis superque consultum est. Seminarium a neo-Archiepiscopo, ceu Apostolico administratore Carthaginiensi, iam est institutum. Archidioeceseos ambitus nonnulla hucusque complectitur loca, vulgo nuncupata *la Marsa, Sidi Bon Saiid, Douaes Chott, la Malga, Sidi Daoue,* ac praecipue duas regiones, queis vulgare nomen *Mégara* et *Byrsa* a Tunisino Vicariatu seiunctas.

Metropolitanam Ecclesiam Utinen. vacan. per obitum bo. me. Andreae Casasola, ultimi illius Archiepiscopi extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Ioannis Mariae Berengo Antistitis Mantuani.

Titularem Ecclesiam Episcopalem Argiven. sub Archiepiscopo Corinthiensi vacan. per successionem R. P. D. Bernardi Antonii De Riso, Ordinis s. Benedicti Congregationis Cassinensis, ad sedem Cathacensem, favore R. P. D. Francisci Benassi Episcopi dimissionarii Guastallensis.

Cathedralem Ecclesiam Faventin. vacan. per obitum bo. me. Angeli Pianori, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. Ioachimi Cantagalli Antistitis Calliensis ac Pergulani.

Digitized by Google

Cathedralem Ecclesiam Urbevetan. vacan. per obitum bo. me. Eusebii Magner, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Iosephi Ingami, Episcopi titularis Sidoniensis.

Cathedralem Ecclesiam Caurien. vacan. per obitum bo. me. Petri Nuñez Pernia, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Marcelli Spinola et Maestre Episcopi titularis Milensis ad praesentationem Serenissimi Regis Catholici.

Cathedralem Ecclesiam Brixinen. vacan. per obitum bo. me. Ioannis de Leiss, postremi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Simonis Aichner Episcopi titularis Sebastensis, ad nominationem Francisci Iosephi I. Austriae Imperatoris.

Cathedrales Ecclesias Callien. et Pergulan. invicem perpetuo canonice unitas vacan. per translationem R. P. D. Ioachimi Cantagalli ad Cathedralem Sedem Faventinam, favore R. D. Ioannis Baptistae Scotti, Presbyteri Urbevetanae dioeceseos.

Cathedralem Ecclesiam marsorum. vacan. per obitum bo. me. Friderici de Giacomo, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Henrici de Dominicis, Presbyteri Abellinensis.

Cathedralem Ecclesiam Mantuan. vacan. per translationem R. P. D. Ioannis Mariae Berengo ad Sedem Metropolitanam Utinensem, favore R. D. Iosephi Sarto, Presbyteri Tarvisinae dioeceseos.

Cathedralem Ecclesiam Guastallen. vacan. per dimissionem a R. P. D. Francisco Benassi ultro libenterque in manibus SANCTITATIS SUAE peractam et ab EADEM admissam, favore R. D. Prosperi Curti, Presbyteri Regiensis dioeceseos.

Sedem Cathedralem Ecclesien. vacan. per obitum bo. me. Ioannis Baptistae Montixi, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Raymundi Ingheo Presbyteri Calaritanae archidioeceseos.

Cathedralem ecclesiam Labacen. vacan. per obitum bo. me. Ioannis Chrysostomi Pogacar, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Iacobi Missia, Presbyteri Secoviensis dioeceseos, ad nominationem Francisci Iosephi Primi Austriae Imperatoris.

Cathedralem Ecclesiam Carthaginen. vacan. per obitum bo. me. Didaci Mariani Alguacil et Rodriguez, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Thomae Bryan et Livermore Presbyteri Malacitani ad praesentationem Serenissimi Regis Catholici.

Digitized by Google

METROPOLITANAM ECCLESIAM ALBIEN. vacan. per obitum. bo. me. Stephani Aemilii Ramadie, ultimi illius Archiepiscopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Ioannis Fonteneau Antistitis Agennensis, ad nominationem perillustris Viri Iulii Grevy, Gallicae Reipublicae Praesidis.

METROPOLITANAM ECCLESIAM S. IACOBI DE BENEÇUELA in America Meridionali, vacan. per obitum bo. me. Iosephi Antonii Ponte, ultimi illius Archipraesulis, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Crispuli Uzcátegui Presbyteri archidioeceseos de Beneçuela, ad praesentationem, vigore Indulti Apostolici, perillustris Viri Reipublicae Venezuelae Praesidis.

ECCLESIAM TITULAREM ARCHIEPISCOPALEM PERGEN. vacan. per obitum bo. me. Francisci Alexandri Roullet de la Bouillerie, ultimi illius Archiepiscopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Augusti Eduardi Nuñes Presbyteri Portalegrensis qui etiam deputatus fuit in coadiutorem Archiepiscopi Elborensis cum futura successione.

CATHEDRALEM ECCLESIAM PHARAONEN. vacan. per translationem, dum viveret, R. P. D. Ignatii do Nascimento Moraes Cardoso, dein S. R. E. Presbyteri Cardinalis, ad Patriarchalem Ecclesiam Lisbonensem, favore R. P. D. Antonii Mendes Bello Archiepiscopi titularis Mitylenensis.

ECCLESIAM TITULAREM ARCHIEPISCOPALEM MITILENEN. vacan. per translationem R. P. D. Antonii Mendes Bello ad Cathedralem Sedem Pharaonensem, favore R. P. D. Ioannis Rebello Cardoso de Menezes Presbyteri Bracharensis archidioeceseos.

CATHEDRALEM ECCLESIAM TLASCALEN. vel Angelopolitan. in ditione Mexicana Americae Septentrionalis, vacan. per obitum bo. me. Ioannis Francisci de Paula Verèa, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Iosephi Mariae Mora et Daza, Antistitis Verae Crucis, seu Ialapensis.

CATHEDRALEM ECCLESIAM S. ALOISII POTOSIENSIS in Mexicana ditione Americae Septentrionalis, vacan. per obitum bo. me. Nicanoris Corona, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Iosephi Mariae Ignatii Montes de Oca et Obregon Antistitis de Linares.

CATHEDRALEM ECCLESIAM ATREBATEN. vacan. per translationem R. P. D. Guillelmi Renati Meignan ad Metropolitanam Sedem Turonensem, favore R. P. D. Desiderati Iosephi Dennel, Antistitis Bellovacensis, ad nominationem perillustris Viri Iulii Grevy Gallicae Reipublicae Praesidis.

CATHEDRALEM ECCLESIAM MACAONEN. vacan. per translationem

Digitized by Google

R. P. D. Emmanuelis Bernardi de Souza Ennes ad Sedem Brigantiensem, favore R. P. D. Antonii Ioachimi de Medeiros, Episcopi titularis Thermopylensis.

CATHEDRALES ECCLESIAS PARENTIN. ET POLEN. invicem perpetuo canonice unitas, vacan. per translationem R. P. D. Aloisii Zorn ad Sedem Metropolitanam Goritiensem, favore R. D. Ioannis Baptistae Flapp Presbyteri archidioeceseos Goritiensis, ad nominationem Francisci Iosephi I. Austriae Imperatoris.

CATHEDRALEM ECCLESIAM BOVINEN. vacan. per obitum bo. me. Alexandri Cantoli, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. Fr. Salvatoris a Neapoli, Ordinis Minorum Capulatorum s. Francisci.

CATHEDRALEM ECCLESIAM LINGONEN. vacan. per obitum bo. me. Guilelmi Bouange, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Alphonsi Martini Larue, Presbyteri Parisiensis ad nominationem perillustris Viri Iulii Grevy Gallicae Reipublicae Praesidis.

CATHEDRALEM ECCLESIAM DE CHIAPA in Mexicana ditione Americae Septentrionalis vacan. per dimissionem a R. P. D. Raymundo Maria Moreno et Castañeda libere ac sponte in manibus SANCTITATIS SUAE peractam et ab EADEM admissam, favore R. D. Michaelis Mariani Luque Presbyteri dioeceseos Angelopolitanae.

CATHEDRALEM ECCLESIAM CONCHEN. Aequatorianae ditionis in America meridionali, vacan. per obitum bo. me. Iosephi Antonii Remigii Esteves de Toral postremi illius Antistitis, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Michaelis Leon Presbyteri Conchensis.

CATHEDRALEM ECCLESIAM BOLIVAREN. in ditione Aequatoriana Americae meridionalis, vacan. per dimissionem a R. P. D. Iosepho Ignatio Ordoñez, libere ac sponte in manibus SANCTITATIS SUAE peractam, et ab EADEM, admissam, favore R. D. Arsenii Andrade, Presbyteri Quitensis archidioeceseos, ad praesentationem, vigore Indulti Apostolici, perillustris Viri Aequatorianae Reipublicae Praesidis.

CATHEDRALEM ECCLESIAM GUAYAQUILEN. in ditione Aequatoriana Americae Meridionalis vacan. per obitum bo. me. Iosephi Mariae Antonii Lizarzabùru, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. Roberti Mariae Pozo et Marin, e Societate Iesu, Presbyteri Ibarrensis, ad praesentationem, vigore Indulti Apostolici, perillustris Viri Aequatorianae Reipublicae Praesidis.

CATHEDRALEM ECCLESIAM DE LINARES in ditione Mexicana Americae Septentrionalis vacan. per

Digitized by Google

translationem R. P. D. Iosephi Mariae Ignatii Montes de Oca et Obregon ad Sedem S. Aloisii Potosiensis, favore R. P. Fr. Blasii Enciso, ex Ordine Canonicorum Regularium S. Augustini, Presbyteri archidioeceseos de Guadalaxara.

EPISCOPALEM ECCLESIAM TITULAREM LYCOPOLIEN. sub Patriarcha Alexandrino, vacan. per translationem R. P. D. Antonii Thomae da Silva Leitào e Castro ad Sedem Angolensem, favore R. D. Guilelmi Cramer, Presbyteri dioeceseos Monasteriensis, qui etiam deputatus fuit in Suffraganeum Monasteriensem ad pontificalia, ceteraque pastoralia munia ipsa in civitate ac dioecesi obeunda.

TITULAREM ECCLESIAM EPISCOPALEM SINOPOLITAN. vacan. per translationem R. P. D Antonii Pistocchi ad Cathedralem Sedem Cassanensem, favore R. D. Raphaelis Molina, Presbyteri archidioeceseos S. Iacobi de Chile.

ECCLESIAM TITULAREM EPISCOPALEM CASTORIEN. sub Archiepiscopo Acridano vacan. per obitum bo. me. Ioannis Iacobi Kraft, ultimi illius Archiepiscopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Francisci Gasparic' Presbyteri Zagrabiensis.

CATHEDRALEM ECCLESIAM BELLOVACEN. per translationem R. P. D. Desiderati Iosephi Dennel ad Cathedralem Sedem Atrebatensem, favore R. D. Iosephi Maxentii Pèronne, Presbyteri dioeceseos Suessionensis, ad nominationem perillustris Viri Iulii Grevy Gallicae Reipubblicae Praesidis.

Per Breve autem pontificium collatae fuerunt sequentes Ecclesiae :

ECCLESIA TITULARIS, ARCHIEPISCOPALIS THEBARUM, vacan. per obitum bo. me. Aloisii Biscioni Amadori, ultimi illius Archipraesulis extra romanam curiam defuncti, R. P. D. Petro Rota, Antistiti Carthaginensi.

METROPOLITANA ECCLESIA SANCTAE FIDEI DE BOGOTA in Confoederatione Statuum Reipublicae Columbianae, Americae Meridionalis, vacan. per obitum bo. me. Vincentii Arbelaez, ultimi illius Archiepiscopi, extra romanam curiam defuncti, R. P. D. Telesphoro Paul e Societate Iesu, Antistiti de Panamà.

ECCLESIA TITULARIS EPISCOPALIS ROSEN. sub Archiepiscopo Anazarbeno vacan. per successionem R. P. D. Mariangeli Emmanuelis de Briey defuncto Antistiti Meldensi bo. me. Augusto Allou, R. D. Felici Iulio Iourdan de la Passardiere Presbyteri dioeceseos Constantiensis, e Congregatione Oratorii.

ECCLESIA TITULARIS EPISCOPALIS THEBESTAN. sub Archiepiscopo Carthaginen. vacan. per obitum

bo. me. Iusti Alphonsi Aguilar, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, R. P. Fr. Dominico Cocchia, Ordinis Minorum Capulatorum s. Francisci.

Ecclesia titularis Episcopalis Bethesaiden. sub Archiepiscopo Petrensi vacan. per obitum bo. me. Raphaelis Carbonelli, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, R. D. Antonio Ayres de Gouvêa Presbytero Portugallensi.

Ecclesia Metropolitana Philadelphien. R. P. D. Patritio Ryan, translato de Ecclesia Salaminen.

Ecclesia titularis Archiepiscopalis Ancyren. R. P. D. Ioanni Cirino Vicario generali Archidioecesis Panormitanae, translato ex Ecclesia titulari Derbon.

Ecclesia titularis Archiepiscopalis Anazarben R. P. D. Ioanni Baptistae Salpointe, translato ex Ecclesia Dorylen. atque deputato in coadiutorem cum futura successione R. P. D. Ioannis Lamy, Archiepiscopi Sanctae Fidei novi Mexeci.

Ecclesia titularis Archiepiscopalis Calsaerien. R. P. D. Antonio Agliardi, electo in Delegatum Apostolicum Indiarum orientalium.

Ecclesia titularis Archiepiscopalis Chaelciden. R. P. Henrico Altmayer, ex ordine Fratrum Praedicatorum, Delegato Apostolico Mesopotamiae, et administratori Ecclesiae Babylonen.

Ecclesia titularis Archiepiscopalis Selimbrien. R. P. Vartan Estegar, abati generali Mechitaristarum Viennae, ritus armeni.

Ecclesia Chathedralis D'Elena erecta a Sanctitate Sua in Territorio Montanae, R. P. D. Ioanni Baptistae Brondel translato ex Ecclesia Vancouverien.

Ecclesia Chathedralis Vancouverien. R. P. D. Carolo Ioanni Seghers, translato ex Ecclesia Oregon City.

Ecclesia titularis Episcopalis Menniten. R. P. D. Thomae Gratiae ordinis Patrum Praedicatorum, dimissionario Ecclesiae s. Pauli de Minnesota.

Ecclesia Cathedralis Fernen. in Hibernia R. D. Iacobo Browne parocho in eadem Dioecesi.

Ecclesia Cathedralis Ossorien. in Hibernia R. D. Abrahamo Browring.

Ecclesia Cathedralis Davemporten. in Statibus unitis Americae R. D. Henrico Cosgrove, antiquo administratori eiusdem Dioecesis.

Ecclesia Cathedralis Amiden. ritus armeni R. D. Iosepho Ferrhian.

Ecclesia Cathedralis de Muse in Armenia, ritus Armeni, erecta a Sanctitate Sua R. D. Paschali Giamgian.

Ecclesia Cathedralis Zachuen. in Mesopotamia, ritus Chaldaici R. P. Stephano Kaynoia.

Digitized by Google

Ecclesia Cathedralis de Manchester in Statibus unitis Americae, erecta a Sanctitate Sua, R. D. Dionisio Bradley.

Ecclesia Cathedralis Covingtonen. in provincia de Cincinnati Statuum unitorum Americae R. D. Petro Camillo Maes.

Ecclesia Episcopalis Madauren. R. P. Epiphanio Carlassare, deputato in Vicarium Apostolicum Hupé orientalis in Sinis.

Ecclesia Episcopalis titularis Hauaren. R. D. Salvatori Massot, ordinis Fratrum praedicatorum, electo in Vicarium Apostolicum Fukien in Sinis.

Ecclesia titularis Episcopalis Lambesitan. R. P. Alphonso O'Callaghan, deputato in coadiutorem cum futura successione R. P. D. Gulielmo Delany, Episcopi Corcagiensis.

Ecclesia titularis Macranien. R. D. Ioanni Healy, electo in coadiutorem cum futura successione R. P. D. Patritii Duggan, Episcopi Clonfertensis.

Ecclesia titularis Episcopalis Usolen. R. D. Beniamino Ieremiae Minorum Observantium, electo in coadiutorem cum futura successione R.D. Eloi Cosi, Vicarii Apostolici e Chan-tong in Sinis.

Ecclesia titularis Episcopalis Toronen. R. P. Francisco Saturin Guicard e Seminario Missionum exterarum, deputato in coadiutorem cum futura successione R. P. D. Francisci Lions, Vicarii Apostolici Kui-Tcheou in Sinis.

Ecclesia titularis Episcopalis Ruspen. R. D. Antonio Mariae Buhadgiar, ordinis Capuccinorum, deputato in auxiliarem Emi Cardinalis Carolis-Martialis Allemand-Lavigerie, Administratoris Apostolici Vicariatus Tuneti.

Ecclesia Episcopalis titularis Bethsaiden. R. D. Antonio-Ayres de Gouvea Portugalliensi.

Ecclesia titularis Episcopalis Magyden. R. D. Ioanni Cagliero Congregationis s. Francisci Salesii, deputato in Provicarium Patagoniae Septentrionalis.



Digitized by Google

EX S. CONGREGATIONE DE PROPAGANDA FIDE

IURISPATRONATUS

Die 27 Martii 1884.

Compendium facti. Marinus D' Argenta et Margarita Sirigo ex Thera Dioecesis Sanctoriensis in Aegeo per instrumentum rogatum die 21 Junii 1668 coram Vicario Dioecesano quae sequuntur disposuerunt. – « Nepoti R. D. Georgio Ga-
» vrà assignant fundos.... pro anima sua genitorumque
» suorum, ita ut dictus R. D. Georgius eadem stabilia bona
» habeat et possideat, fructusque suos faciat, emolumenta-
» que omnia percipiat, ea sub conditione ut hae possessio-
» nes transmittantur semper de presbytero in presbyte-
» rum *magis supradicto Marino proximum,* hoc est pres-
» byterum latinum. Quod si progressu temporis alius praesto
» sit proximior Sacerdos, hic fundos a quovis possessore
» vindicet, oneribusque mox imponendis satisfaciat. »

Pium huiusmodi legatum iam a prima vacatione quae anno 1711 locum habuit, ab Ordinario recensitum est uti Capellania seu Beneficium ecclesiasticum. Ipse enim decreto suo in possessionem legati immisit Capellanum: idque alii Episcopi Sanctorienses constanter egerunt. Quo facto canonica fundatio confirmata est, ad ea quae tradit *Couvarruv. l. 3. var. c. 16 n. 10 Rota..... Gonzalez in reg. 8 glos. 5. num. 53.*

Dicto anno 1711 cum primus vocatus Gavrà mortem obiisset, tres ad beneficium concurrerunt praetendentes; scilicet clericus Loisus Delenda, Joannes D'Argenta iam Sacerdos et fundatoris *ex fratre* pronepos, nec non Angelus Sannuodo et ipse pronepos, sed *ex sorore.* Partibus contendentibus, Ordinarius Loisum Delenda clericum aliis praetulit, ut proximiorem *in recta linea,* strictioremque ipsius fundatoris

Digitized by Google

propinquum. Quoniam vero clericus erat electus, nec oneribus satisfieri per eum poterat, praecariam beneficiis possessionem binis aliis concurrentibus concessit, ut obligationibus fraterno modo satisfacerent, fructusque beneficii dividerent *pro bono pacis.*

Gravior lis exarsit cum anno 1786, e vivis ereptus est Antonius Delenda Loisi nepos et successor. Concurrebant eo tempore Nicolaus Delenda in quarto utriusque computationis gradu cum institutore coniunctus, et Petrus D' Argenta Praepositus fundatoris agnatus, sed in quinto computationis canonicae, inque sexto civilis computationis gradu constitutus. Cum S. C. proposita fuissent dirimenda dubia 1. « An sit in possessione beneficii manutenendus D. Nicolaus » Delenda, seu potius iuspatronatus passivum spectet ad sa- » cerdotem latini ritus ex agnatione D' Argenta. 2. An » actuali *possessore* decedente, concurrentibusque descenden- » tibus in recta linea a fundatore, teneatur Episcopus bene- » ficium conferre digniori, vel in aetate antiquiori, vel sacer- » doti? » In generalibus comitiis diei 27 Martii 1786 responsa edita sunt. - Ad 1. *affirmative ad primam partem, negative ad secundam, nisi sint agnati in gradu proximiori testatoris.* Ad 2. *pium legatum esse conferendum sacerdoti proximiori.* Et in Epistola qua resolutio Episcopo communicabatur, additum est *quatenus non sit indignus.*

Anno 1799 Nicolao Delenda vita functo, beneficium obtinuit Petrus D' Argenta et rationem praelationis eidem concessae exposuit Ordinarius. Licet enim alii concurrentes in quinto utriusque computationis gradu fundatori coniuncti essent a quo recta ex linea descendebant; Petro vero D'Argenta quintus canonicae, sextus vero civilis computationis gradus assisteret, eum praeferendum duxit qua fundatoris agnatum ceterisque aetate praestantiorem. Et quia ratio *qua fundatoris agnatum* competitorum quaerelas excitaverat, declaravit iterum Episcopus, se beneficio investiendum censuisse Petrum D' Argenta, non quia agnatum, sed quia *funda-*

Digitized by Google

tori coniunctum aeque ac alios, ac *insuper seniorem, iuxta consuetudinem pluribus abhinc annis in Dioecesi vigentem.*

Haud acquieverunt competitores: sed post quatriennium cum Theram petiisset Chiensis Episcopus, Visitatoris Apostolici munus obiens, Ei recursum obtulerunt. Ille vero per sententiam diei 16 Februarii 1804 Ordinarii actum confirmavit.

Anno 1824 unus ex competitoribus etiam penes S. C. de Propaganda quaestionem proposuit. S. C. mense Martio Metropolitae rem definiendam commisit. Hic autem re mature perpensa, et prae oculis habens contendentes in quinto canonicae computationis gradu aeque reperiri; decreto diei 27 Iulii possessionem favore Petri D' Argenta ratam habuit, et confirmavit.

Post mortem Petri D' Argenta nullam aliam contestationem usque ad annum 1866 tribus in vacationibus exortam esse constat. Sed cum e vivis ereptus est Ioannes Sirigo, plures ad concurrendum accesserunt Sacerdotes de linea recta ex filia et de transversalibus ex fratre et sorore, non omnes vero pari consanguineitatis gradu fundatori coniuncti. Erant hi D. Antonius Cigalla ex recta linea, septimo in gradu computationis tum canonicae tum civilis: D. Nicolaus Fumelli ex fratre, et D. Franciscus Brusetto ex sorore in septimo canonicae inque octavo civilis computationis gradu constituti, Ordinarius beneficium adiudicavit Antonio Cigalla, et quia proximior civili in computatione erat, et quia aetate praestantior.

Decretum huiusmodi, appellante Fumellio, confirmavit Metropolitanus respectu habitu maioris aetatis investiti. Ad cauthelam Ordinarius rem definiendam detulit S. C. petens ut quaestio funditus resumeretur ex actu fundationis. Ipse vero agnatitiam lineam praeferre visus est. S. C. audito prius consultore electissimo dubiis 1. *An confirmanda sit resolutio edita anno 1786.* Et quatenus negative 2. *Quomodo interpretanda sit pia dispositio Marini D' Argenta,* respondendum censuit Ad 1. *in decisis;* Ad 2. *provisum in primo.*

Digitized by Google

Qua decisione cum in tuto positum esset ad ius patronatus passivum omnes aeque lineas esse admittendas, gravior excitata lis est, de graduum computatione. Scilicet an sequenda sit canonica computatio quae in matrimoniis obtinet, vel civilis quae in haereditariis successionibus praevalet. Etenim in vacatione anni 1868 quinque de familia D' Argenta Sacerdotes beneficium praetendebant, quorum unus tantum septimo utriusque computationis gradu et recta linea, quatuor septimo canonicae, octavo vero civilis computationis gradu et transversali ex linea fundatori coniuncti. Erant hi Antonius Matta natus anno 1799, Nicolaus Fumelli ex 1803, Cristodolus Melagrani ex 1812, Ioannes D'Argenta ex 1827, Nicolaus Cigalla (unicus ex recta linea) ortus anno 1815.

Quaestioni haud refert scire quomodo res processerint usque ad annum 1881, quo Ordinarius, sub die 10 Augusti, civili computationi deferendum ducens, Nicolaum Cigalla ex contendentibus praelegit quia « recta linea proximior esset » fundatori ».

Fumellius ad Metropolitanam Curiam Naxiensem provocavit. Archiepiscopus, Sacra Congr. eum auctorante ad appellationem excipiendam, post novas partium deductiones, per sententiam diei 5 Septembris 1883, *Fumellio beneficium adiudicavit;* et *Nicolaum Cigalla condemnavit ad fructus restituendos deductis impensis pro cultura, nec non eleemosynas missarum celebratarum a die motae litis, eosque Fumellio solvendos esse decrevit. Quoad tempus anteactum Ordinario tradendos, qui eos eroget pro opere pio cui magis necessarios iudicabit.*

Hac ex Sententia ad S. C. provocavit Cigalla, quae R. P. D. Flaviani Simoneschi, Episcopi Helenopolitani votum requisivit. Hic autem post accuratissimam factorum expositionem, sententiam Metropolitani confirmandam esse censebat: hoc est *iuxta modum, restitutis tantum fructibus a die motae litis* ob rationes breviter resumendas.

Rationum synopsis. Afferebat prae primis voti extensor, Therae constantem esse consuetudinem, ut inter pari gradu ad

Digitized by Google

pia legata beneficiaque concurrentes, aetate provectior praeferatur. De hoc testimonium praebuit Sanctoriensis Ordinarius in decreto diei 2 Augusti 1799, quo impugnatam beneficii possessionem favore Petri D'Argenta confirmavit, expresse declarans: se eum praetulisse « utpote seniorem iuxta consuetu-» dinem pluribus abhinc annis hac in Dioecesi introductam » talibus in concursibus pro bono pacis. » Cui decreto consonat et aliud diei 7 Novembris 1866 quo, Episcopus de sacerdote Antonio Cigalla praeferendo attulit « prae oculis habita im-» memorabili huius Dioeceseos consuetudine, scilicet quod » inter pari gradu ad legata concurrentes senior praeferatur. » Nihil, observabat scriptor, huic consuetudini deest, ut legis vim habeat ad text. *Can. 5 dist. 1.*

Contendentes praesenti in iudicio duo sunt: DD. Nicolaus Fumelli et Nicolaus Cigalla, quorum prior aetate praestat, cum anno 1803 ortum duxerit: et pari gradu ac aemulus Cigalla sit fundatori coniunctus: idest in septimo computationis canonicae.

Nota cuique, addebat extensor, differentia est quae inter ius civile et ius canonicum intercedit quoad consanguineitatis graduum computationem in lineis collateralibus. Ius civile fratres sororesque in secundo gradu ponit: filium et patrem in primo. Ius canonicum contra patrem et filium fratres et sorores in primo gradu tenet ad textum *cap. 35. quaest. 5.* Iure enim civili eum finem respici, ut demonstretur quis ex consanguineis ad haereditariam defuncti successionem praeferendus sit: iuris vero canonici eum scopum fuisse ut pateret: ad quam usque generationem nuptiae inter christianos prohibitae essent. Filium autem intensive non extensive propinquiorem parentibus esse quam fratribus, tradit optime *Sanchez de matr. lib.7 disp. 50 n. 5.*

Ast, prosequebatur, praeter successiones haereditarias et matrimonia, aliae causae prostant in quibus propinquitatis gradus computandi sunt. Tradunt autem doctores, in *aliis contractibus, actibus, ceterisque similibus* eam sequi oportere computationem quae propria illius Fori est, cui respe-

Digitized by Google

ctive materia subiicitur. Scilicet profana in materia civilis, in materia iuris ecclesiastici, canonica computatio adhibenda est; *Couvarruv. in 4. Decret. p. 2. c. 6.* §. *6. num. 8. Sanchez de matr. lib. 5. disp. 50. num. 6.* Et ceteris omissis, *Pirhing ius can. S. 4 tit. 14. sub. 1.* §. *1 num. 7.*

Huic iuris theoriae adhaerens S. C. Concilii in Eugubina 4 Decembris 1723, cum disputaretur de dotibus puellis fundatori propinquioribus conferendis; ob naturam pii legati et ob onus solutionis eiusdem dotis cuidam capellaniae impositum; dubio « An solutio dotium fieri debeat ex capitali » vel ex fructibus: et an puellis constitutis in secundo vel » tertio gradu iuxta ius civile, vel iuxta ius canonicum in » casu » responsum datum est die 18 eiusdem mensis Decembris « Solutionem dotium fieri debere ex capitali iuxta » modum etc. et computationem graduum esse faciendam » *iuxta ius canonicum.* »

Innuebat de Beneficiis et Capellaniis dissidium inter doctores esse circa computationem applicandam; *Tiraquel. de retract.* §. *1. Glos 9. num. 33* et *Garcia de benefic. part. 7. cap. 15. num. 26.* contendunt Capellanias et Beneficia saltem *aliquo modo* seu *ad instar* materiam successionis continere. *Amostazo* de *causis piis lib. 3. cap. 8. num. 39.* successionis imaginem repudiat sed in lineis transversalibus, *propter praecisam necessitatem*, ut ipse ait, computationem civilem admittit. S. Rota Romana quandoque iuris quaestionem praeteriit et iudicium in facti adiunctis fundavit uti in *Calaguritana Capellaniae 4. Maii 1672.* §. *7. coram. Taia;* quandoque vero inclinavit ad statuendum, ut si fundator proximiores consanguineos vocavit, civilis computatio adhibenda sit: si consanguineos usque ad certum gradum ut puta tertium vel quartum, canonicae computationi esse adhaerendum. Ita in *Asculana Capellaniae 26. Iunii 1693.* §. *6. coram Benincasa* et in confirmatoria *28. Iunii 1694. coram Mulieres* §. *53.*

Attamen haud minoris notae auctores, prae oculis habentes canonicam prohibitionem iure haereditario beneficia

Digitized by Google

petendi, et exclusivam competentiam fori ecclesiastici in huiusmodi materia; pro absoluta computatione canonica sententiam tulerunt *Cevallos quaest. commun. quaest. 198 Parladori dist. 109 num. 16 Mieres de maiorat. part. 1. quaest. 1 num. 3 Gratian. discept. forens. cap. 76 n. 10.* Recentius et S. Rota in eamdem sententiam ivit, ut videre est in *Nullius seu Sublacen. Canonicatus 25 Aprilis 1803 §. 7 coram De Alteriis.* Et hoc, praeclarus aiebat Extensor voti, iure ac merito: nam Sacri Canones Beneficia et Capellanias praetendi petique iure haereditario prohibuerunt. Textus est in *Cap. 7 caus. 8 quaest. 1 Ne quis Ecclèsias aut praebendas, praeposituras, capellanias aut aliqua ecclesiastica officia haereditario iure valeat vindicare aut expostulare praesumat.* Sublato vero antecedente, corruit et consequens, quod in casu est civilis computatio.

A iure ad factum regrediens, contendebat in facto canonicae computationi opitulari observantiam annorum septuaginta: quae etiamsi *praeter* vel *contra* legem esset, consuetudinem gigneret et ipsam vim legis habentem; *Bartol. in repetit. 1. consuetudinis 19.* C. *quae sit longa consuet. Ostien. in Summ. Rit. de consuet. num. 5 Reiffenst. ius canon. tit. de consuet. §. 7 num. 175.* Ast in casu decreta episcopalia legi plene conformia fuerunt: constituuntque veram observantiam interpretativam veri et legitimi modi propinquitatis gradus in beneficio, de quo res est dimetiendi, ut Canones sacri praescribunt. Quo in casu ut legis declarativi essent, satis fuisset ut quidam tantum actus intercessissent ad favore consuetudinis praescribendum; *Rota decis. 273 num. 16 part. 15 recent.*

Haud praeteribat opponi posse, anno 1755 Ordinarium Clerico Loiso Delenda contulisse beneficium, Sacerdotibus D' Argenta et Secundo posthabitis. Verum obiectioni respondi. Ordinarium eum praetulisse quia proximiori strictiorique propinquitate in linea recta fundatori erat coniunctus. Ille enim lineam rectam obliquis praeferri debere revera cogitabat.

Digitized by Google

Et hoc etiam dignosci ex eo, quod et aliam conditionem posthabuit a fundatore impositam, hoc est beneficium esse possidendum de Sacerdote in Sacerdotem: nam clericus erat Loisus Delenda.

Dato sed etiam et non concesso, anno 1711 computatione civili usum esse Ordinarium, factum huiusmodi, quod nullum aliud conforme sequutum est, neque in contradictorio sanctionem habuit, impedire nequibat quominus anno 1799 per electionem praepositi D'Argenta contraria exsurgeret pro computatione canonica observantia; quae beneficii collationes sub ecclesiasticae legis imperio retrotraxisset, et constituisset initium consuetudinis secundum legem; *Leuren. iur. can. lib. 1 tit. 4 de consuet. quaest. 372.* Quae quidem consuetudo subiectae materiae naturae conformior erat; *De Luca de dote disc. 131 num. 8.*

Nicolao Cigalla, observabat ultimo loco, regula 36. Cancellariae de triennali possessore non suffragatur, qui legitimam beneficii possessionem nunquam habuit in titulum institutionis, sed lite pendente toleratum est, ut beneficium possideret. Deficiente vero pacifica possessione, triennalis possessio nihili facienda est; *Riganti comment. in regul. 36 cancell. n. 54 et 91.*

Ast eidem Cigalla opitulatur bona fides, qua beneficium possedit pro fructibus beneficii retinendis usque ad diem *motae litis; Reiffenst. ius can. in tit. de rest. spoliat. §. 57 num. 142.*

Quibus aliisque animadversis, propositum fuit diluendum

Dubium

An sententia diei 5 Septembris 1883 sit confirmanda vel infirmanda in casu.

Resolutio. S. Cong. re perpensa sub die 27 Martii 1884 censuit respondere: *Affirmative iuxta modum. Modus est, ut Sacerdos Cigalla restituat tantum fructus favore Fumelli a die motae litis, detractis expensis pro fundorum cultura, et eleemosynis Missarum celebratarum; condonatis eidem*

Digitized by Google

ad cautelam fructibus, antea indebite perceptis, facto verbo cum SSmo et *ad mentem. Mens est ut ad viam quaestionibus praecludendam quae in unaquaque beneficii huius vacatione excitantur, in collatione canonica graduum propinquitatis computatio praevaleat: et consuetudo servetur, inter pari propinquitatis gradu, seniorem eligendi.*

Ex QUIBUS COLLIGES. I. Civilem graduum propinquitatis computationem in successionibus haereditariis esse servandam.

II. In materiis quae successiones haereditariae non sint, eam esse computationem adhibendam, quae propria illius fori est, cui materia pertinet.

III. Quapropter in materia Beneficiorum et Capellaniarum, haud licere a computatione canonica digredi.

IV. In casu pro canonica computatione stetisse et observantiam: quae cum iuxta legem sit, maximum roboris habet.

V. Deficiente beneficii possessione in titulum institutionis regulam 36 Cancellariae de triennali possessore haud esse invocandam.

VI. Fructuum perceptionem in bona fide, ab eorumdem restitutione excusare usque ad diem motae litis.

IURISPATRONATUS

Die 11 Septembris 1884.

COMPENDIUM FACTI. Per actum diei 21 Aprilis 1601 Petrus D'Argenta Sacerdos ex Thera Dioecesis Sanctoriensis in Aegeo, beneficia bina instituit in suffragium animae suae, parentum, sororisque praedefunctae, imposito beneficiatis onere adstandi officio in Cathedrali Ecclesia s. Ioannis diebus dominicis ac de praecepto. Constituta beneficiis dote ex bonis a se emptis, ius sibi reservavit nominandi sacerdotes duos eisdem beneficiis investiendos; hac sub lege, ut his decedentibus, libere successores nominarent Episcopus Dioecesanus vel eius Vicarius: ita ut ab implendis oneribus a se impo-

Digitized by Google

sitis nunquam desisteretur. Quatuor post annos alio actu diei 21 Aprilis, quem *codicillum* appellant, beneficiatos ipse primos omnium nominavit, Ioannem et Aloysium sacerdotes D'Argenta; praescripsitque ut his vita functis, beneficia consequerentur « alii sacerdotes qui sint D'Argenta; et nisi sint » eiusdem *domus,* ea conferat Episcopus seu Vicarius pre- » sbyteris illis qui eisdem obligationibus se subiiciant: atque » iterum, quocumque tempore adsint Sacerdotes vel Sacerdos » D'Argenta, praeferantur: beneficiaque cum adiunctis obli- » gationibus consequantur. »

Regnante S. Pontifice Paullo V, curante Visitatore Apostolico urbis Therae Petro De-Marchis, huiusmodi institutio novo decore aucta est. Beneficia D'Argenta in dignitates erecta sunt cum titulo Praepositi et Thesaurarii, firma manente lege ut praeferendi semper essent Sacerdotes *de domo Argenta.* Et reapse cum anno 1633 Thesaurarii dignitas vacasset, eam Ordinarius obtulit Sacerdotibus Nicolao et Bernardo D'Argenta. Et quamvis hi D'Argenta ex insula vulgo Leri essent, tamen Episcopus in propositione clausulam adiecit « quomodolibet ipsis spectare posset, cum huius » canonicatus fundos praesbyter eiusdem *domus* reliquerit. » Uterque eorum beneficio nuncium misit eo tempore, Nicolaus imposterum Praeposituram consecutus est.

Ex anno 1720 gravis agitari coepit quaestio de intellectu clausulae codicillaris; quae ad S. Congregationem de Propaganda Fide delata est, et saepius exarsit, praesertim annis 1735 et 1759. Anno vertente 1760, die vero 15 Novembris, S. Congregatio Ordinario commisit « 1. ut cum » partibus conveniret de vero significatu particulae codicil- » laris: et praesertim de vero sensu illius *domus D' Argenta:* » et nisi concordari fas esset, textum eiusdem particulae » authenticum transmitteret. 2. Ut partibus iniungeret de- » ducendi congruum intra terminum praetensi iuris proba- » tiones: praesertim graduum cognationis vel agnationis » cum testatore. De his S. C. instructam redderet votum- » que super omnibus exprimeret. » Quibus per Ordinarium

Digitized by Google

absolutis, S. C. rebus mature perpensis die 20 Iunii 1763, respondit: « *Iuspatronatus passivum de quo agitur spe-* » *ctare in praesenti vacatione ad familiam agnatitiam* » *Angeli D'Argenta.* »

Exinde usque ad praesens pax fuit in huiusmodi beneficiorum collationibus. Bina beneficia iure vocationis Sacerdotibus D'Argenta collata sunt: hisque deficientibus, eadem obtinuerunt alii praesbyteri quandoque ab Institutoris sorore descendentes: semper vero ex libera Ordinarii electione. Sed cum nuper postremus decesserit Praepositus Nicolaus Fumelli, iterum antiqua quaestio excitata est, Ordinariusque Emo Praefecto dubium resolvendum proposuit « An dictum » beneficium iurispatronatus passivi deficientibus Sacerdoti- » bus familiae D'Argenta, libere ab Ordinario, vel potius » Sacerdotibus ab institutoris sorore descendentibus confe- » rendum sit? »

S. C. votum Consultoris, hac super quaestione conficiendum, commisit Illmo et Rmo P. D. Flaviano Simoneschi, Episcopo Helenopolitano, in quo praecipua quae sequuntur continentur.

Voti synopsis. Quaestionis solutionem, ait, totam pendere a vero rectoque sensu verborum, *sacerdotes D'Argenta..... domus D'Argenta,* verba quae institutor adhibuit pro illis designandis personis, quibus beneficiorum ius patronatus concedere voluit. Etenim, arguit, citra dubium esse institutorem haud adhibuisse loquendi modum a comuni usu abhorrentem: sed communem sermonem quem omnes percipiunt: verbisque usum esse quae adhiberi solent pro designandis personis quae ad datum *genus*, hoc est *stirpem seu gentem* pertinent proprio sub cognomine, inque generalibus propriae distinctaeque domus comprehensam. Institutorem indicasse eos qui *D'Argenta* sunt, sive *domus* D'Argenta, uti gentem Flaviam vel gentem Iuliam maiores nostri; et nostris hisce diebus Bonapartenses, seu *domum Bonaparte*.

Iam in iure certum esse, mulierem non propriae familiae tantum, sed proprii etiam generis finem esse. *leg.* 196

Digitized by Google

ff. de verb. signif. et *tit. I* §. *ult. ff. de iure immun. Tiraquel.* de *retr. gentil. gloss.* 9 *num.* 198 *foemina generis sui finis est et familiae.* Inde scatere: quod uti absonum esset eos qui ex familiis nascuntur de Gabriellis de Campello aliisque in quas foemina stirpis de Bonaparte nubens ingressa est, appellare *de Bonaparte;* ita pariter absurdum esset sacerdotes familiarum Delenda, Sirigo, Fumelli, Cigalla aliasque nomine *D'Argenta* appellare domusve D'Argenta, eo quod ex femina D'Argenta descenderint. Etenim, in casu, quaestionem haud esse de consanguineitate vel descendentia; sed de cognomine et genere. Dispositionem fundatoris ita se habere. « Qui ex hac domo sunt, beneficiis ius habent; qui ex diversa, nullo iure potiuntur. »

Hanc fuisse revera testatoris intentionem ex eo erui, quod post vocationem Sacerdotum D'Argenta, liberae Ordinarii provisioni aliorum Sacerdotum electionem, illis deficientibus commisit: verba enim adhibuit sensus apertissimi, *nisi sint eiusdem domus,* Episcopus ea beneficia conferat. Etenim prae oculis habendum esse, eo tempore quo fundator haec scripsit, plures numero fuisse cognominis D'Argenta: et iam in familia Gavalà in quam ingressa fuerat fundatoris soror eiusdem fundatoris nepotes extitisse. Quamobrem si omnes vocasset sacerdotes ex nepotibus cuiusque nominis nascituros, litigiosam perpetuo beneficiorum investituram fecisset, impossibilemque, ac eo ipso omni sensu vacuam electionem ad Episcopi arbitrium commissam. Revera nepotes ex Sorore Maria, quae viro Gavalà nupserat, peculiari modo haeredes ex testamento fundatorem reliquisse, si idem ergo quoad beneficia voluisset, expresse procul dubio significasset. Cuius quidem argumenti vim augeri, cum constet, a beneficiorum institutione ad iurispatronatus passivi designationem, quatuor decurrisse annos, quibus labentibus, quos beneficare magis cuperet commode eligere potuit. Quapropter casui applicandum esse principium, *quod voluit expressit,* noluisse censendum est.

Hanc verborum significationem, quae penes nos valet,

Digitized by Google

et Therae exceptam esse. Etenim anno 1760 S. C. de Propaganda Ordinario commisisse « ut una cum partibus concor» daret verum germanumqne sensum verborum quae funda» tor adhibuit. » Ordinarium vero ita, in relatione S. C. exhibita die 20 Iunii 1763, narrasse « se omnes exorasse » ut serio et coram Deo considerarent quis esset sensus » clausulae *ut sint D'Argenta* omnesque re matura per» pensa concordes respondisse: fundatorem *praediligere vo» luisse* in genere *domum D'Argenta, remota omni ex fe» minili linea descendentia.* »

His accedere sensum iuridicum verborum *domus* vel *familiae,* uti communiter nostra penes Tribunalia et a iurisperitis accipitur. Iuridico namque sermone, verba *domus* vel *familia* designare plurium familiarum agnatorum collectionem. *Cuiac. in leg.* 196 *ff. de verb. sign. Comuni iure dicimus familiam corpus universum agnatorum, idest confusionem plurium familiarum.* Quapropter cum *domus* ad fidecommissum vocatur, *agnationem* vocatam fuisse censeri: hoc est descendentes agnatos; *Ancharan. Consil.* 152 *num.* 4. *Peregrin de fideicomm. art.* 19 *num.* 27. *De domo autem si in fideicommittendo dictum fuerit perinde est ac si de agnatione fuisset expressum aut de familia.*

Iure Romano haud semper idem praevaluisse principium. Legibus enim digesti, agnatos tantum, exclusis descendentibus feminarum , sub familiae nomine comprehendi consuevisse. *Leg.* 196 *ff. de verb. signif.* Ex legibus Codicis e contra haberi, Iustinianum sub familiae nomine, propinquos non modo, sed libertos etiam ac patronos usque ad servos comprehendisse *L.* 4 *Cod. de verb. signif.* Verum hanc Iustiniani legem nullum in Italia robur numquam acquisivisse certum esse. Ceterum etiam huius ad legis normam, cum ex Sorore filii descendentesque nomen D'Argenta non habeant, a patronatu exclusos fuisse in casu.

Cuius quidem legis sensum applicare cupiens praeclarissimus voti extensor addit: Cuiacium duobus in locis eam

Digitized by Google

legem interpretantem innuere; ideo cognatos libertos, adoptatos servosque a Iustiniano ad fideicommissum *familiae* relictum consequendum admitti, quia *familiae* nomine utuntur, eidemque pertinent: arguitque *si ex nomine, igitur ex familia. Cuiac. Comment. in l.* 6 *C. tit.* 38 *tom.* 9 *et Comment. in leg.* 114 §. *Divi ff. de legat.* 1 *tom.* 7.

Quod vero in Italia nunquam vigorem habuerit Iustiniani lex, sequentibus probari ait. Ex celebri Ancharani theorica, duos distingui casus: 1. quod testator beneficare voluerit *agnationem,* hoc est progeniem seu *domum,* 2. quod talis *domus* vel *familiae personas* praetulerit. Primo in casu intelligi ipsum agnatos tantum ad fideicommisso fruendum vocasse, quia ipsi *cognomen domus* vel *familiae servant.* Secundo in casu cognatos quoque in vocatione comprehendisse, utpote descendentes *a personis* quas beneficare testator constituit; *Ancharan. Cons.* 27 *num.* 6.

Hac ex theoria principium penes tribunalia universaliter invaluisse, ut si testator familiae cognomen tantum in fideicommissi vocatione posuit impersonaliter, nullo designato stipite, *agnati,* exclusive ad cognatos, eo potiantur. Hanc vero regulam a fideicommissis ad iuspatronatus extendi; *Card. De Luca de iurepat. disc.* 25 *num.* 3 *et disc.* 26 *num.* 6. *Piton. de controv. patron. all.* 100 *num.* 192. *Gagliardi de iurepatron. cap.* 11 *num.* 15.

His auctorum doctrinis consonam constanter fuisse S. R. Rotae iurisprudentiam, patere ex decisionibus *Bononien.* 15 *Maii* 1741 §. 14 *cor. De Canilliac Hydruntina Beneficii* 25 *Iunii* 1756 §. 5 *coram Olivatio et in confirmatoria* 1 *Iulii* 1757 §. 7 *cor. Herreros. Setina Beneficii* 23 *Aprilis* 1787 §. 7 *cor. Strasordo. Urbevetana Iurispatr.* 4 *Iulii* 1794 §. 8 *cor. Priolo*; *et dec.* 12 *num.* 3 *cor. Riminaldo.* Casum vero praesenti simillimum, articulo formiter discusso, haberi in *Septempedana Capellaniae* 26 *Ianuarii* 1795 *coram Malvasia* §. 4 qua traditur... « utut enim » indefinitum familiae nomen porrigi plerumque soleat ex » novissimo Authenticorum iure, tum ad agnatos, tum ad

Digitized by Google

» cognatos, quoties tamen vocatio coercita est ad certam » familiam, *adiecto cognomine*, nihil certius quam ut soli sub » ea vocatione comprehendantur agnati......... Iamdiu hinc » obtinuit ut si familiae addita sit certi cognominis demon- » stratio, non alii assequi possunt ius praesentandi, nisi qui » agnati sunt, et sub uno eodemque cognomine continentur. » Pluribus aliis similiter *in terminis* omissis, eamdem theoriam firmam teneri in *Asculana Iurispatronatus* 6 *Maii* 1850 §. 5, *et in confirmatoria* 31 *Ianuarii* 1851 §. 5 *coram De Avellà.*

Iisdem ipsis principiis se conformasse S. Congregationem Concilii in *Melevitana Institutionis* 5 *Augusti* 1876 *et* 27 *Ianuarii* 1877 (1).

Tandem haèc omnia, primo observantiâ confirmari. Hanc enim institutionem immediate subsequentem anno 1632, post mortem duorum D'Argenta quos fundator ipse nominavit, centum fere annorum lapsu uniformem fuisse, usque dum Aloysius Delenda sororis fundatoris pronepos, ex Signaturae decreto anno 1735 confirmato ob infidele codicilli exemplare, in Praepositi dignitatem confirmari obtinuit. Sed cum tunc fraus et dolus praevaluerint, principium valere quod « *fraus et dolus nemini debent patrocinari* ».

Secundo, centumviginti annorum lapsu, hoc est ab anno 1763 ad praesens, constantem uniformemque observantiam fuisse. Referre enim Ordinarium Santoricensem, bina beneficia semper de iure sacerdotibus D'Argenta collata fuisse, hisque deficientibus, eadem libere Episcopum contulisse sacerdotibus cum fundatore cognatione coniunctis vel non.

Quanti vero huiusmodi observantia facienda sit, nulli non notum: cum ea censeatur optima fidelisque cuiusvis dispositionis interpres; *Constantin. vot.* 191 *num.* 64 *Piton. de controv. patron. alleg.* 86 *num.* 22. Qui tradit etiam observantiae standum esse, quamvis sensus huic adversus *verior de iure* sit; *Op. cit. alleg.* 83 *num.* 8. Idem docere S. Rotam in *decis.* 141 *num.* 12 *cor. Molines.*

(1) Habes hanc causam in vol. X, pag. 232.

Digitized by Google

Similibus in casibus obiici solere quod deficientibus agnatis, cognati saltem in subsidium admittendi sint, nisi expresse eos fundator excluserit. Obiecto sed iam respondisse S. Rotae Tribunal: huiusmodi subsidiariam successionem haud admitti, nisi saltem principium certum vocationis, quod *vocationis primordium* appellant, existat; *Rota Decis.* 88 *n.* 18 *cor. Molines; Decis.* 71 *n.* 3 *coram Olivatio: in Ravennaten. Fideicommissi* 12 *Ianuarii* 1797 §. 7 *coram Roverella, et in Septempedana Capellaniae* 26 *Ianuarii* 1793 §. 15 *coram Malvasia*, in qua sequentia praevalent « At » contra Puccinelli nullum praeseferunt commune verbum, » nullam erga cognatos coniecturam: sed absolutam et im- » personalem exhibent vocationem familiae de Manuzzinis » quae cum ad agnatos pertineat, subsidiariam quoque suc- » cessionem agnatis adimit; qui non modo nullum habent » vocationis primordium, sed ex coercita vocatione ad » agnatos, *tacite quidem sed necessario exclusi sunt a iure* » *patronatus.* »

Quibus praenotatis propositum fuit diluendum

Dubium

An beneficium D'Argenta, vacans ob mortem Canonici Fumelli, sit liberae collationis Ordinarii, vel potius conferendum sit sacerdotibus ex fundatoris sorore?

Resolutio. Sacra Congreg. re discussa sub die 11 Septembris 1884, censuit respondere: reformato dubio – *An beneficium D'Argenta vacans ob mortem Canonici Fumelli, nemine existente domus D'Argenta ad dictum beneficium habili, sit liberae collationis Ordinarii, vel conferri debeat uni ex fundatoris sorore descendentibus?* – idem dirimendum censuit responso: *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.*

Ex his colliges. 1. Eos qui ex femina descendunt, familiae matris domui haud pertinere: cum femina non propriae familiae tantum, sed et generis sui finis sit.

Digitized by Google

II. Verba *domus* vel *familia* designare plurium familiarum agnatorum collectionem, a qua cognati excluduntur.

III. Hinc si testator familiae nomen tantum in vacatione posuerit, nullo designato stipite, agnatos exclusive ad cognatos in fideicommissis vocari: eamdemque valere legem in iurepatronatus.

IV. Huiusmodi in quaestionibus magno in pretio haberi observantiam uniuscuiusque casus propriam.

RESCRIPTUM quo omnes receptiones ad sodalitatem vel unionem scapularis cuiuscumque, invalidae ex aliquo defectu, benigne sanantur.

Die 20 Iulii 1884

Beatissime Pater. Fr. P. Hyacinthus Durachio, Provinciae Capuccinorum Pensilvanicae Moderator, ad pedes Sanctitatis Vestrae humillime provolutus, quum saepe invalide fiant receptiones ad scapularia, prout satis experientiâ et ex decreto s. C. Indulg. diei 18 Sept. 1862, constare videtur, humillime supplicat, ut Sanctitas Vestra omnes receptiones invalidas ad Sodalitatem vel unionem Scapularis cuiuscumque, bonâ tamen fide peractas, sanare dignetur.

Ex audientia SSmi die 20 Iulii 1884, SSmus Dominus Noster Leo Providentia PP. XIII, referente me infrascripto s. Congregationis de Propaganda Fide Secretario, benigne concedere dignatus est, ut adscripti cum aliquo defectu, ut in precibus, ab hinc indulgentias singulis Scapularibus proprias lucrari valeant.

Datum Romae ex aedibus dictae Congregationis, die et anno praedictis.

Pro R. P. D. Secretario
Antonius Agliardi *off.*



Digitized by Google

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

CERVIEN.

DECIMARUM

Die 14 Iunii et 12 Iulii 1884.

Compendium facti. Ab antiquissimo tempore Mensa episcopalis cerviensis decimas fructuum percipit ex agris, infra dioecesis limites positis, excepta quarta earumdem decimarum parte, quam unusquisque parochus intra paroeciae suae fines colligit ac statutam habet pro congrua parochiali.

Parochus tamen insignis Ecclesiae Collegiatae *di Massa Fiscaglia* non colligit ex agris quartam decimarum partem, sed ab ipsa Mensa episcopali, nullo habito respectu da maiorem vel minorem fructuum collectionem, constanter recipit sex modios tritici, quatuor modios et modii sextarium melicae, et septuaginta duos cados uvae pressae. Ratio huius exceptionis quoad Parochum loci *Massa Fiscaglia* omnino latet, etsi antiquissimum extet documentum, quo innuitur praestationem hanc factam fuisse a saeculo decimoquarto.

Vertente at vero anno 1876, hominum arte factum est, ut valles loci *Massa Fiscaglia* ad culturam aptae redderentur per latissimam extensionem (3936 *ettari*). Nihil inde praetermisit Mensa episcopalis pro decimis sibi vindicandis super novum huiusmodi territorium ad culturam redactum. Sed cum agrorum possessores ex saeculi legibus facultatem habeant redimendi agros a vinculo decimarum, et huiusmodi redemptionem perficere tentaverint, Episcopus protestationibus, necnon per interpositas personas curavit, ut praefati possessores *affrancationis* ideam relinquerent omnino et consilium potius inirent commutandi decimas cum summa 8000

Digitized by Google

libellarum, quotannis Mensae Episcopali persolvenda. Quod reapse factum est per publicum instrumentum, ubi etiam legitur: in hac commutatione comprehendi etiam intelligitur quodlibet Parochi ius quoad quartam decimarum partem super fundos conventioni subiectos.

Rebus ita pacifice compositis Episcopum inter et agrorum possessores, Parochus loci *Massa Fiscaglia* oretenus et scripto institit apud eumdem Episcopum, necnon Mensae administratorem pro quarta novarum decimarum parte obtinenda. At in irritum cessis eius petitionibus, recursum habuit ad S. C. C. Episcopus vero, qui super huiusmodi recursum requisitus fuit, nihil innovandum esse putavit atque haec inter cetera retulit. « Iam a saeculo decimo Romani Pontifices Mensae episcopali Cerviensi integrum concesserunt, immo donarunt, tum quoad directum cum quoad utile dominium, territorium, quod nunc etiam obtinet sub Ducatu Ferrariensi. Idem insuper confirmatum est Bullis Apostolicis... et praesertim per illam ab Innocentio IV datam Lugduni Kalendis Februarii 1244, quae incipit: *In Apostolicae Sedis specula.* »

Huiusmodi territorium tunc temporis erat undique fere aquis coopertum, rarissimae hic et illic apparebant domus, et territorium ipsum nullos, praeter arundines et piscationem, suppeditabat redditus. Sed progressu temporis dum exsiccabantur valles, habitationis aedes extructae fuerunt, et cervienses Episcopi agros ipsos, ab aquis relictos, vel Communitatibus proximioribus, vel etiam privatis in emphyteusim ad meliorandum tradiderunt sibimet reservantes decimam (vel fere) partem reddituum. Hac sane ratione, percrescente populo, Phicoclenses Episcopi ibidem Templa curarunt aedificanda, et Paroecias instituendas esse existimarunt; et quum necesse fuerit dotem seu congruam Paroeciis ipsis assignare, ex iisdem plerisque Episcopi tamquam dotem et congruam reliquerunt ab Emphyteutis exigendam quartam partem reddituum, quos percipere debebat Mensa episcopalis iure, uti supra, feudali seu emphyteutico. Sed

Digitized by Google

cum forsitan territorium sub Paroecia Massae Phiscaleae, utpote ab aquis ad illud usque tempus coopertum, nullum aut fere nullum fructum Mensae episcopali praebuerit, vel alia quavis de causa, Parochis Massae Phiscaleae non quarta pars, uti ceteris Parochis, relicta est decimarum Mensae, sed mensura quaedam tritici, melicae et uvae assignata est et data ab ipsa episcopali Mensa, non a territorio, non ab Emphyteutis..... »

Disceptatio Synoptica.

QUAE PAROCHO FAVENT. Hisce praemonitis, Parochi petitio ita rationabilis ac iusta videtur, ut demonstratione non egeat. Omnes siquidem sciunt decimas cuiuscumque speciei Parochis omnino deberi, *Cap. Cum contingat 29 et Cap. Cum tua 30 de decim.;* adeo ut isti intentionem quoque in iure fundatam pro se habeant contra *ipsum Episcopum;* Barbosa *de off. et potest. Paroch. p. 3 cap. 28 et* §. *2 num. 7 et 8,* Fagnanus in *cap. Cum contingat 29 de decim. num. 21,* Pirhing *eod. tit. num. 80.* Idque firmavit s. Rota in pluribus decisionibus relatis a Cardinali Seraphino *decis. 802 num. 1.* Dubio proinde emergente vel lite de decimis, onus probandi non Parocho, sed aliis decimas sibi tribuentibus incumbit, ceu praeallegati Doctores cum communi sententia tradunt.

Huiusmodi autem principia potiori ratione urgenda sunt quando agitur, sicut in themate, de decimis novalibus. Istae enim decimae speciali modo Parochis reservantur, ita ut etiam privilegium percipiendi decimas alicui absolute ac indistincte concessum, ad novalia se non extendat, nisi expressa de hisce fiat mentio: Covarruvias *Var. Resolut. lib. 1 cap. 17* Guttierez *qq. can. cap. 21 num. 183,* Barbosa in *cap. Ex parte 27 decim. num. 6 et 9,* Zoesius *eod. tit. num. 56,* Pirhing *ibid. num. 104* aliique plurimi. Quinimo privilegium specifice de novalibus obtentum ab iis, qui veteres decimas integre percipiebant, non extenditur ultra

Digitized by Google

medietatem ipsorum novalium, nisi aliud in privilegio expresse dicatur; *Cap. Statuto 2 §. 1 de decim. in 6.* Et merito quidem cum huiusmodi privilegium sit odiosum, utpote in Parochorum, ad quos de iure spectat, praeiudicium cedens, ideoque *non extendendum,* sed potius *restringendum,* ceu traditur in *cap. Cum tua 25 §. final. de decimis.* Ob hanc rationem idem dicendum est de aliis titulis, quibus acquiri potest ius percipiendi decimas; Reiffenstuel in *tit. de decimis num. 158* - ibi - « An, si quis praescribit decimas in aliqua parochia, vel alio modo acquirit, » habeat etiam ius ad decimas novalium futurorum? Resp. » *Negative.* Barbosa in *cap. Cum contingat 29 h. t. n. 1* » et ibi Abbas, Ancharanus, Ioan. Andreas, Pirhing et com» munis aliorum, *arg. cit. cap. Cum contingat 29* h. t... »

Quisque igitur videt decimas novales Parocho nullatenus denegari posse, nisi ex adverso exhibeatur apostolicum privilegium de novalibus omnibus specifice loquens, vel ostendatur alius titulus privilegio aequipollens. Ast neutrum probari videtur in casu. Quae enim ab Episcopo opponuntur, ad haec reduci possunt: Mensa episcopalis cerviensis obtinuit a R. Pontificibus plenum dominium territorii, sub Ducatu Ferrariensi existentis, quod in emphyteusim vel in feudum, tractu temporis, concessit, reservatis sibi decimis. Parochum vero nullum habere ius super huiusmodi decimis tum quia istae constituunt redditus Mensae, tum quia Parocho eadem semper fructuum mensura tributa est.

Aequitas profecto huius dispositionis omnino urgenda videtur in themate, tum ob novum onus prospiciendi spirituali fidelium bono, in agris nunc excultis incolentium, tum ob tenuitatem reddituum, quibus fruitur praebenda parochialis. Quoad primum itaque Parochus recolere curavit, numerum fidelium augeri in dies, illis in locis in quibus, reddita aeris salubritate, agri excoluntur, et domus extruuntur novae. Quoad reditus retulit hos non excedere libellas 584: dum numerus fidelium ad 3100 ascendat, territorium incolentium ex quadraginta chilometris. Monuit prae-

Digitized by Google

terea Parochus, aequitatem suae petitionis, saltem ex parte, recognitam fuisse ab eodem Episcopo, a quo promissionem insuper accepit de augmento annuae praestationis.

Haud immerito igitur concludi posse videtur, expetitam novalium partem, Parocho tribuendam omnino esse vel ex iure, vel sin minus ex aequitate.

Quae favent Episcopo. Ex altera vero parte defensor Mensae episcopalis, facti specie narrata, totis viribus evincere conatus est, Parochum nullum ius habere ad quartam decimarum novalium partem. Atque in primis probare studuit, ex eo quod Parochus habeat congruam certam sicuti decet eos, qui animarum curam gerunt et a iure praescribitur; *Cap. Extirpandae 30 de praeb.* Conc. Trid. *sess. 7 cap. 5* et *sess. 21 cap. 4 de Reform.* Sane explorati facti esse, ait, Parochum, praeter incerta stolae albae et nigrae, pro congrua habere annuum redditum libellarum 785,99. Quae quidem congrua nullo onere gravatur, eo quod cultus expensis partim provideatur a sacrario ipsius Collegiatae et partim per quamdam redditus assignationem a Mensa episcopali quotannis solvendi.

Idipsum apparere ex Literis apostolicis, quibus hodierno Parocho collatum fuit Beneficium curatum; quibus in litteris nulla fit mentio de iure colligendi decimas, nec in actis possessionis id umquam asseritur. Iamvero, subdit Orator, neminem latet Summum Pontificem in Literis collationis solere nominatim enunciare iura et privilegia praebendae; beneficiatos vero praetendere haud posse nisi ea quae in Bullis pontificiis attributa sunt praebendae. Parochus idcirco congruam certam habens, praetendere nequit decimas, quia istae *solent dari in defectum redditwum ecclesiasticorum;* Pyrrus Corradus *Prax. benef. lib. 3 cap. 2 num. 6.*

Alterum argumentum Orator desumpsit ex immemorabili observantia, ex qua patet quod Parochus eamdem semper decimarum quantitatem habuerit, licet agrorum cultura pedetentim melioraretur, et non raro verificaretur casus novalium. Atque nonnullis testimoniis adductis ad huiusmodi

Digitized by Google

observantiam comprobandam, invocavit notissima iuris principia, illam respicientia, necnon doctrinam s. Rotae *decis. 962 num. 31 cor. Molines* et *in Praenestina 22 Martii 1849 cor. Martinez* – ibi – « qui possessione utitur » centenaria, certe quocumque meliori ac potentiori titulo » iureque suffultus est. Vis pactum? Vis privilegium? cun» cta haec, et si quid aliud exoptes ex possessione centena» ria sunt praesumenda. » Infert exinde Orator privilegium vel pactum intercessisse, Mensam episcopalem vero non teneri ad probandum pactum vel alium titulum, cum omnis titulus stet in immemorabili observantia.

Praeterea in hac observantia adesse quod vulgo vocant *correspettivo:* Parochi enim, qui ex agris colligere debent quartam decimarum partem, continuis vexantur angustiis ac tribulationibus, subiiciuntur periculo nullam decimarum partem percipiendi ob deficientiam messium, ingentibus gravantur sumptibus pro decimarum collectione ac debitorum coactione. Haec incommoda minime experitur Parochus loci *Massa Fiscaglia,* cum eosdem semper habeat a Mensa episcopali proventus, qui si iungantur congruae superius memoratae, suppeditant annuum redditum libellarum 2920,29 aut 2869,99, praeter incerta stolae albae et nigrae.

Postremum argumentum Orator deduxit ex eo quod Parochus nullum spirituale officium fidelibus praestat in valle ad culturam nunc redacta et vulgo nuncupata *Volta.* Nam vallis haec duodecim fere milliaria distat ab Ecclesia parochiali *di Massa Fiscaglia*, neque pagum continet, nec habitatores. Cum igitur Parochus nullam praestet operam in spirituale fidelium bonum, illi minime tribuendam esse fructuum decimam, quae datur in subsidium et sustentationem Ministrorum Ecclesiae, spiritualia praebentium.

Post haec patronus ad ultimum orationis suae caput transvolavit in quo probare studuit, decimas in casu Episcopo integre pertinere: eo quod Innocentius IV confirmavit praecedentes donationes et expresse Ecclesiae cerviensi elargitus est *plebem s. Vitalis quae vocatur Fiscalea cum*

Digitized by Google

capellis, decimis, testamentis et aliis pertinentiis suis etc. decem mansos terrae, quos Ecclesia tua possidet in Massa Fiscaglia positos in rivo maiori, in loco, qui dicitur Canalis mortuus, et in aliis congruis locis, in praedicto rivo, Ecclesiam s. Mariae in Pado veteri cum pertinentiis suis etc. Ex quibus deducit terrarum proprietatem spectare ad Ecclesiam cerviensem.

Porro cum haec, prosequitur Orator, teneretur providere sustentationi Sacerdotum, Ecclesiarum servitio incumbentium, portio decimarum iisdem assignabatur in ea mensura quae Episcopo sufficiens videbatur. Exinde factum esse, ut Episcopi cervienses determinatam quantitatem decimarum assignaverint Parochis loci *Massa Fiscaglia* et sibi reservaverint ius decimandi super terris, etiam in futurum meliorandis. Idque fundamentum habuisse in eo quod Episcopus gubernabat Paroeciam *di Massa Fiscaglia* per Vicarios ab ipso statutos, ceu argui potest ex quodam documento saeculi XVI. In huius rei confirmationem accedere quod Episcopus quandoque residebat Massae Fiscaleae, ubi domum satis amplam habebat. Indubium proinde esse subdit decimas novalium Episcopo competere. Sicuti enim Praelato competunt decimae novalium de parochiis suo monasterio incorporatis, in quibus loco Parochi est, ita competere debent Episcopo de parochiis suae Mensae adiunctis.

Demum paludes nunc exsiccatas in loco nullius paroeciae esse, dicit Defensor, quia illae Parochiam Massae Fiscaleae inter et alias parochias iacent. Episcopo propterea pertinere decimas novales, ceu tradit Engel *man. par. 4 cap. 1, num. 7* – ibi – « Si sylva, quae inter duas parochias iacens, pro utriusque termino fuit assignata, ad culturam redigatur, decimae harum novalium debentur Episcopo, quia ipse est parochus loci, qui proprium parochum non habet. »

Quibus praenotatis, enodandum sequens propositum fuit

Digitized by Google

Dubium

An Parocho loci Massa Fiscaglia *competat quarta pars decimarum novalium in casu.*

Resolutio. Sacra Cong. Concilii, re cognita, sub die 12 Iulii 1884 censuit respondere: *Negative.* (1)

Ex quibus colliges. I. Ex iure certum esse Parochis deberi decimas cuiusvis speciei; hinc intentionem in iure fundatam isti habent adversus quemlibet; ita ut onus probandi, in quaestione de decimis, minime parochis, sed aliis incumbit.

II. Praeterea si alicui ex indulto pontificio indistincte concessum fuerit privilegium decimas colligendi, decimae novales, ex doctorum sententia omnino excipiuntur; et speciali modo Parochis reservantur.

III. Attamen Parocho in themate decimas novales non deberi innuit duplex ratio, quod ille nempe certa fruatur congruâ, et quod ex immemorabili consuetudine novales numquam collegerit, quamvis casus novalium acciderit.

IV. Centenariam et immemorabilem possessionem afferre Episcopo quemcumque meliorem titulum, iure suffultum, ita ut absque ulla probatione huius tituli, novalia colligere queat Ordinarius.

(1) Confer pag. 31 huius Voluminis XVII.



Digitized by Google

EX S. CONGR. EPISCOPORUM ET REGULARIUM



ROMANA AFFRANCATIONIS ET CAPELLANIAE

Die 4 Iulii 1884.

Compendium facti. Ioannes Baptista Zanzèro eiusque uxor Anna omnia sua bona dono dederunt, mediante instrumento per Tabellionem confecto anno 1850, Vincentio et Pio-Octavio Conti, patri et filio. Verum donationi onus addiderunt erigendi Capellaniam in Ecclesia s. Mariae in Campitelli Romae, cum annuali dote scutatorum 180. Ad quam Cappellaniam ipsi nominarunt Dominicum Dell'Amico Sacerdotem, ut remunerarent eumdem ob solamina sibi praestita et praestanda, adiecta tamen obligatione unius Missae quotidianae pro animabus donantium. Constituerunt autem ut omnes Capellani missam quotidianam celebrarent aut celebrare facerent in Ecclesia s. Mariae in Campitelli, excepto Dominico Dell'Amico, cui licere voluerunt missam litare in qualibet Ecclesia Romae, aut extra Romam, quatenus eidem libuerit. Si autem contingeret quod futuro tempore reditus scutatorum 180, capellaniae tribuendus, Demanio addiceretur, aut reductionem vel falcidiam pateretur, aut subiiceretur oneri cuilibet a gubernio legitimo vel illegitimo; quinimo si sacra eadem Visitatio, aut reverenda Fabrica s. Petri, aut quaelibet ecclesiastica auctoritas manus apponeret; hoc in casu praecipierunt ut reditus idem redire deberet in pleno et libero dominio donatariorum, reservato eisdem onere missae quotidianae, quod primo impositum fuit Capellaniae.

Anno 1853 donantes diem obierunt supremum, et Capellania modis praesignatis erecta fuit, iuxta ss. Canonum ritum: et eleemosynas usque ad annum 1879 percepit investitus Dominicus Dell'Amico. Verumtamen superstes donata-

Digitized by Google

rius Octavius Pius Conti anno 1883 retulit, Demanium ivisse in possessionem reditus constituentis dotem Capellaniae usque ab anno 1879; seseque redemisse a Demanio beneficii dotem per solutionem libellarum 5956,90, praevio s. Poenitentiariae permissu. Hisce praemissis patronus orator varia enodanda proposuit dubia quoad *reversibilitatem* dotis, quam locum habuisse censuit, post gubernii civilis manuum appositionem.

Disceptatio Synoptica.

QUAE CONTRA ORATOREM FACIUNT. Procurator Ecclesiae s. Mariae in Campitelli, unus ex interesse habentibus, censuit dubitari non posse de reversibilitate dotis capellaniae iuxta *Art. 7* fundationis. Attamen requiri Beneplacitum apostolicum, ut orator iure huiusmodi frui valeat: quia indoles Capellaniae, per hunc regressum immutatur in pium missarum manualium legatum, et species alienationis habetur cum Capellaniae dos absorbeatur inter fundos familiae donatariorum. Donatariis tamen onera imposita per dictum *Art. 7* fundationis esse omnino implenda, etiam post Capellaniae immutationem.

Animadvertit quoque casum *reversibilitatis* quoad reditus, respicere exclusive donatarii personam, minime vero personam capellani, quae invariabilis omnino manet in sua entitate, et indemnis servanda est eo fortius, quia beneficium obtinuit remunerationis titulo, ceu dictum fuit in fundationis instrumento. Et ideo si admissâ *reversibilitate*, vivens Capellanus privaretur omni iure, donantium voluntas manifeste infringeretur. Quamobrem sibi videri, ait Procurator, quod in casu *reversibilitatis*, donatariis eorumque successoribus permaneat onus litare faciendi Missam quotidianam, ceu pii fundatores iusserunt; cum aliunde accidentalis immutatio fundi nequeat gignere cessationem oneris perpetui Missae quotidianae, a quo onere legatarius, nequit sese liberare etiam solvendo quamdam summam pro una vice tantum. Ex quo enim qualitas rei legatae frugifera est, per-

Digitized by Google

petuitatem expetit; De Laura *de anniversariis et Capellaniis lib. 1 cap. 3 n. 29.* « Si agatur de re suapte natura » perpetuo duratura, tunc dispositio ita accipienda est, ut » nec primo actu, nec prima persona consummatur, sed ad » ulteriores in infinitum progrediatur; ut tradunt Alciatus » §. *hoc sermone lim. 18 n. 1.* Quae omnia recte conve» niunt dispositioni, qua anniversarium relinquitur, quod » sua natura perpetuo durat, ut dictum est; sicque semper » perpetuum est iudicandum, etiam ultra haeredis vel lega» tarii vitam; *l. annuam 6 ff. de annuis legatis;* Leon » de *offic. capellani quaest. 5 sect. 1 n. 6.* »

Censuit tandem procurator quod legatarius redintegrari debeat super expensis actis pro redimendo beneficio a Fisco, post actualis Capellani obitum.

Quae faciunt favore Legatarii. Animadvertit orator sibi superfluum videri quaerere Apostolicum beneplacitum ad proprium ius vindicandum super regressu patrimonii praedictae capellaniae, ex quo idem recursum habet ad s. Congregationem Ep. et Reg. eo consilio, ut iuridice definiatur ius idem, et modus illud vindicandi. Animadvertit praeterea, dispositionis articuli 7 spiritum hoc potius respicere, ut nempe persona patroni libera evaderet a quolibet vinculo, auctoritatem illius atque independentiam laedenti, quam ut tutam redderet capellaniam a rapacitate Demanii; nam si aliter esset, fundator haud mentionem fecisset de s. Visitatione, aliisque auctoritatibus ecclesiasticis. Qua de re Patronus fit liber et absolutus proprietarius reditus Capellaniae; neque aliud ei superest onus quam curare, ut una Missa quotidiana suis impensis celebretur, quin amplius locum habeat ulla determinatio loci aut summae pro eleemosyna. Idque incipiendo a tempore quo Fiscus coegit oratorem agentem praestare summam pro beneficii redemptione.

Tandem non abs re putatum fuit ex officio recolere normam qua s. Poenitentiaria concessit patronis ius peragendi redemptionem beneficiorum non vacantium.

Digitized by Google

Quibus praemissis, haec quae sequuntur proposita fuerunt enodanda

Dubia

I. *An vi iuris reversibilitatis patronus, ubi et qua pecuniae summâ teneatur litare facere missam quotidianam in casu.*

II. *An et quod ius competat actuali capellano.*

III. *An patronus eximi queat ab onere missae quotidianae solvendo quamdam summam pro una vice tantum?*

Et quatenus negative

IV. *An et quomodo locum habeat indemnitas expensarum, iniuste actarum pro redemptione in casu.*

Resolutio. Sacra Cong. Ep. et Reg. re discussa sub die 4 Iulii 1884, censuit respondere :

Ad I Affirmative iuxta dispositionem donationis.

Ad II Affirmative ut in primo dubio.

Ad III et IV Dilata et providebitur post vacationem Capellaniae.

Ex quibus colliges. I. Donec actualis investitus Capellaniae vitam agat onera immutationum haud pati ; quod apprime menti fundatorum consonum videtur, qui Capellaniam instituendo duo prae oculis habuerunt: nempe suffragia animarum suarum et remunerationem pro bonis operibus a nominato acceptis et accipiendis.

II. Quamobrem actuali Capellano dum vivat intacta manet summa eadem pro missae quotidianae eleemosyna , et facultas litandi ubique missas quae onera constituunt praedictae capellaniae.

Digitized by Google

Dubia nonnulla respicientia Episcoporum auctoritatem in moniales clausurae obnoxias.

Die 16 Iulii 1884.

Sub die 16 Iulii 1884 dubia sequentia proposita fuerunt diluenda s. Congregationi Ep. et Reg. nimirum:

I. An Episcopus, auctoritate propria, permittere valeat, ut recipi possint in Monasteriis clausurae subiectis, mulieres quae ingredi cupiunt veluti *pensionariae.*

II. Pariter potest Ordinarius, auctoritate propria, ad tempus vel in perpetuum monialem aliquam de uno ad aliud Monasterium transferre, etiam Ordinis eiusdem, iusta interveniente causa?

III. Potestne tandem Ordinarius, auctoritate propria, transferre aliquam Monialem quando eadem electa fuerit in Superiorissam alterius Monasterii, aut censeat utilem esse et expedire translationem eiusmodi cum hoc munere?

Sacra Congregatio Emorum Cardinalium negotiis Episcoporum et Regularium praeposita, super praemissis precibus die 16 Iulii 1884 mandavit rescribi: « *Negative in omnibus.* » (1)

(1) Mirum non est taliter respondisse s. Congregationem propositis dubiis, nam moniales clausurae obnoxiae a iurisdictione Ordinariorum eximuntur. Hinc Episcopi qui specialiter delegatâ a Sede Apostolica non utuntur auctoritate nullum iurisdictionis actum explere valent in eiusmodi Monasteriis. Et quoties hac delegatâ auctoritate Apostolicâ utuntur, id ostendere tenentur, ne eorumdem dispositiones irritae et nullius valoris censeantur.



Digitized by Google

EX S. CONGREGATIONE INDICIS

DECRETUM

Feria VI die 28 Novembris 1884.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONE PAPA XIII Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi, ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, mandavit et mandat in Indicem librorum prohibitorum referri sequens Opus damnatum atque proscriptum a Sac. Cong. S. Universalis Inquisitionis Decr. Fer. IV. die 26 Novembris 1884.

La Scomunica di un' idea — Risposta al Cardinal Vicario di Roma per Monsignor (titolo usurpato) G. B. Savarese — Roma, Stabilimento di Edoardo Perino, 1884. *Opus praedamnatum ex Regula 2ª Indicis Tridentini,* quae est tenoris sequentis: « Haeresiarcharum libri, tam eorum qui post annum MDXV haereses invenerunt, vel suscitarunt, quam qui haereticorum capita, aut duces sunt, vel fuerunt, quales sunt Lutherus, Zwinglius, Calvinus Balthasar Pacimontanus, Schwenckfeldius, et his similes, cuiuscumque nominis, tituli, aut argumenti existant, omnino prohibentur. Aliorum autem haereticorum libri, qui de religione quidem ex professo tractant, omnino damnantur. »

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedictum Opus damnatum atque proscriptum, quocumque loco, et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut editum legere vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis, aut haereticae pravitatis Inquisitoribus illud tradere teneatur sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus SANCTISSIMO D. N. LEONI PAPAE XIII per me infrascriptum S. I. C. a Secretis relatis, SANCTITAS SUA Decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.

Datum Romae die 28 Novembris 1884.

FR. THOMAS M.ª CARD. MARTINELLI Praefectus.

Fr. Hieronymus Pius Saccheri Ord. Praed.
S. Ind. Congreg. a Secretis.

Loco ✠ Sigilli.

Die 29 Novembris 1884 ego infrascriptus Mag. Cursorum testor supradictum Decretum affixum et publicatum fuisse in Urbe.

Vincentius Benaglia Mag. Curs.

MONITUM. — Amanuensis errore in praecedenti fasciculo pag. 195 lin. 23 dictum fuit - *Sententiam esse confirmandam* -; corrigant lectores modo sequenti - *Sententiam esse infirmandam* -.

Digitized by Google

LITTERAE SSmi Domini Nostri LEONIS Papae XIII. ad Excellentissimum Nuntium Parisiis s. Sedis negotia gerentem: de sopiendis dissidiis praesertim inter catholicos ephemeridum scriptores.

Illmo e Rmo Monsignore.

In mezzo alle amarezze ed alle difficoltà che Ci opprimono, mentre i nemici della Chiesa le fanno una guerra accanita, nulla potrebbe recare al Nostro cuore più dolce consolazione che la unione di tutti i cattolici nel sostenere stretti insieme in una comune resistenza, tutti gli assalti. Noi non possiamo, al contrario, senza un vivo dolore, vedere qua e là destarsi fra i cattolici, intestine querele.

È in Francia sopratutto, fa d'uopo riconoscerlo, che desse sono scoppiate con una vivacità ognor crescente. La responsabilità ricade in gran parte sui scrittori, e specialmente sui giornalisti. Le loro polemiche appassionate contro le persone, le loro accuse e recriminazioni incessanti, fornendo un alimento quotidiano ai dissensi, rendono sempre più difficili la pace e la concordia fraterna. E tuttavia se havvi nazione alla quale Noi abbiamo di preferenza attestato la Nostra sollecitudine, ed alla quale abbiamo raccomandato più spesso e con maggiori istanze l'unione nella fede e nella carità di Gesù Cristo, dessa è certamente la Francia.

Illme Rme Praesul.

Inter acerbissimas animi nostri aegritudines difficultatesque, quibus ferme opprimimur, dum in Ecclesiam ipsimet eius filii implacabile bellum gerunt, nullum profecto Nobis dulcius solamen accedere potest, quam omnium Catholicorum, ad hostium frangendos impetus, collatis studiis, conspiratio. At enimvero quammaxime nobis dolendum est, intestina inter Catholicos dissidia passim excitari.

Haec quidem in Gallia praesertim, fateri necesse est, ardore quotidie excrescente, irruperunt: quorum sponsores reique, saltem ex parte, librorum atque Ephemeridum scriptores dicendi sunt. Dum enim horum in quemlibet, partium studio flagrantes concertationes, insimulationes, criminationesque perpetuae discordiae quotidiano velut alimento favent, pax et voluntatum consensio difficilior evadat necesse est. Et tamen si qua est natio, cui Nos prae ceteris benevolentiam nostram exhibuimus, cuique maiorem in modum ac frequentius in fide et Charitate Christi Iesu animorum coniunctionem commendavimus, ea profecto Gallica est. Quoties ad eam, data occasione, epistolas dedimus, id Nobis in primis exhortationum

Digitized by Google

Tutte le volte che noi abbiamo avuto occasione di indirizzarle la parola, tale è stato sempre il principale oggetto delle Nostre più vive esortazioni. Ed infatti, mentre in seno a questa nazione sètte e nemici di ogni genere si uniscono per assalire in tutti i modi la Religione, la Chiesa di Cristo, e nulla trascurano per eliminare da tutti gli organi della vita sociale la sua salutare influenza, quale è per essa il supremo interesse? Quello che tutti i suoi figli cessino dal consumare il loro tempo e le loro forze ad accusarsi ed a combattersi, lasciando così ai loro avversarii ogni agevolezza di spingersi sempre più avanti nei loro empii disegni.

Mossi da queste considerazioni, Noi ci rivolgiamo a voi, nostro rappresentante presso la nazione francese, sì nobile ed amata da noi, affinchè usiate tutti i mezzi che la vostra presenza sui luoghi, la conoscenza degli uomini e delle cose possono suggerirvi per far cessare tra i Nostri figli i dissensi da Noi deplorati. Voi, valendovi dei motivi che abbiamo accennato, applicatevi ad ottenere da tutti, e particolarmente dai redattori di giornali, che lascino attualmente da parte ogni discussione sulle materie che li dividono, che tutti senza distinzione si rimettano con una completa sommessione e

nostrarum propositum fuit. Nimirum, dum in istius nationis sinu sectae et cuiusvis generis hostes, quibuslibet modis ad Religionem et Christi Ecclesiam impetendam conspirant nihilque negligunt, ut ab omnibus civilis Societatis coetibus Eius salutarem influxum removeant, quid ipsi Ecclesiae potissimum cordi est? Profecto ut tempus viresque in semet mutuo accusando insectandoque filii sui insumere desinant; ne adversariis in suis improbis propositis ulterius proficiendi faciant potestatem.

His considerationibus Ipsi permoti, te, qui istic apud Gallicam gentem, adeo nobilem Nobisque dilectam, s. Sedis negotia geris, compellamus, ut iis omnibus adminiculis, quae et tua in istis locis praesentia, atque hominum rerumque notitia tibi suggerent, ad dissidia, quae inter filios nostros exarserunt, quaeque hic deflevimus, extinguenda opportune utaris. Tu igitur his fretus rationibus quas adduximus, in id sedulo incumbe, ut omnes, praesertim vero ephemeridum scriptores iis de rebus, quae eorum animos dividunt, concertationes interim praetermittant; iidemque discrimine nullo s. Sedis praeceptionibus super his controversiis, plena animi demissione et spiritus tranquillitate sese subiiciant: atque ita uno sensu coniuncti, fidentesque se hac agendi ratione in via veritatis esse constituros, id

tranquillità di spirito agli insegnamenti della Santa Sede su quelle questioni; che tutti uniti nel medesimo sentimento, e sicuri di mantenersi così nella via della verità, non si propongano d'ora innanzi che uno scopo: consacrare tutte le loro forze alla difesa della religione, ed alla salvezza della società minacciata.

Da parte sua, la Santa Sede fedele alla missione che ha ricevuta, di ammaestrare tutti i popoli e preservare i suoi figli dall'errore, segue con occhio attento e vigilante tutto ciò che avviene in seno alla cattolicità, e quando Essa lo giudicherà necessario ed opportuno, non mancherà nell'avvenire, come non ha mai mancato in passato, di dare al proposito, coi suoi insegnamenti, il lume e la direziene. È alla Santa Sede, innanzi tutto, ed anche, sotto la sua dipendenza, agli altri pastori posti dallo Spirito Santo per governare la Chiesa di Dio, che appartiene di diritto il ministero dottrinale. La parte dei semplici fedeli si riduce ad un sol dovere; accettare gli insegnamenti che loro sono impartiti, uniformare ad essi la loro condotta e secondare le intenzioni della Chiesa.

In questo i giornali cattolici debbono dare per primi l'esempio. Se infatti l'azione della stampa, dovesse riuscire a rendere più difficile ai Vescovi l'adempimento

unum sibi post hac assequendum proponant, Religionem videlicet totis viribus defendere, Societatemque a malis, quae, ipsi imminent, quoad sibi fas est, incolumem servare.

Quod enim ad Nos pertinet, muneris, quod Nobis divinitus traditum est, docendi omnes gentes easque a quovis errore servandi, apprime memores, quidquid in universa Catholica Ecclesia evenit sollertes vigilesque prospicimus: cum vero opus esse, aut expedire videbitur, haud omittemus deinceps, quemadmodum praeteritis temporibus nunquam omisimus, opportuna documenta praebere, per quae et lumen accedat, et communis scriptorum actio dirigatur. Ad hanc quippe s. Sedem in primis, tum vero etiam sub Eius tamen ductu, ad ceteros Pastores « quos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei » doctrinae magisterium iure pertinet. At vero Laicorum id unum officium est, documenta quae ipsis exhibentur excipere, ad illa eadem animum moresque conformare, atque Ecclesiae intentiones bona fide obsecundare.

In hoc quidem Catholicarum in primis Ephemeridum Scriptores debent ceteris exemplo esse. Si enim cum libri in lucem typis editi, tum Ephemerides Episcopis exsecutionem sui muneris difficiliorem forte reddunt; si reverentiam atque obedientiam, quae ipsis

Digitized by Google

della loro missione, se ne risultasse un indebolimento del rispetto e dell'obbedienza ad essi dovuti; se l'ordine gerarchico stabilito nella Chiesa di Dio ne restasse colpito e perturbato coll'arrogarsi gli inferiori il diritto di giudicare la dottrina e condotta dei loro veri maestri e pastori, l'opera di quei giornali non solo sarebbe sterile pel bene, ma sotto più d'un aspetto, riuscirebbe grandemente nociva.

Vi conforti nell'adempimento di questa missione, e di tanti altri gravi doveri che vi incombono la Benedizione Apostolica. Noi ve la impartiamo come pegno della nostra particolare affezione.

Dal Vaticano, 4 Nov. 1884.

LEONE XIII PAPA.

debetur, exinde minui contingat, si Hierarchici Ordinis in Ecclesia divinitus constituti laesio fiat ac perturbatio; quum laicis, eorum doctrinam atque agendi rationem, qui vere Magistri sunt atque Pastores, iudicandi ius sibi arroganter usurpantibus, huiusmodi Ephemeridum opera non modo ad bonum quodvis obtinendum sterilis, sed multis etiam de causis maximopere perniciosa evaderet.

Ad hoc munus, quod tibi mandamus, ceteraque satis gravia, quae tibi incumbunt, officia rite exsequenda vires addat Apostolica Benedictio, quam Nos ut benevolentiae in te nostrae pignus tibi impertimus.

Dat. ex Aedib. Vaticani Prid. Novembris anno a Ch. n. 1884.

LEO PAPA XIII.

LITTERAE SS. D. N. LEONIS XIII, quibus R. P. D. Lachat instituitur administrator apostolicus Pagi Ticinensis.

LEO PP. XIII.

Venerabilis Frater salutem et Apostolicam Benedictionem. Litteras legentes a Te datas nobilissimos tui obsequii et devotae voluntatis sensus erga Nos et hanc Apostolicam sedem magna cum voluptate perspeximus, ex quibus enitebat simul tuus sacerdotalis animus ac singulare studium, quod Te ad rationes religionis et bonum spirituale tuorum fidelium curandum incendit. Vehementi enim desiderio affectus, Venerabilis Frater, ut quantum in Te est religiosae paci instaurandae in ista Dioecesi operam naves, animumque erigens ad eas cogitationes quae humanarum rerum rationes

Digitized by Google

excedunt, ac huius Apostolicae Sedis consiliis inhaerens, praetulisti more exemploque plurium illustrium Ecclesiae antistitum ab istius tuae Basileensis Sedis procuratione recedere, quam pati eam rerum conditionem istic vigere, quae Tibi moerori erat, et bonis omnibus non levem molestiae causam afferebat.

Hoc luculentum sacerdotalis tuae virtutis specimen haudquaquam mirum accidit Nobis, cum pluribus ab annis tum egregias animi tui laudes spectatas penitus et cognitas habeamus, tum salutaria quae praestitisti opera, ut crediti Tibi gregis utilitati consuleres. Hinc est, Venerabilis Frater, quod dum ex una parte dimissionem tuam istius Basileensis sedis excipimus ratamque habemus, unice spectantes ut pacis fructus isti Dominicae Vineae parti redditos videamus, ex altera, cum aequo animo ferre non possimus ut Catholica Ecclesia in ista Helvetica regione tuae operae utilitate privetur, aliud Tibi munus gravis apud Nos momenti Tibi demandandum censuimus, ut nempe Apostolici Administratoris titulo ac iure Fidelibus Pagi Ticinensis regendis tuas curas impendas. In hoc novo qui patet tuae sacrae procurationi campo eximia pietate filios invenies tuis obsequentes iussis, invenies surgentes piarum institutionum segetes, quibus alendis augendisque solers ac nava sollicitudo accedat oportet antistitis doctrina et rerum usu praestantis, iisque ornamentis praediti, quibus Te divino munere ornatum esse cognoscimus. Ita datum Tibi erit Ecclesiae et illustri tuae Patriae sicut hactenus fecisti, in posterum etiam operam tuam, sapienter fructuoseque navare.

Quo vero peculiare ac meritum Tibi pignus benevolentiae Nostrae praebeamus, Te in praeclarissimum Ordinem Pontificum Maiorum cooptare et Damiatensis Ecclesiae Titulo honestare decrevimus, qui Titulus Nobis olim a fel. rec. Gregorio XVI Decessore Nostro delatus, cum Belgicae legationis munus Nos obire voluit, carissimus Nobis est, cum memoriam Nobis revocet eorum temporum, quibus primum coepimus sacerdotalibus laboribus in Apostolicae Sedis ministerio perfungi. Erit hoc quidem novum argumentum, quo ea vincula, quae Fraternitatem tuam ob existimationem et dilectionem erga Te Nostram antea Nobis devinciebant, novam deinceps firmitatem et robur accipiant.

Decessorum praeterea Nostrorum exemplis insistentes qui ad praestantia illustrium Antistitum merita honestanda eos interdum Pallii Archiepiscopalis honore decorandos censuerunt, huius pastoralis honoris insigne Tibi, Venerabilis Frater, singulari privilegio

Digitized by Google

ultro tribuimus ad proprium et peculiare eximiarum virtutum tuarum ornamentum et praemium.

Fervidis demum votis Deum adprecamur ut animum tuum consolationum suarum suavitate perfundat, diesque tuos omni animi et corporis prosperitate cumulet, ut diu fulgeat tuarum virtutum lumen inter catholicas gentes, quarum spirituale regimen pro demandato Tibi munere es suscepturus. Horum autem caelestium munerum auspex et pignus praecipue dilectionis Nostrae sit apostolica Benedictio, quam Tibi, Venerabilis Frater ex intimo corde, nec non universo Clero et Fidelibus Basileensis Ecclesiae, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae, apud s. Petrum die 18 Decembris 1884.

Pontificatus Nostri Anno Septimo.



LITTERAE APOSTOLICAE quibus confirmatur iudicium ab Archiepiscopo Compostellano latum super identitate corporis s. Iacobi M. Apostoli, et ss. Athanasii et Theodori discipulorum eius.

LEO EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Deus Omnipotens, qui mirabilis est in Sanctis suis, providentissime voluit, ut, quum eorum animae caelo receptae gaudio perfundantur sempiterno, corpora condita terris singulari observantia colantur ab hominibus et religionis splendore honestentur. — In his vero Dei providentia et misericordia luculenter apparet, qui cum multa sinat per ea divinitus accidere, simul et utilitati consulit nostrae, et gloriae, quam sancti sui consequuntur in terris. Haec enim caelitum beatissimorum pignora, quae nobiscum manent, quoties invisimus, toties admirabilem praeclarissimarum virtutum seriem, quibus illi in mortali vitae cursu in exemplum ceteris praeluxere, memoria repetimus, et ad eas imitandas vehementer adducimur. Sunt autem, teste Ioanne Damasceno, sanctorum corpora perennes in Ecclesia fontes, ex quibus tamquam rivuli salutares effunduntur in populos christianos dona caelestia, et ea omnia quibus maxime indigemus. — Quapropter non mirum est si providentis Dei consilio nonnulla sanctorum corpora, quae antea in oblivione

Digitized by Google

posteritatis velut in tenebris delitescebant, his potissimum temporibus in lucem prodeant, quibus et Ecclesia maximis agitatur fluctibus, et egent christiani acriori ad virtutem incitamento. Hoc nostro vertente saeculo cum a potestate tenebrarum teterrimum indictum fuerit bellum adversus Dominum et adversus Christum eius, auspicato quidem et divinitus inventi sunt sacri cineres sancti Francisci Assisiensis, sanctae Clarae Virginis Legiferae, sanctorum Ambrosii Pontificis Doctoris, Gervasii et Protasii martyrum, Philippi et Iacobi Apostolorum. — Horum in numerum adsciscendi sunt sanctus Iacobus Maior Apostolus et discipuli eius Athanasius et Theodorus, quorum corpora nuper in templo principe civitatis Compostellanae reperta sunt.

Ex constanti et pervulgato apud omnes sermone, iam inde ab Apostolorum aetate, memoriae proditum est, publicisque Decessorum Nostrorum litteris confirmatum, sancti Iacobi corpus, postquam ille ab Rege Herode capitis damnatus martyrium fecerat, a duobus discipulis eius, Athanasio et Theodoro clam fuisse subductum. Hi cum valde metuerent reliquias sancti Apostoli nullas futuras, si Iudaei corpore potirentur, eo in navim imposito solverunt ex Iudaea, deinde sospite transmissione attigere Hispaniam, eamque circumvecti ad extremas Gallaeciae oras appulerunt, ubi, uti pia et antiqua traditio habet, post Christi in caelum ascensum sanctus Iacobus divino consilio apostolico munere functus erat. Ibi quum Hispaniensem civitatem quae Iria Flavia nominabatur, accessissent, in praediolo quodam manere decreverunt, mortalesque Apostoli exuvias, quas secum avexerant, in crypta saxo defossa intra loculum romano opere constructum condiderunt, parvumque super erexerunt sacellum. Sed exacto vitae cursu cum Athanasius et Theodorus naturae concessissent, christiani, qui ea loca incolebant, tum propter eximiam de duobus viris opinionem, tum ne hi a corpore quod in vita sancte asservaverant post mortem seiungerentur, ambos in eodem sepulcro composuerunt unumquemque ad Apostoli latus. — Vexatis paullo post caesisque christianis, ubicumque terrarum Romani Imperatores dominabantur, sacrum hypogeum delituit aliquandiu. Verum ubi, tranquillitate parta, apud Hispanos homines, qui praecipua sancti Iacobi religione tenebantur, de translato eius corpore fama percrebuit, ad sepulturae locum concursus fieri coepit, haud minori fortasse pietatis studio quam quo Romae et alibi sepulcra Principum Apostolorum, et Hieromartyrum coemeteria visebantur. Labentibus vero annis cum barbari primum,

Digitized by Google

deinde Arabes imperio ductuque Muzae invasissent in Hispaniam, et eas praesertim regiones, quae mare adiacent crebris incursionibus divexarent, sacer sepulcri loculus, exciso et everso sacello, sub ruinarum mole in obscuritate latuit diuturna. — Non tamen vetustate obliterata est apud Hispanos sacri pignoris memoria. Ineunte enim saeculo IX cum Rex Alfonsus, qui dictus est Castus, Hispaniam obtineret, et Iriae Flaviae Ecclesiae datus esset Episcopus Theodomirus, super cryptam, quae sancti Iacobi et duorum discipulorum reliquias contegebat, constans fama est veluti refixam caelo stellam splendidissimam apparuisse, quae suo fulgore indicium faceret loci, ubi sacri cineres conditi fuerunt. Episcopus Theodomirus tanto felix auspicio auctori Deo supplicationes indixit, deinde submotis reiectisque veteris sacelli ruderibus, eo investigando pervenit, ubi, tamquam in cognato sepulcro, tria sanctorum corpora distinctis loculis iacebant. Tunc ut locus ille religione sanctus humanis esset praesidiis munitior, murum in circuitu eduxit, sacrumque thesaurum firmis substructionibus circumsepsit. Quae res ut ad aures Regis Alfonsi pervenerunt ad sanctum Apostoli sepulcrum venerabundus statim accessit, vetus sacellum in novam formam a solo reficiendum curavit, iussitque, fundi illius possessionem terminis ad tria millia prolatis, in templi tuitionem perpetuo adtribui. Urbs interea cryptae propinqua, quae hactenus Iria Flavia vocabatur, ex visu elucentis stellae potioribus auspiciis Compostellae sibi nomen imposuit. — Sed ad illustrandum Apostoli sepulcrum, praeter illud caeleste signum, non pauca divinitus facta sunt, ita ut non modo ex finitimis civitatibus et oppidis, sed a longinquis etiam locis ad sacros cineres supplicatum populi venirent. Quare Rex Alfonsus III Decessoris sui exemplum imitatus exaedificationem amplioris templi aggressus est, tamen ut antiquus loculus intactus maneret, et illud properata molitione absolutum regio sumptu exornavit.

Exeunte saeculo X efferatae Arabum copiae, rursus in Hispaniam irruptione facta, oppida complura diripuerunt, ac magna civium edita strage, omnia ferro et incendiis vastarunt. Nefandissimus Emirus Almansor, quem sepulcri sancti Jacobi cultus non latuerat, ad direptionem et eversionem animum iam intenderat; quod si perficere potuisset, maximum Hispanorum praesidium, et in quo erat eorum spes omnis, sese expugnaturum arbitrabatur. Quapropter iis, quos praedonibus suis praefecerat, imperat Compostellam recta proficiscantur, urbem adoriantur, templum et sacra omnia

Digitized by Google

dedant igni delenda. At Deus exortum iam et dilapsum incendium ad presbyterii limen restinxit, et Almansorem eiusque copias foedis terminibus percussit, quibus divexati Compostella discesserunt et fere omnes cum Almansore subita morte perierunt. — Extabant adhuc sparsi circa hypogeum cineres hostilis ferocitatis reliquiae, divini praesidii documentum. Quibus e malis ubi se emersit Hispania, Compostellae Episcopus Didacus Pelaez, in ipsis ruderibus veteris templi ampliorem aedem ab inchoato excitavit, quae a posteriori Episcopo Didaco Gelmirez, splendidiore cultu et maiestate aucta Basilicae nomine et iure donata est. Huius Episcopi praecipua cura fuit sacras reliquias sibi traditas recognoscere, et educto in sublime pariete loculum inaccessum reddere. Quae inter agenda ex sacris ossibus particulam quamdam dissociare non dubitavit, eamque sancto Attoni Pistoriensi Episcopo adiectis litteris dono misit. Partem hanc ex hodierna peritorum inspectione compertum est demptam fuisse ex capite: ea enim est, quae apophisis mastoidea vocatur, sanguine adhuc respersa, utpote quae gladii ictu, quum caput cervicibus abscinderetur, percussa est. Hae reliquiae prodigiorum fama et avita civium religione sanctae singulari pietatis studio coluntur adhuc ab Ecclesia Pistoriensi. — Interea Hispaniensis Sanctuarii fama longe lateque pervulgata, innumerabiles peregrinorum cohortes ex universis fere terrarum partibus illuc confluebant, et adeo crevit frequentia, ut ingentibus peregrinantium catervis ad sancta Palestinae loca et limina Apostolorum Petri et Pauli, merito compararentur. Ac proinde Romani Pontifices Decessores Nostri dispensationem voti de peragenda Compostellana peregrinatione suscepti, Apostolicae Sedi reservarunt.

Saeculo XVI nondum exacto, cohorta est foeda et atrox tempestas, qua per Hispaniam fere totam saeviente, sacrum Apostoli sepulcrum in periculo fuit non tam communi, quam proprio. Indicto enim bello Hispanos inter et Britannos, hi, qui a catholica fide ad haeresim desciverant, praedari et diruere catholicorum templa, et sacra omnia violare et delere sibi constituerant. Quapropter in Gallaecia, regione mari citima, exposito exercitu, sacras aedes everterunt, caelitum beatorum imagines, reliquias et quae omnia sanctiora habentur, haeretico furore combusserunt, deinde ad perniciosam, ut aiebant, superstitionem extinguendam, Compostellam versus castra moverunt. — Praeerat id temporis Compostellanae Ecclesiae piissimus Archiepiscopus Ioannes a sancto Clemente, qui collatis cum Canonicis consiliis de sacris Sanctorum reliquiis tuto in loco

Digitized by Google

recondendis, hanc praecipuam de sancti Iacobi exuviis curam sibi suscepit. Sed cum iam hostes instarent, tumultuario opere ab eo clanculum tria corpora condita sunt: cavit tamen ut novus loculus ex veteris illius, romano more constructi, ruderibus constitueretur, ut aliquod superesset posteris earum identitatis testimonium. Postquam recessum ab armis et belli pericula propulsata sunt, cives Compostellani, et peregrini qui ea loca frequentes adiverant pro certo habebant sacros cineres eodem esse adhuc in loco ubi primitus composita requieverant. Posteri autem in ea opinione fuerunt qua maiores, ita tamen ut temporibus nostris censerent christifideles in abside sancti sacelli maioris eadem sacra pignora servari, quapropter illuc ad adorandum propius accederent, et Basilicae Clerus quotidianae supplicationi ibi cum antiphonae cantu finem poneret.

Cum vero Venerabilis Frater Noster S.R.E. Cardinalis Paya Rico hodiernus Archiepiscopus Compostellanus aliquot abhinc annis restituendae Basilicae operam aggressus esset, consilium cepit, quod iamdiu agitabat animo, investigandi locum ubi sancti Iacobi, et discipulorum eius Athanasii et Theodori reliquiae sitae essent. Quare ad opus tanti momenti viros peritissimos delegit in ecclesiastica dignitate constitutos, qui operarios dirigerent. Sed praeter opinionem omnium res ceciderunt. Explorato enim toto hypogeo et latebris quotquot extant adhuc circum altare maximum nihil repertum est. Demum quo maior cleri et populi ad orandum ferebatur devotio, in centro scilicet absidis post altare maius, et ante aliud altare interius effossum est pavimentum, et cum opus ad duo cubita processisset, occurrit operariis arca, cuius in operculo crux insculpta videbatur. Arca erat lapidibus et lateribus confecta ex antiquiori crypta ac sepulcro excerptis. Remoto coram testibus operculo, ossa reperta sunt ad tria sceleta sexus virilis pertinentia. De iis omnibus Venerabilis Frater Cardinalis Archiepiscopus Compostellanus, secundum sacri Concilii Tridentini sanctiones, auditis doctorum piorumque virorum consiliis, et lectissimorum peritorum sententiis, processuales condidit tabulas, inquisitumque est, constaret ne in repertis reliquiis de identitate corporum sancti Iacobi Maioris Apostoli et duorum discipulorum eius Athanasii et Theodori? Haec omnia ad ecclesiasticae disciplinae praecepta perpendens, adhibitoque intelligenti iudicio, annuit et approbavit. Deinde idem Venerabilis Frater Archiepiscopus Compostellanus acta omnia et sententiam suam ad Nos misit, petiitque supplex, ut sententia eadem supremo Nostrae Apostolicae auctoritatis iudicio confirmaretur.

Digitized by Google

Nos admotas Nobis preces benigne excipientes, cum probe noverimus venerabile sancti Iacobi Maioris sepulcrum inter celeberrima sanctuaria iure posse censeri, quae in toto orbe terrarum a christianis coluntur, sacrisque celebrantur peregrinationibus ad suscepta vota persolvenda: idemque a Decessoribus Nostris Paschali II, Callisto II, Eugenio III, Anastasio IV et Alexandro III datis constitutionibus fuisse privilegiis et honoribus ornatum et auctum, voluimus ut ad tantum negotium ea conferretur diligentia, quam semper Apostolica Sedes adhibere consuevit. Quamobrem ex Sacro Concilio sacris tuendis Ritibus praeposito, aliquot S. R. E. Cardinales destinavimus, nimirum Dominicum Bartolini Praefectum, Raphaelem Monaco Lavalletta, Miecislaum Ledochowski, Aloisium Serafini, Lucidum Mariam Parocchi, Angelum Bianchi et Thomam Zigliara; nec non eiusdem S. Congregationis praesules Officiales dilectos Filios Magistros Vincentium Nussi Protonotarium Apostolicum, Laurentium Salvati ab actis, Augustinum Caprara Quaesitorem de honoribus caelestium, una cum Aloisio Lauri Assessore; quibus idem negotium examinandum commisimus. Conventu habito ad Vaticanas Nostras Aedes die XX Maii vertentis anni, omnibus ad trutinam severa disquisitione vocatis, responsum datum est « *dilata, et ad mentem* ». Mens vero fuit ut nonnullae animadversiones gravioris momenti accuratius diiudicarentur. — Quae res ut expedite ad exitum perveniret, iussimus dilectum Filium Magistrum Augustinum Caprara, Sanctae Fidei Promotorem Compostellam proficisci, ut ibi singula quaeque inspiceret, inquireret, referret. Ille testibus, quos prius iusiurandum adegerat auditis; compositis nonnullis contradictionibus, quae in eorum relatione subesse videbantur; examinatis archeologiae, historiae et anathomiae peritis Matriti et Compostellae, qui de re sententiam ferrent; inspectis vetustioris loculi ruderibus et cum his, quibus arca reliquias continens constituitur, comparatis, nec non inspecto loco sub abside ubi hae inventae sunt, demum quum rursus percontatus esset peritos physicos de singulis sacrorum ossium partibus, Romam reversus accurata relatione demandato sibi munere perfunctus est. — Quare iisdem collectis comitiis ad Vaticanum die XIX Iulii huius anni dubitationum discussa caligine et veritatis lumine clarius exorto ad propositum dubium « An sententia lata a Cardinali Archiepi-
» scopo Compostellano de identitate reliquiarum, quae in centro ab-
» sidis sacelli maximi Metropolitanae eiusdem Basilicae repertae
» sunt et sancto Iacobo Maiori Apostolo, eiusque discipulis Atha-

Digitized by Google

» nasio et Theodoro tribuuntur, sit confirmanda in casu, et ad effectum de quo agitur? » Dilecti Filii Nostri Cardinales itemque Praesules Officiales considerantes omnia, quae proposita erant, ita vera et probata esse, ut refellere nequis posset, ideoque cognitionem rei certam adesse, quae secundum sacros canones et Summorum Pontificum Decessorum Nostrorum Constitutiones in hisce negotiis desideranda est ita rescripsere: « *Affirmative, seu sententiam esse confirmandam* ».

Quae cum Nobis a dilecto Filio Nostro Dominico Cardinali Bartolini, eiusdem sacrorum Rituum Congregationis Praefecto, relata fuissent, non mediocri Nos laetitia affecti sumus; et toto ex animo Deo Optimo Maximo gratias egimus, cui placitum est ut Ecclesia sua, in tanta praesertim temporum iniquitate, novo hoc thesauro ditesceret. Propterea supra dictam peculiaris sacrorum Rituum Congregationis sententiam libenter in omnibus ratam habuimus et confirmavimus. Insuper mandavimus ut die XXV Iulii sancto Iacobo Apostolo sacra Nostrum confirmationis decretum in Ecclesia Nationis Hispanicae sanctae Mariae de Monte Serrato in Urbe dicata, post Evangelii lectionem ex ambone publicaretur, praesentibus dilecto Filio Nostro Dominico Cardinali Bartolini, Sacrorum Rituum Congregationis Praefecto, et dilectis Filiis Magistris Laurentio Salvati ab actis, Augustino Caprara Quaesitore de honoribus caelestium, una cum Aloisio Lauri Assessore et Ioanne Ponzi pro tabulario.

Nunc vero ea, quae per supradictum decretum constituta sunt solemniore Apostolicae auctoritatis documento, novoque Nostrae confirmationis actu communire volentes, Decessorum Nostrorum vestigia persecuti, nempe Benedicti XIII, Pii VII et Pii IX, qui de identitate corporum sanctorum Augustini Pontificis Doctoris, Francisci Assisiensis, Ambrosii Pontificis Doctoris, Gervasii et Protasii martyrum iudicium tulerunt; Nos quoque quibuscumque dubitationibus et controversiis diremptis, Venerabilis Fratris Nostri Cardinalis Archiepiscopi Compostellani sententiam de identitate sacrorum corporum Beati Iacobi Maioris Apostoli, et sanctorum discipulorum eius Athanasii et Theodori, ex certa scientia, atque etiam motu proprio Apostolica auctoritate approbamus et confirmamus et in perpetuum firmam et validam fore decernimus. Praeterea volumus et iubemus, ne cui fas sit sacras Reliquias, quae iam in veteri conditorio repositae sunt et sigillo super obsignatae, vel earum particulas dissociare, demere vel adsportare sub poena excomunica-

Digitized by Google

tionis latae sententiae, cuius absolutionem Nobis et Nostris Successoribus omnino reservamus.

Quamobrem committimus et mandamus universis et singulis Venerabilibus Fratribus Nostris Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis ceterisque Ecclesiarum Praelatis praesentes litteras in sua unumquemque provincia, dioecesi et civitate solemniter publicare, ea meliori ratione, quam expedire censuerint; ut auspicatissimus huiusmodi eventus ubique innotescat, atque aucto pietatis studio illum christiani omnes celebrent, sacrasque peregrinationes ad sacrosanctum illud sepulcrum, quemadmodum maiores nostri facere consueverunt, suscipiant. — Et quo efficacius pro Ecclesia Sancta Dei et pro universa christiana republica sancti Iacobi Apostoli et eius discipulorum patrocinium impetrare valeamus, omnibus et singulis christianis utriusque sexus, qui vere poenitentes die per locorum Ordinarios seligenda confessi, et Christi corpore refecti in templis ubilibet sancti Iacobi Apostoli Deo dicatis, et iis deficientibus in quolibet templo ab Ordinariis designando, pro instantibus gravissimis Ecclesiae necessitatibus eiusque exaltatione, pro haeresum improbarumque sectarum extirpatione, sancti Iacobi suppetiis imploratis, pias apud Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum Indulgentiam ac remissionem quae per modum suffragii etiam animabus piacularibus flammis detentis applicari possit, benigne in Domino tenore praesentium concedimus.

Et quoniam nobilissima Hispanica Natio mirifica sancti Iacobi ope fidem catholicam integram inviolatamque servavit, ut Deus misericors ei gratiam impertire velit, propter quam in tanta errorum colluvione, Patrono suo apud Deum medio et sequestro ad sanctitatem religionis avitae et ad pietatis studium firmet animum, amplissimum privilegium ab Alexandro III Decessore Nostro ei concessum, lucrandi scilicet plenarium Iubilaeum eo anno quo festum sancti Iacobi XXV Iulii incidat in Dominicam diem, etiam pro venturo anno concedimus cum ea ipsa die sancto Iacobo sacra festa solemnia inventionis et elevationis corporis eius agenda erunt, ea servata methodo, et cum iisdem facultatibus in Constitutione ipsius Summi Pontificis data die XXV Iulii anni MCLXXIX contentis.

Has quoque litteras et quaecumque in eis contenta nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis aut invaliditatis vitio seu intentionis Nostrae, vel alio quovis defectu notari, impugnari, sed semper et in perpetuum validas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere;

Digitized by Google

sicque ab omnibus cuiuscumque gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis censeri volumus; mandantes, ut earumdem praesentium transumptis etiam impressis manu tamen alicuius publici Notarii subscriptis, et sigillo Personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae approbationis, ratificationis, reservationis, concessionis, relaxationis, commissionis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo octuagesimo quarto, Kal. Novembris, Pontificatus Nostri anno septimo.

C. CARD. SACCONI PRO-DATARIUS.
F. CARD. CHISIUS.

VISA

DE CURIA I. DE AQUILA E VICECOMITIBUS.

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Secret. Brevium.

I. CUGNONIUS.



Digitized by Google

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

TIBURTINA

MATRIMONII

Die 10 Martii 1884.

Compendium facti. Matris artibus et instigatione Pascha annorum fere quindecim, quae iam uterum gestabat, cuiusdam iuvenis operâ, matrimonium die 9 Novembris 1872 celebravit cum villico Dominico annorum viginti et duorum, in Ecclesia s. Michaelis Archangeli. Cum autem testes pluribus implicentur contradictionibus veritas factorum e processu parum elucere videtur. Asserit quandoquidem Pascha se subsequenti matrimonium nocte renuisse debitum marito reddere, et ad hoc a parentibus et viro coactam fuisse post iurgia et percussiones; quod a viro denegatur.

Prolem tamen ex hoc coniugio non susceperunt: qui enim filius natus est, ex antecedenti illicito commercio genitus fuerat: et id uterque coniux fassus est. Maritalem vero vitam quatuor per annos duxerunt, modo in Castro Saraceni, modo Romae, ubi mulier interea adulteris amoribus vacabat, inscio viro, si huic credas, ipso vero instigante, si fides mulieri sit adhibenda.

Exortis hinc inde iurgiis et dissensionibus, ab invicem coniuges se separarunt, et patriam vir repetiit, mulier vero Romae commorata fuit, usque dum die 10 Octobris 1878 Curiam tiburtinam adivit exponens, se matrimonio cum Dominico copulatam fuisse, praesertim vi matris artium; verum actum expletum fuisse absque suo consensu. Ita ut, prosecuta est, si matrimonium consummavi, vitamque duxi cum praetenso marito, id iugi violentiae tribuendum est. Hinc exoravit ut nullum declararetur praefatum matrimonium, ob defectum consensus ex capite vis et metus.

Digitized by Google

Ad rite constitutum Curiae tribunal, mulier accita ratum habens libellum, iam inde oblatum, iuramenti fide addidit se semper respuisse nuptias cum Dominico, a matre sibi oblatas. Qua de re Parocho sciscitanti an libenter matrimonium contraheret cum Dominico. ait, flendo respondisse, minime sane; tunc Parochum, alloquutum fuisse Dominicum aiens, quid agis? qui respondisse dicitur: perge in tuo ministerio. Et solummodo secundae interrogationi Parochi, affirmative respondisse ait mulier. Vir autem pariter sub sacramento deposuit: matrem puellae sibi proposuisse filiam in matrimonium; sed filiam numquam sibi hoc despondisse. Ast prosecutus est: ante matrimonium initum adversionem mulieris haud cognovi; et in actu matrimonii ego prius, illa postea respondimus *volo*. Inito matrimonio, et coenâ apud parentes mulieris confectâ, meam petivimus domum; ubi consummatio facta est, et ubi quatuor per annos una cum muliere vitam degimus.

Ad examen vocata mulieris mater deposuit: sese proposuisse filiae suae matrimonium cum Dominico; quae tamen semper abscisse renuit usque ab initio. Deinde prosecuta est mater: ut suaderem filiae meae matrimonium hoc modis usa sum duris; neque minae defuerunt eamdem e domo eiiciendi. Qua de re censeo meam filiam haud plenâ fruitam esse libertate ad hoc ineundum matrimonium. Pater autem mulieris ait, nullam sese iniecisse coactionem filiae, neque scire si alius id egerit.

Mulieris propinqui deposuerunt, sese scire quod mater matrimonium hoc confecerat. Qui vero testes ex parte viri auditi fuerunt, fere omnes nihil sciunt quoad matrimonii nullitatem. Parochus vero ad examen vocatus affirmavit, coniuges ambos voce clara et libera suum praestitisse consensum; et abfuisse omne coactionis dubium, quod ex antecedentibus erui potuisset. Attamen Parochi testimonium, forsan ex defectu memoriae, saepe factis contrarium apparet; ita ut multa ab eo enarrata, a coniugibus, vel aliis testibus denegata sint. Testatus insuper est se ante matri-

Digitized by Google

monium excepisse confessionem sacramentalem coniugum, quod mordicus a sponsa denegatur.

Expletis huiusmodi interrogationibus, quae antecedentibus non plene convenerant, et attentis difficultatibus quae obstabant quominus testes alii denuo comparerent, attentisque ceteris circumstantiis, ex quibus eruebatur fere inutilis et inopportuna ulterior dilatio; Curia episcopalis duxit processui finem imponere per definitivam sententiam declarando eiusmodi matrimonium *fuisse et esse nullum ex capite vis et metus, iniuste incussi ad extorquendum consensum in idem matrimonium*. Filio autem, qui a Pascha, constante matrimonio, uti in Actis, natus fuit, omnia cuiusque generis et speciei iura salva et intacta manere volumus, in aliam iudicii sedem, si libuerit, deducenda.

Hinc Pascha novas inire nuptias cupiens, supplici libello, humiliter institit apud S. C. C. ut eadem in gradu appellationis causam suscipere ac Episcopalem sententiam, rei veritate cognitâ, confirmare dignaretur.

Causa oeconomice proposita fuit cum votis Theologi et Canonistae, quorum synopsim damus.

Disceptatio Synoptica

VOTUM THEOLOGI. Certum est, ait ille, vim absolutam et metum respective tantummodo gravem, quoties huiusmodi metus ab extrinseco fuerit iniuste incussus, et quidem ad extorquendum consensum in matrimonium, id per se efficere, ut matrimonium exinde secutum omnino invalidum censendum sit. Ad hunc ipsum effectum, nempe ad invalidandum matrimonium, sufficere posse etiam metum reverentialem receptum est: dummodo nonnulla adiuncta concurrant, cuiusmodi essent gravis alicuius damni timor, minae, preces importunae, quibus aliunde personae, potissimum adiunctis inspectis, haud facile contradici posset, sive denique alia quaelibet gravis huius generis circumstantia. In his casibus enim matrimonium profecto irritum foret ex

Digitized by Google

defectu consensus: idque ex divo Thoma *iure naturae*, iuxta alios *iure positivo et ecclesiastico*. Quidquid revera fit ex vi seu gravi metu nullimode dici posset fieri *libere*, idest *cum vero consensu:* Alexander III *Cap. cum locum de sponsal. « Locum non habet consensus ubi metus vel coactio intercedit. »* Hisce praemissis sibi inquirendum esse, Consultor ait, utrum in themate omnia ea concurrant quae requiruntur ad hoc ut eiusmodi impedimentum quod vis et metus appellatur matrimonium invalidet.

Ex actibus processualibus lux oritur ad rem explanandam; nam ex testium depositionibus praecipue eruitur, matrimonium hoc plenissime atque unice matris Paschae operâ atque artibus ab initio ad finem usque perductum fuisse; quae ad id assequendum iteratas suasiones ac minas adhibuit; atque has artes, suasiones et minas ad hunc unice finem a matre directas fuisse, ut filiam scilicet ad idem matrimonium compelleret. Idque eruit Consultor ex depositione Paschae, de cuius sinceritate non suppetit ambigendi locus, ex depositione Dominici, matris puellae, aliorumque testium. Hisce praestitutis, ait Consultor, dici potest in hoc matrimonio verum consensum ex parte Paschae omnino defuisse. Etenim quod mulier non consenserit ceu consectarium ex dictis descendit: siquidem mater unica huius matrimonii causa fuit contra pluries expressam filiae voluntatem, ceu eruitur ex Paschae, eius matris aliorumque testium depositionibus.

Hinc arguebat Consultor, in matrimonio de quo agitur verificari metum, saltem respective gravem, ab extrinseco; iniuste incussum, et quidem ad extorquendum consensum in matrimonium; ac propterea matrimonium ipsum ex consensus defectu esse omnino nullum.

Ambigendum enim non est requiri argumenta omnino validissima et probationes concludentissimas quando agatur de dissolvendo aliquo matrimonio, aliunde rite contracto. Attamen si dubium adsit circa consensum, longe diverse se res habet; nam si probari queat, ex testium etiam singula-

Digitized by Google

rium depositione, matrimonium ex vi seu ex gravi metu irritum fuisse, nullum superest dubium, quin istiusmodi matrimonium ex consensus defectu irritum censendum sit.

Nec quidquam obiicere prodesset, puellam in actu celebrationis matrimonii respondisse *volo*, ceu Parochus ipse retulit, et alii testes; nam ipsa mulier id aperte denegat quoad primam interrogationem. Quod si secundae interrogationi respondit *volo*, id fecit ex metu Dominici ipsius ceu ipsa fatetur. Ast si concedatur etiam puellam primae interrogationi illico respondisse *volo;* colligi ne posset, eamdem huic matrimonio legitimum praebuisse assensum, scilicet ipsam in idem matrimonium *internum, liberum,* uno verbo verum consensum praebuisse? Sed contra stant pressiones continuae ex parte matris, quae filiam ad actum usque celebrationis comitatae sunt. Itaque de legitimo ac vero consensu huic matrimonio ex parte mulieris nullimode constare videtur. Quod quidem potissimum attendendum foret, ex quo, iuxta Doctores, matrimonium solo consensu perficitur, qui consensus procul dubio inveniri nullatenus potest, ubi metus subsit cadens in virum constantem. Ad rem Coscius de *separat. tori l. 1 c. 8 n. 93* ait: « Ad irritandum matri» monium, quod significat unionem Christi cum Ecclesia, » quae fundatur in amore libero ac voluntario, non in coa» ctione, satis est minor metus quam in ceteris contracti» bus propter maximam voluntatis libertatem, quae in illo » desideratur. »

Quae cum ita sint, cum in praesenti causa metus saltem respective gravis, ex parte puellae locum habuisse sufficienter innotescat; cum non duo tantum, verum quamplures sint testes, qui concorditer de metu deponunt, hinc de matrimonii nullitate dubium superesse non videtur.

VOTUM CANONISTAE. Sibi inquirendum esse ait ille, an reapse timor mulieri incussus sit, et quidem non solum iniustus, sed etiam cadens in virum constantem; an mulier quae timorem patiebatur ita in matrimonium consenserit extrinsece et coacte, ut ab ea excludendus sit quilibet con-

Digitized by Google

sensus intrinsecus et liber; an vere omnia illa deficiant adiuncta, ex quibus voluntarius consensus posset aliquo modo praesumi; denique an iis omnibus quae in contrarium adducuntur, possit persuasibilibus rationibus satisfieri.

Quod autem omnia in affirmativam sententiam resolvenda sint, acta processus innuunt. Factum enim incussi timoris nedum testes, sed ipsa causa motiva eiusdem matrimonii comprobant; nam vaferrima Paschae mater animadverterat Dominicum esse unicum filium, et aliquod habere in bonis. Hinc ut rem domesticam meliorem redderet, matrimonium hoc cogitavit, consensumque filiae extorquere curavit primo suasionibus, dein renitenti minitata est, ut sciret, nisi in matrimonium consentiret, se e propria paterna domo reiecturam. Idque autem verbis ita feris dicebat, ut ipsa puella, post contractum matrimonium exclamaverit; mater mea tigris instar me premebat. Quinimo mater nedum per se, sed etiam per alios efficiebat ut filia minis et terroribus ad matrimonium hoc adigeretur. Et haec omnia fiebant in puellam quatuordecim annorum, nullum habentem medium ad alendam vitam, omni orbatam auxilio omnique consilio destitutam; cui propterea nulla alia optio relinquebatur nisi aut contrahere, aut fame perire. Hinc patet nedum puellae incussum fuisse verum timorem, et quidem iniuste, sed etiam ipsum talem fuisse, ut caderet in virum constantem. Ad rem ait Spellerus *in decis. for. eccl. 75 n. 62.* « Negari non potest quin si una cum metu reverentiali, » concurrant etiam minae eius, cui reverentia debetur, di- » catur inde oriri iustus metus, cadens in virum constan- » tem. »

Posita in evidentiâ iusti timoris existentiâ, quaesivit Consultor an mulier ita coacte et passive sub huius timoris influxu ad matrimonium devenerit, ut ab ea excludendus sit quilibet consensus intrinsecus, voluntarius et liber. Quod ut facilius pertingeret distinxit tempora quae praecesserunt, quae comitata, quaeque ipsum matrimonium sunt consequuta.

Et quoad tempora quae praecesserunt reperimus filiam

Digitized by Google

veluti arcem adamantinam resistere adversus matrem, quae veluti immanis tigris instabat.

Quoad tempora quae comitata sunt matrimonium, animadvertit Consultor puellam, dum ad Ecclesiam pergeret, debuisse animo sibi fingere suam infelicitatem futuram, dum coarctaretur vitae societatem inire cum illo, cum quo nullo amoris ligamine vinciebatur. Hinc ex adversione conturbata imaginatio debuit illi exaggerare animi contrarietatem, calamitates certo futuras, amissionem pacis, frustratum amorem, cui tunc temporis operam dabat cum alio iuvene, quem vehementissime diligebat; hisce perculsa terroribus et animo cadens, parocho secundo interroganti se velle respondit dum primo responderat *nolo.* Quum autem de veracitate puellae dubitari nequeat, duplex in ea agnosci debet operatio ad explicandum quidquid accidit in actu matrimonii, et conciliandam Paschae narrationem cum testium depositionibus. Per unam operationem intrinsecam et phantasticam puella quod corde reapse nolebat, etiam animo repudiabat; per alteram vero extrinsecam et realem quod velle cogebatur, verbis a timore prolatis acceptabat.

Quis inde puellam in matrimonium intrinsece voluntarie, et libere consensisse dicebit? Quae omnia confirmantur per ea quae matrimonium consecuta sunt. Etenim a prima die, qua se coniungere visi sunt, usque ad postremam illam qua sunt a se invicem separati, numquam Pascha et Dominicus se mutuo et maritali affectu sunt prosecuti. Et quamvis pluries potentes ambo convenerint, tamen nullus natus est filius: et curnam nulla proles? Receptum est penes omnes quod quemadmodum physicis impedimentis, sic etiam moralibus conditionibus, inanis reddi potest ad effectum concubitus. Animi aversio, abominatio, antipathia, en moralis frigiditas quae licet se teneat ex parte mulieris, satis tamen est ad physice potentium copulam inanem et inefficacem reddendam.

Ex quo deduxit consultor quod si simul omnia comparentur, si conferantur antecedentia et consequentia cum ipsis

Digitized by Google

concomitantibus, exurgit conclusio, consensum a puella praestitum, immunem non fuisse ab influxu illius timoris, quem mater incusserat; ideoque nullimode haberi posse pro vero et efficaci consensu; *Rota cor. Burat.* dec. 86 n. 33 habet: « in matrimonio enim non sufficit simplex consensus, sed » requiritur plena securitas et libertas. »

Quibus animadversis, Consultor ait: tria prostant in hoc facto; nempe puellae iniustum et gravem timorem incussum fuisse ad extorquendum consensum in matrimonium; praestitum censensum vere datum fuisse sub influxu timoris eiusdem; in tota puellae agendi ratione nihil inveniri, ex quo voluntarius consensus possit aliquo modo praesumi.

Tandem quum respondisset Consultor difficultatibus ex ipsis processus actibus exurgentibus, conclusit pro nullitate matrimonii.

Animadversiones defensoris s. vinculi. Certum est, ait hic, matrimonium in themate contractum fuisse praecedentibus tribus denuntiationibus, coram Parocho et legitimis testibus. Ex quo consequitur matrimonium ex capite metus irritum declarari non posse, nisi concludens probatio metus praecedat; *Rota decis. 763 n. 1 cor. Seraphini.*

Ast huius probationis onus puellae incumbit; quae nimirum demonstrare debet, metum sibi illatum fuisse non in genere, sed in specie, et cum qualitatibus concomitantibus ad actum. Verum in themate nulla adest concludens probatio, per quam evinci queat huiusmodi matrimonium ex metu contractum fuisse: quinimo plura adsunt quae contrarium omnino suadent. Nam nemo ex illis quibus innotescere debebat vis et metus quatenus adfuisset, aliquid deprehendit ex quo coniiceret puellam non libere sed coacte matrimonium celebrasse. Vir ipse imprimis deposuit sese et puellam libere respondisse Parocho interroganti *volo:* neque ullam agitationem ostendisse puellam dum ad Ecclesiam pergerent pro matrimonio ineundo. Hoc in itinere si mulieris contrarietatem conspexissem, ait vir, eamdem absque haesitatione dereliquissem.

Digitized by Google

Pater puellae, qui noscere poterat coactionem, quatenus adfuisset, confessus est, sese neque coactionem ullam iniecisse, neque scivisse quod aliquis iniecerit.

Parochus cuius testimonium magni faciendum est, retulit sponsos ambos libere et clare suum praebuisse consensum, neque ullum haesitationis signum vidisse, neque mulieris lacrimas; idem alii testes deposuerunt. Adsunt praeterea indicia non spernenda, quae omnem metus suspicionem excludunt. Sane Pascha ipsa una cum Dominico Parochum accersivit, ut de suo matrimonio contrahendo solemnes haberet publicationes. Et quamvis id illa deneget, mendacem eius negationem esse evincunt tum parochus, tum alius testis.

Hinc defensor arguebat: omnia evincunt matrimonium celebratum fuisse libere ac sponte; et Pascha cui onus incumbit contrariae probationis attulit solummodo vel indicia, vel attestationes: quae tamen indicia et attestationes nullius esse valoris probavit consultor. Ast quaeso, posito etiam quod omnia haec vera sint, deficit praecipua conditio quae est gravitas metus. Etenim in iure metus a parentibus incussus vix ne vix quidem gravis et efficax ad perturbandam electionem et ad matrimonium irritandum censetur; *Sperelli decis. 75 n. 15, 16* postquam dixerit metum talem requiri, qui cadat in constantem virum pergit: « talis autem » non videtur metus filiae de matris ira; qui non est de » comprehensis in corpore iuris, ut ff. et cod. de iis quae » vi metusve causa et extrav. eod. tit.: et in puncto quod » metus a matre incussus non sit satis ad matrimonium » irritandum tradit Burgos, de Paz... qui eam reddunt ra- » tionem quod feminae minus timeantur, cum sint minus » audaces atque imbecilliores. »

Matris increpationes quis accipiet tamquam metus gravis causam? Quod autem mater ceu tigris instaret filiae, hoc hiperbolem redolet, quum notum sit ne digito quidem matrem attigisse filiam. Quae cum ita sint ceu infirmae mentis somnium metus iste habendus erit; ex quo Pascha omnem amiserit verecundiam cum virginitate. Praeterea mi-

Digitized by Google

Digitized by Google

us maxime fuerit, hinc Archiepiscopus
spirituali bono aptiori ratione consu-
iam. antiquam dismembrando in Ecclesia
Carmelo erigere sibi proposuit. Requi-
presbyter Vaira, suae Paroeciae dismem-
usdam conditionibus, vulgo reservationibus.
etiam confinia novae paroeciae. Ordinarius
ionis haec omnia approbavit.
nondum elapsis. controversia quoad iuris-
um ac funerum associationem inter Parochum
et Archipresbyterum ac Capitulum exorta
dirimendam eidem Archiepiscopo sequentia
runt: an Ecclesia s. Iosephi ad matricem vel
iam pertinere censenda sit iuxta confinium
scriptionem. An vi reservationum Capitulum
funere explere valeat in Ecclesiis quae per-
em, et ab eisdem transferre ad coemeterium
ropria Cruce.
per decretum diei 23 Ianuarii 1871 respondit:
sephi pertinere ad matricem, et Capitulum
era explendi in eadem atque efferendi ex ea
coemeterium sub Cruce propria.
mpositae pacifice processisse videntur usque ad
quo cum Ianuarius Roberti paroeciam matri-
ipsique in filiali dimissâ Franciscus Falcon-
lem contentiones iterum exarserunt. Archi-
operam impendit ad illas de bono et ...
verum nihil proficiens, in Dioecesis ...
Maii 1883 Decretum edidit. quo ...
petentiam ad reformandum ...
decessore; sed confirmando ...
matricem pertinere Ecclesiam ...
one, fecitque partibus ...
ionem. Declaravit ...
donec a Sede Ap...
retum 23 Ianuarii ...

Digitized by Google

nae, si quae fuerint sese referunt ad eiectionem e paterna domo; ast huiusmodi comminatio risum potius quam metum Paschae excitare debuit, quoniam sciebat non esse in facultate matris id exequi.

Hisce aliisque praemissis, propositum fuit enodandum

Dubium

An sententia Curiae episcopalis sit confirmanda vel infirmanda in casu.

RESOLUTIO. Sacra Congr. Concilii re cognitâ sub die 10 Maii 1884 censuit respondere: *Sententiam esse infirmandam.*

EX QUIBUS COLLIGES: I. Quum matrimonium significet coniunctionem Christi cum Ecclesia, quae facta fuit per liberum amorem, ideo sacramentum eiusmodi repraesentari debet per liberum consensum.

II. Ast consensum liberum exulare quoties metus vel coactio intercedat: etenim verum consensum ibi abesse constat, ubi non adest maxima libertas.

III. Iustum oriri metum, qui dicitur cadens in virum constantem si metui reverentiali concurrant etiam minae eius, cui reverentia debetur.

IV. In themate timorem reverentialem per quem libertas laesa dici valeat probatum haud formiter fuisse, visum est Emis Patribus; hinc responderunt infirmandam esse sententiam Curiae, quae pro nullitate matrimonii steterat.

SYPONTINA

CONFINIUM PAROCHIALIUM

Die 12 Iunii 1884.

COMPENDIUM FACTI. Unica paroecialis et collegialis Ecclesia S. Petro Ap. dicata usque ad annum 1855 extabat in pago Montis s. Angeli, sypontinae Dioecesis. Cum autem

Digitized by Google

fidelium numerus auctus maxime fuerit, hinc Archiepiscopus Tagliatela, ut eorum spirituali bono aptiori ratione consuleret, novam Paroeciam, antiquam dismembrando in Ecclesia B. Virginis a Monte Carmelo erigere sibi proposuit. Requisitus itaque Archipresbyter Vaira, suae Paroeciae dismembrationi sub quibusdam conditionibus, vulgo reservationibus, annuit describens etiam confinia novae paroeciae. Ordinarius per Bullam erectionis haec omnia approbavit.

Viginti annis nondum elapsis, controversia quoad iurisdictionis exercitium ac funerum associationem inter Parochum novae Paroeciae, et Archipresbyterum ac Capitulum exorta fuit. Ad quam dirimendam eidem Archiepiscopo sequentia dubia proposuerunt: an Ecclesia s. Iosephi ad matricem vel filialem Ecclesiam pertinere censenda sit iuxta confinium praedictam descriptionem. An vi reservationum Capitulum Archibasylicae funere explere valeat in Ecclesiis quae pertinent ad filialem, et ab eisdem transferre ad coemeterium cadavera sub propria Cruce.

Archipresul per decretum diei 23 Ianuarii 1874 respondit: Ecclesiam s. Iosephi pertinere ad matricem, et Capitulum ius habere funera explendi in eadem atque efferendi ex ea cadavera ad coemeterium sub Cruce propria.

Res ita compositae pacifice processisse videntur usque ad annum 1882, quo cum Ianuarius Roberti paroeciam matricem obtinuerit, ipsique in filiali dimissâ Franciscus Falcone successerit, eaedem contentiones iterum exarserunt. Archiepiscopus Feuli operam impendit ad illas de bono et aequo componendas, verum nihil proficiens, in Dioecesis perlustratione die 17 Maii 1883 Decretum edidit, quo declaravit propriam incompetentiam ad reformandum decretum emanatum a suo antecessore; sed confirmando idem decretum declaravit ad matricem pertinere Ecclesiam S. Iosephi et vicum Tapparone, fecitque partibus potestatem adeundi S. C. Congregationem. Declaravit decretum hoc suam exerere vim debere donec a Sede Apostolica revocaretur, aut reformaretur decretum 23 Ianuarii 1874: et parti, huic dis-

Digitized by Google

positioni se subiicere renuenti, comminavit suspensionem a divinis, *ipso facto* incurrendam.

Gravatum ac laesum se reputans Franciscus Falcone, parochus Ecclesiae filialis, die 2 Iunii appellationem ad S. C. C. interposuit, tum a decreto anni 1874 tum ab alio anni 1883.

Disceptatio synoptica

Iura Ecclesiae Filialis. Qui iura huius tuitus est contendit utrumque decretum nullius ponderis esse, quod triplici argumento ostendere sibi proposuit. Primum eruit ex verbis Bullae dismembrationis, alterum ex eo quod Parochus filialis usque ad annum 1883 tam Ecclesiam s. Iosephi, quam vicum Tapparone pacifice possederit, demum ex eo quod Decretum anni 1874 falso laboret supposito, et inaudito Parocho filialis editum fuit; Decretum vero anni 1883, contradictionem involvens iniustitiam redolere.

Primum itaque argumentum exponens recolit, Archiepiscopum antequam dismembrationis Bullam ederet, consensum Parochi matricis exquisivisse, qui novae Paroeciae confinia designavit. Huiusmodi autem limitum descriptionem, ait Orator, Archiepiscopum in Bulla dismembrationis hisce verbis confirmasse ac perpetuo servari decrevisse: « Domos omnes et Ecclesias in praefato circumscriptionis actu contentas, cum suis incolis a Parochia dictae Ecclesiae s. Petri separamus... »

Porro cum Matricis Parochus proposuerit quod Ecclesia s. Iosephi et principium vici Tapparone esse deberent duo puncta a quibus exordiretur nova regio ac Ordinarius adamussim approbaverit, sponte consequitur tam Ecclesiam s. Iosephi ex latere dextero, quam vicum Tapparone ex latere sinistro novae Paroeciae initium efformare, ac ad eamdem pertinere. Et sane si Parochus voluisset memoratam Ecclesiam et vicum matrici reservare, ita loqui debuisset: Ecclesia s. Iosephi et vicus Tapparone limitem extremum constituunt Paroeciae matricis; et quod sequitur pertinebit ad novam paroeciam. Nisi igitur circumscriptionis

Digitized by Google

verbis vim inferri velit, iure concludendum est Ecclesiam et vicum ad novam Paroeciam pertinere. Verba enim clarissima sunt, ideoque prout sonant accipienda. Perpendendum ulterius, Archipresbyterum Vaira nedum confinia, sed ex integro novae Paroeciae territorium designasse, ex quo consequitur id omne quod in praefata descriptione invenitur novae Paroeciae tribuendum.

His accedit verba descriptionis limitum et verba Bullae apprime convenire principiis iuris communis, quae exigunt ut domus aliqua vel Ecclesia in confinio posita ad eum Parochum pertineat, in cuius territorio ianua reperitur. Exinde vulgare DD. adagium: *Qua aditus patet, iudicatur de domo et de Paroecia. - Ibi parochianus, ubi porta principalis. - Ubi ianua, ibi domus.* Iamvero ianua Ecclesiae S. Iosephi patet in via, quae a iurisdictione Parochi filialis pendet, hinc nonnisi ad illum Ecclesia pertinere debet. Quod principium confirmatum etiam fuit Apostolicis Litteris Leonis XII super *nova Urbis Paroeciarum ordinatione pag.* 17, et inde controversias inter Urbis Parochos exortas Em̃us Urbis Vicarius absque iudicii strepitu compescuit. Hoc idem ex communi Canonistarum doctrina scatet; Barbosa *de off. et potest. Episc. part.* 2 *Alleg.* 32 ait: « Infertur habitantem » in confinio duarum Ecclesiarum parochialium censeri pa- » rochianum illius, in qua domus aditum habet ex notabili » doctrina Barth. in *l.* 6 *in fin. de damno infect.;* huius » illationis ratio est, quia ex aditu iudicatur de domo. » Cui concinit *Riccius Prax. foren. resol.* 410 *n.* 1.

Huiusmodi autem iuris principium pluries a S. C. C. confirmatum fuit, ut in una *Neapolitana diei* 20 *Iulii* 1873 (1).

Demum cum etiam ab adversario admittatur Parochum Carmeli, tam in Ecclesia S. Iosephi, quam in vico Tapparone iurisdictionem iugiter exercuisse, Patronus ita ratiocinatur. Vel Ecclesia et vicus sunt intra confinia novae

(1) Relata fuit Vol. XVI, pag. 607.

Digitized by Google

Paroeciae vel non. Si primum Parochus filialis iure suo utebatur. Si alterum, quoniam Ecclesia et vicus ad matricem exclusive spectassent, nullo pacto Parochus id peragere potuisset. At in facto est quod sciente et consentiente Parocho Matricis, Parochus filialis paroeciales functiones in Ecclesia, et omnimodam iurisdictionem in vico exercuit. Hinc saltem evincitur Ecclesiam et vicum ad Matricem non exclusive pertinere.

Immo ad filialem Paroeciam exclusive utrumque pertinere iuxta confinium circumscriptionem ab Archiepiscopo approbatam Patronus ostendit ex altero argumento deducto a pacifica possessione Parochi Carmeli, qui omnia Sacramenta in memorato vico commorantibus administravit. Id autem eruitur ex testimonio omnium inibi commorantium, et ex paroecialibus libris. Horum autem testimonium omnem fidem meretur, nedum ratione muneris quo funguntur, sed etiam quia apprime consonat paroecialium librorum particulis, ab ipso adversario Roberti maxima ex parte conscriptis.

Et sane ad baptismata quod attinet ab anno 1855 ad annum 1883 quadraginta quatuor nati recensentur in Vico Tapparone, et omnes in nova Paroecia salutari lavacro regenerati fuerunt. Quoad actus mortis 21 adversarius Roberti signavit, et unum Oeconomus Curatus in vacantia Paroeciae. Matrimonia tandem ab habitantibus in praefato Vico celebrata octo numerantur. Ex quibus possessio a Paroeciae erectione ad annum 1883 luculenter evincitur.

Hisce in facto positis, neminem fugit paroeciales libros in iure plurimi faciendos esse. Id enim uno ore Canonistae fatentur, id constans Tribunalium praxis testatur, in iis praesertim quae nativitates, matrimonia, obitus cognationesque respiciunt paroeciales libri publici instrumenti fidem indubie merentur. Ita Begnudelli in *Bibliot. Iurid. Canonico-Civili-practica Verb. Parochia num.* 1 « Parochialitas probatur ex libris baptismi, ex quibus apparet » plures fuisse baptizatos. Item ex libris mortuorum, ex » quibus constat plures fuisse sepultos, dummodo tamen

Digitized by Google

» isti actus non fuerint facti post litem coeptam. » Cui plenissime adstipulantur Rota *apud Rubeum Decis.* 433 *tom.* 2 *part.* 5 *recentior.* Maschardus *Volum.* 2 *Conclus.* 672 *num.* 18 et 19, et Reiffenst. *lib.* 2 *tit.* 22 *num.* 127.

Quod si animadvertatur Parochum Matricis in illo Vico Sacramenta numquam administrasse, patet in novae Paroeciae territorio designando voluisse Vicum ad eamdem pertinere. Si prae oculis habeatur Parochum, qui in paroecialibus libris novae Paroeciae acta notavit, esse ipsum adversarium qui modo contendit memoratam Ecclesiam et Vicum ad Matricem spectare, ridendum foret, ait Orator, nisi de re tam seria ageretur. Hinc eidem effatum illud applicat « *Quod quisque iuris in alterum statuerit, et ipse eodem iure utatur.* » Cum enim ipse contra Parochum Matricis olim pro viribus sustinuerit loca controversa iurisdictioni Parochi filialis subiici, etiam eiusdem successor Falcone nunc temporis id ipsum agere debet.

Ad tertium tandem argumentum digrediens, demonstrare studuit, Decreta anni 1874, et 1883 nullius roboris esse: quia Decretum anni 1874 falso innititur supposito, et inconsulta parte latum fuit: Decretum autem anni 1883 contradictionem imo absurditatem involvit. Et sane cum verba descriptionis confinium, Bullae dismembrationis et reservationum, et ipsum factum evidenter ostendant Ecclesiam et Vicum ab anno dismembrationis ad annum 1883 ad Ecclesiam filialem pertinuisse, sponte consequitur Decretum anni 1874 falso supposito inniti.

Accedit quod cum latum fuerit inscio Parocho Filialis, ipse uti non editum censuit, ac praesertim Vicum Tapparone sub sua iurisdictione retinuit. Et merito siquidem possessione spoliari non poterat antequam ius suum defensurus acciretur. Nemo enim inauditus est condemnandus iuxta vulgatissimum iuris principium, et acta, quae inaudita parte emanantur, ipso iure nulla censentur.

Et re sane vera neminem latet citationem ad actus validitatem esse prorsus necessariam ex *Cap. Ecclesia, de Con-*

Digitized by Google

stitutionibus; hinc Reiffenstuel *lib.* 2 *Decret. tit.* 3 *de libelli oblat.* ait: « Citatio adeo necessaria est, ut ipsa » quoad absentem omitti non possit, eâque omissâ iudicium » reddatur nullum. » Hinc Parochus filialis Ecclesiae ad sua iura tuenda audiendus erat, secus enim iudex sententiam dixisset *sine causae cognitione*, uti Canonistae aiunt. De legitimae defensionis necessitate ita loquitur laudatus Reiffenstuel *lib.* 2 *Decret. tit.* 26 §. 2 *n.* 42, 43. « Neque » debet Iudex, etiam in iudicio summario ita litem abbre- » viare, quin probationes necessariae et legitimae defensiones » admittantur, *Clement. saepe contigit de verb. significat.* » Quinimo si apparet quod sententia fuerit lata a Iudice » ignaro de meritis causae, tunc sententia est ipso iure » nulla, utpote lata sine causae cognitione. »

Parumper autem admisso, Decretum in suo vigore consistere, necessario sequeretur omnia matrimonia ab habitantibus in praefato Vico saltem in parte sinistra coram Parocho Filialis celebrata nulla prorsus fuisse. Hoc unum igitur fas est admittere, quod Vicus ille ad novam Paroeciam iugiter pertinuerit, et Archiepiscopus Decretum emittens sine causae cognitione, et falso supposito innixus, illud nullius roboris, et ipso iure nullum reddidit.

Progrediens deinde ad aliud Decretum anni 1883, ab Archiepiscopo Feuli editum, quo primum confirmatur, sustinuit Orator, talem contradictionem in eo inveniri, quae iniustitiam redoleat.

Demonstrata superius primi Decreti nullitate, sponte patet quo in pretio hoc alterum sit habendum. Dum enim Archiepiscopus incompetentiam pro Decreto reformando declaret, 1. illud confirmat, simulque ampliat, addens: quod vicus Tapparone debet censeri comprehensus in dicta regione. 2. Dum partes pro controversia dirimenda ad S. C. C. remittit, illam ipse resolvit. 3. Dum litis solutionem a S. C. expectat, Parochum Carmeli possessione super Vicum spoliat. Demum dum ostendere curat, controversiam, absque ullo partium studio in statu *quo ante* relinquere, ipse innova-

Digitized by Google

tione facta, unum Parochum Carmeli suspensionis poenâ minitatur, quia litem favore Parochi Matricis undequaque dirimit. Quare si recte decernere volebat, debuisset controversiam in statu *quo ante* relinquere, donec S. C. C. sententiam in petitorio tulisset.

Archipresbyteri Patronus, etsi monitus, nihil exhibuit pro tuendis suis iuribus. Quibus animadversis, propositum fuit diluendum

Dubium

An decreta diei 23 *Ianuarii* 1874 *et diei* 17 *Maii* 1883 *sustineantur in casu.*

Resolutio. Sacra Congregatio Concilii, re cognitâ sub die 12 Iulii 1884, censuit respondere: *Negative.*

Ex quibus colliges: I. Quum nemo inauditus condemnari possit, ideo acta emanata absque partis citatione ipso iure nulla censentur, iudiciumque redditur nullum.

II. Quamobrem etiam in iudicio summario, litem abbreviare non licet ita, ut non admittantur probationes necessariae et legitimae defensiones; aliter sententia nulla fit, utpote lata sine cognitione causae.

III. In themate decretum Curiae anni 1874, confirmatum per aliud anni 1883, revocatum iure fuisse, utpote quod latum inscio parocho filiali; qui despoliatus fuit sua possessione; in cuius favorem militant tum Ecclesiae s. Iosephi positio, tum libri paroeciales.

IV. Etenim iuris est principium quod domus aliqua vel Ecclesia in confinio posita ad eum parochum pertineat in cuius territorio ianua reperitur, iuxta adagium: *qua aditus patet iudicatur de domo et de paroecia. — Ibi parochianus, ubi porta principalis. — Ubi ianua, ibi domus.*

V. Parochialitatem probari per libros baptismi, ex quibus appareat plurimos esse baptizatos, et per libros mortuorum, ex quibus constet plures fuisse sepultos, certum est apud canonistas et apud Tribunalia; quorum constans praxis id testatur.



Digitized by Google

DUBIA quoad auctoritatem Ordinarii in sacerdotes qui deserunt, inaudito Episcopo, aut excipere paroeciam renuunt.

Beatissime Pater,

Cardinalis archiepiscopus Tolosanus reverenter exponit, quod non raro accidit, ut sacerdotes quibus cura amovibilis ecclesiarum succursalium commissa fuit, muneri suo renuntient, et antequam ordinarius renuntiationem acceptet, ad propria, eo quod beneficia proprie dicta non possident, redeant. Unde contingit non paucos sacerdotes vitam otiosam traducere, dum plures parochiales ecclesiae suis carent rectoribus. Quapropter praedictus Cardinalis archiepiscopus quaerit:

I. Utrum liceat memoratis sacerdotibus, eo quod beneficia veri nominis non teneant, a munere suo recedere, non obtenta prius ordinarii licentia?

II. An ex praecepto obedientiae, adhibitis etiam, si opus fuerit, censuris, Episcopus ius habeat eos cogendi, ut in suo munere persistant, usquedum ipsis de idoneo successore providere valeat?

III. Utrum sub eodem praecepto, iisdemque intentatis censuris, facultatem habeat Episcopus, sacerdotes viribus pollentes, et ab aliis officiis liberos, compellendi ad earum ecclesiarum curam percipiendam usquedum illis alio modo providere queat?

Die 9 maii 1884, Sacra Congregatio Emorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, attentis peculiaribus circumstantiis, censuit rescribendum: Ad primum: *negative;* — ad secundum: *affirmative;* — ad tertium: *affirmative,* vigore facultatum quae, approbante SSmo Domino nostro, Emo archiepiscopo oratori tribuuntur ad septennium tantum, si tamdiu expositae circumstantiae perduraverint.

L. Card. NINA, *Praefect.*

I. VERGA, *Secret.*



Digitized by Google

EX S. CONGREGATIONE EP. ET REG.

PRAENESTINA

SALARII

Die 28 Martii 1884.

Compendium facti. Ioanna Palombi, vidua Raini, Praenestinae Dioecesis, supplici dato libello, exposuit SSmo Patri: duos filios suos quinque per annos inserviisse uti clerici vel aeditui Ecclesiae ss. Petri et Pauli e Serrone, eiusdem Dioecesis: huius servitii praestiti gratiâ rependendas fuisse eisdem libellas 338,62 ab ultimo beneficiato D. Iosepho Marella: sed perperam id pluries petiisse a Curia episcopali. Nunc autem quum humilis oratrix diuturno morbo detineatur in lecto, omnibus auxiliis destituta, ut egestati suae consuleret, omni posthabito civili tribunali, ad clementiam SSmi Patris recurrit exorans, ut vis pecuniae sibi debita solvatur, quisquis sit debitor qui adigi debeat.

Eminentissimus Ordinarius praenestinus rogatus pro informatione et voto retulit: oratricis preces veritati consonas esse et pecuniae summam expetitam deberi eiusdem filiis a D. Iosepho Marella.

Disceptatio Synoptica.

Iura aedituorum. Nullum superesse dubium favore istorum animadversum fuit: *dignus est enim operarius mercede sua.* Ita ut homicidae comparetur a Spiritu Sancto *qui aufert in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum. Qui effundit sanguinem et qui fraudem facit mercenario fratres sunt; Eccles. c. 24 n. 26 et 27.* Et insuper nullam adesse quaestionem quoad summam praestandam; sed in themate cuinam onus incumbat tantum quaeri.

Digitized by Google

Retulit vero Emus Ordinarius ex antiqua consuetudine ultimum ex beneficiatis Principis Colonna teneri per se aut per alium, operam aeditui praestare in Ecclesia archipresbyteralis e Serrone. Onus autem eiusmodi ex actis innumeris s. Visitationis erui. Quamobrem nisi id per se peragat, opera alterius ab eodem beneficiato debitâ mercede compensanda foret. Animadversum praeterea fuit ipsum beneficiatum rem concedere, et aedituorum operam a se debitâ mercede compensatam fuisse usque ad annum 1877. Insuper certum est quod Beneficiatus idem spopondit in legali instrumento cum Principe, sese impleturum fore onera beneficio suo inhaerentia: sed inter alia onus aeditui inerat. Hinc obligationem ex tunc fassus est; verum *quod semel placuit, amplius displicere non debet; reg. iur. 21 in 6 decret.*

Iura beneficiati. Animadvertit iste, Principem Colonna haud esse unicum patronum in Ecclesia Archipresbyterali; hinc si alius adfuerit beneficiatus alterius patroni, lege eâdem ligaretur quatenus ultimus investitus. Verumtamen si inter Parochum et me, ait ille, res agenda sit, frustra ab eodem Parocho invocatur consuetudo quae est omni charactere verae consuetudinis prorsus destituta.

Dato enim quod aliquis praebendatus, pinguiori utens beneficio, aliquid fecerit olim favore Archipresbyteri, hic nequiret successores in beneficio cogere ad idem praestandum, quod ex mera liberalitate antecessor fecerat; nulla enim lege tenentur successores, et consuetudo invocari nequiret, quia nulla adest lex vel praeceptum contra quod inolescere valeat consuetudo eadem.

Attamen dato et non concesso quod lex obliget ultimum Beneficiatum Principis Colonna; iniustum videtur quod presbyter Marella ultimus semper permanere debeat beneficiatus ex quo Princeps idem redempsit a Fisco beneficia sui iurispatronatus. Principi potius onus rependendi aedituum esset imponendum; quia redemptio beneficiorum haud parvam attulit eidem utilitatem; iuxta adagium: « *secundum naturam est commoda cuiuscumque rei consequi, quem sequun-*

Digitized by Google

tur incommoda. Neque enim ferendum est ut is qui lucrum quidem amplectitur, onus autem adnexum contemnat.

Quod si beneficiatus Marella adpromisit sese onera impleturum, adpromissio haec respicit tantum onera fixa atque perpetua; minime vero onus rependendi in perpetuum stipendium aedituo; quia onus eiusmodi est temporaneum et cessare debet per mortem aut resignationem aliorum beneficiatorum: *Propensiores enim esse debemus ad liberandum, quam ad obligandum.*

Hisce praenotatis quaesitum est quomodo esset enodandum sequens

Dubium

An Sacerdos Ioseph Marella teneatur solvere libellas 338,62 favore aedituorum Raini in casu.

Résolutio. Sacra Cong. Ep. et Reg. re ponderata, sub die 7 Martii 1884 respondere censuit: *Affirmative et amplius.*

Ex quibus colliges. I. Onera beneficiorum esse omnino implenda a beneficiato neminem ambigere; praecipue si per stipulationem specialem sibi eadem imposuit; nam *quod semel placuit amplius displicere non debet.*

II. Inter onera Iosephi Marella, aderat etiam onus temporaneum inserviendi Ecclesiae Archipresbyterali, aeditui instar, sive per se, sive per alium; quod onus eidem inerat donec ille ultimum obtineret locum inter beneficiatos patroni Colonna.

AGEN.

REDINTEGRATIONIS

Die 4 Iulii 1884.

Compendium facti. Franciscus Danjard parochus amovibilis, *desservant,* remotus fuit a Paroecia e Granges, quam paulo ante Episcopus eidem administrandam tradiderat. Re-

Digitized by Google

motus presbyter appellavit a decreto Episcopi apud s. Sedem. In Congregatione diei 7 Martii 1884, peractis ex utraque parte deductionibus de more, propositum fuit enodandum sequens Dubium: *An Sacerdos Franciscus Danjard redintegrari debeat in Paroecia in casu.* Cui dubio s. Cong. Ep. et Reg. respondit: *Negative.*

Decem elapsis diebus ab eiusmodi resolutione, Curiae Agensis procurator petiit obtinuitque sententiae expeditionem; quae, cum posthabita fuerit appellatio, tempore utili decem dierum, in rem transiverat iudicatam. Ordinarius, accepto authentico exemplari sententiae eiusdem sub die 9 Aprilis executionem dedit resolutioni praedictae rescribens Sacerdoti Danjard; haud te latet resolutio tibi adversa a S. Cong. Ep. et Reg. prolata die 7 Martii; hinc te praemoneo a die 21 Aprilis tibi omnem sublatam esse facultatem sacra mysteria perficiendi sive privatim sive publice in territorio Granges et Cuzorn.

Die 10 Aprilis Sacerdos Danjard rescribebat Episcopo, postulans ut iussa suspenderet; quoniam nulla notitia a Roma sibi pervenerat de exitu quaestionis. Quod si realiter prolata fuerit sibi adversa sententia, ex tunc revisionem exposcere decernebat, quod vere peregit.

Emũs Praefectus s. Cong. huius, qui in sua auctoritate discretionali poterat concedere aut denegare beneficium novae audientiae, censuit tamen, ut res iudicio Emõrum Patrum subiiceretur, quoniam dubitavit, rem iudicatam esse natam quoad meritum principale. Et ideo statuit rem proponendam fuisse plenario auditorio Emõrum Patrum super peremptione appellationis tantum. (1)

(1) Advertant lectores hac in quaestione non agi de merito principali sive de causis ob quas Danjard a Paroecia remotus fuerit: quoniam de hoc actum est in alia sede iudicii, sed disceptari an appellatio interposita a sententia, post decem dies, concedi queat.

Digitized by Google

Disceptatio Synoptica.

Nova audientia concedi nequit. Ex officio animadversum fuit quod tempus utile ad appellandum iuxta ius romanum erat duorum dierum in causa propria, et trium in causa aliena, cui legitima persona patrocinaretur; *l. 1, 2, 5, 6 et 11 ff. quando appell. e leg. 6 §. 5 Cod. de appellat.* Tempore sussequenti Imperator Iustinianus per *Novellam 23 cap. 1 Authen. hodie cod. de appellat.* prorogavit terminum ad dies decem indiscriminatim. Quoniam vero Innocentius III et Bonifacius VIII Iustiniani dispositiones applicuerunt causis ecclesiasticis; hinc ambigi non posse videtur tempus utile ad appellandum in iure canonico esse decem dierum a die emanatae sententiae decurrendorum.

Innocentius III equidem in *cap. XV de sententia et reiudicata* sic sese habet: « Quoad consultationem, ut infra » etc. taliter duximus respondendum, quod cum post decem » dierum spatium sententia in auctoritatem rei transeat iu- » dicatae, qui quia provocationis subsidium intra id temporis » non recurrit, appellandi sibi aditum denegavit, cum per » hoc videatur per interpretationem iuris latae sententiae » paruisse; praesertim ubi causa non redditur appellandi. » Et Bonifacius VIII *cap. 8 de appellationibus* decrevit: « Quisquis ex eis gravatum se reputans, per appellationis » beneficium gravamen illatum desideraverit revocari, intra » decem dies, postquam sciverit, si velit appellet. Post de- » cendium vero eidem aditus non pateat appellandi. Sed si » per contradictionem debitam vel alia iuris remedia pe- » tierit revocari gravamen ei, dummodo medio tempore ei » non consenserit, lapsus decendii non obsistat. » Decretum *De methodo servanda in causis apud S. Congr. Ep. et Reg. 5 Sept. 1834* sic disponit *art. XI:* « Resolutionem » s. Congregationis Emus scriptis tradit, et suo nomine ob- » signat eamque domino Secretario tradit partibus signifi- » candam. » *Et art. 12:* « Si intra decem dies pars victa

Digitized by Google

» iterum audiri postulet, Emus Relator novae audientiae
» beneficium tribuere potest. » (1)

In casu tamen appellatio haud interposita fuit; eo quod sacerdos Danjard diem certum ignoravit qua lata fuit adversa sententia. Sed hoc sibi imputari debet; nam *iura vigilantibus succurrunt, dormientibus obstant.* Quod si Emus Ponens exhibet resolutionem quaestionum Domino Secretario, *partibus significandam*. haud imponit eidem onus scribendi quocumque per diversas mundi partes, ut certiores faciat interesse habentes de secundo aut adverso quaestionis exitu. Quaelibet ex partibus litem agentibus, certam notitiam comparare sibi debet de exitu litis, ut utili tempore appellare valeat.

Huic inhaerendo normae saepe s. Cong. novae audientiae beneficium denegavit iis qui tempore utili appellationem, quacumque de causa, haud interposuerunt. Quamobrem in *Ferentina distributionum diei 1 Martii 1881* appellatio haud admissa fuit, quia Archipresbyter post decem dies appellavit, deceptus a suo agente, qui, ex errore, notitiam de favorabili sententia scripserat, dum esset adversa.

Nova audientia concedenda videtur. Ex altera vero parte animadversum fuit leges canonicas in omnibus suis dispositionibus quamdam induere aequitatem, si praecipue constet de praesente appellantis voluntate; qui *si scivisset* appellationem interposuisset a resolutione, quae clausulâ *et amplius* carebat. Etenim s. mater Ecclesia, aequitatis cultrix prae oculis habet adagium – *summum ius, summa iniuria – odia restringi et favores convenit ampliari.* –

Et id eo secius quia Bonifacius VIII citato decreto adiecit clausulam *postquam sciverit*. Sacra eadem Congregatio laenitatem potius quam rigorem sequitur, quatenus prospexerit ab exordio litis haud locum habuisse regularis procedendi forma. Exemplum ad hoc prostat in *Viterbien. peremptionis appellationis* diei 13 Iunii 1879 in qua resolutum fuit non constare de peremptione appellationis. (2)

(1) Habes hoc decretum Vol. II, pag. 439.

(2) Habes hanc quaestionem Vol. XII pag. 631.

Digitized by Google

Neque aliter disponit norma procedendi s. Cong. Concilii; quae iuxta loci, personarum aut temporum adiuncta Emo Praefecto ius tribuit appellationem concedendi, signanter super reiudicata impropria. Et re quidem vera quum art. 21 praescripserit quod peracta causae resolutione, nova audientia expetenda erit a domino Secretario per supplicem libellum infra terminum decem dierum: art. 22 autem sic disponit: Si resolutio s. Congregationis praedita sit clausulâ *et amplius*, novum experimentum ab Emo Praefecto erit expetendum, qui si censuerit id ex se concedere non posse, libellum supplicem remittet plenariae Congregationi. (1) Quamobrem si Congregatio haec, quae pari pondere et mensurâ alterius consororis Congregationis iustitiam administrat nomine Sedis Apostolicae, concedit novam audientiam, non obstante clausulâ *et amplius*, eo magis id concedit, decurso decendio, si resiudicata est impropria.

Sacrae Cong. Concilii in causa *Montis Regalis Optionis* Septembris 1811 Emus Praefectus novam audientiam concessit parti succumbenti quamvis expetita fuerit post mensem unum.

Hisce inhaerendo exemplis videretur concedi posse hoc beneficium novae audientiae presbytero Danjard, qui Romae longius immorari nequivit, ut resolutionem attenderet, deficiente pecunia, quique excogitare nequivit quod s. Congr. ita celeriter resolvisset propositam quaestionem.

Quibus, aliisque praenotatis, propositum fuit enodandum

Dubium.

An concedendum sit beneficium novae audientiae Sacerdoti Francisco Danjard in casu.

Resolutio. Sacra Cong. Ep. et Reg. re perpensa sub die 4 Iulii 1884 censuit respondere: *Negative et amplius.*

Ex quibus colliges: I. Sententiam latam atque publicatam acquirere vim rei iudicatae, si infra terminum decem

(1) Confer Vol. IX, 551 Appendix II De s. Cong. Concilii.

dierum non appellet, is qui appellare potest; quoniam aliter in sententiam consensisse videtur.

II. Quum sententia rem non ita expediat, ut totum negotium plene finitum haberi queat, per rem iudicatam tantum imponitur finis controversiis.

III. Hinc quaestio per rem iudicatam extincta nisi per restitutionem in integrum vel per concessionem beneficii novae audientiae redintegrari potest.

IV. Apostolicam Sedem, sequi in suis dispositionibus quamdam aequitatem; et ideo etiamsi terminus decem dierum expiraverit, saepe novam concedit audientiam; praecipue si de praesumpta constet appellantis voluntate, et novum experimentum spem ingerat quod modificari possit lata sententia ex noviter deductis aut alia de causa.

V. Adiuncta personae appellantis in themate ea visa esse Emis Iudicibus ut perperam concederetur nova audientia pro revisione sententiae, quoad meritum principale, quae ex deductis et rite probatis modificari nequiret; quum praesertim nil novi addatur, nec alia suppetat legitima causa.

ALATRINA

SEU ORDINIS CARTHUSIANI

SUPER VALIDITATE PROFESSIONIS RELIGIOSAE, ET FILIATIONIS.

Die 5 Septembris 1884.

Compendium facti. Enricus Radente exceptus uti monachus novitius apud Carthusiam s. Laurentii de Padula, Dionysius vocari elegit, et post novitiatus annum vota simplicia nuncupavit. Paucos sed vero post menses ab eiusmodi professione, Carthusiam auctoritas civilis suppressit, eiusque divendidit bona: ex quo factum est ut domum derelinquere coacti fuerint viri religiosi.

Dionysius vota professus simplicia pensionem a gubernio obtinere non valens, maluit asylum sibi quaerere in alium eiusdem Ordinis Conventum, quam a votis simplicibus dispen-

Digitized by Google

sari. Et re quidem vera id,a p. Priore Conventus de Trisulto exposcens, excipi obtinuit atque inter novitios illius Conventus cooptari. Ubi quatuor post annos a nuncupatione votorum simplicium, admitti quaesivit ad professionem votorum solemnium, quod eidem concessum fuit die 26 Decembris 1868 peracto scrutinio per vota secreta.

Et per alia secreta vota in eodem coetu Dionysius affiliatus fuit Carthusiae de Trisulto; ubi die 25 Ianuarii 1869 solemnem emisit professionem religiosam et ubi ad sacros ordines promotus, dein omnia exercuit iura tum activa tum passiva.

Verumtamen accidit, ut novus Prior Capitulum indiceret, ubi omnes convocavit vocales, excepto Dionysio: cuius exceptionis rationem dedit aiens: Dionysium haud pertinere ad Carthusiam de Trisulto, sed ad Carthusiam de Padula.

Dionysius ad Apostolicam Sedem appellavit exposcens declarari, an pertineret ad familiam religiosam de Padula ubi vota emisit simplicia, quaeque a sexdecim annis suppressa est, vel ad Carthusiam de Trisulto, ubi solemniter professus est post suam affiliationem.

Disceptatio Synoptica.

Ea quae adversantur dionysio. Animadversum fuit contra eiusmodi Religiosum virum haberi decretum Capituli generalis anni 1863 in quo praescribitur: « Iuniores professi, » licet ad alias transmittantur domus, in posterum rema- » neant professi domus, ubi elapso novitiatu primam pro- » fessionem emiserunt. » Hinc vi huius decreti, Dionysius qui vota emiserat simplicia apud Carthusiam de Padula, huic domui addictus permanebat, quamvis apud Carthusiam de Trisulto postea vota emiserit solemnia. Nam ut quis affiliari valeat alteri familiae requiritur consensus Conventus a *quo* et ad *quem;* Ferraris *v. affiliatio religiosorum:* « Affiliatio » Religiosorum solet frequenter fieri, cum saepe saepius re- » periantur religiosi, qui iustis de causis, eorum superioribus » benevisis, affiliantur conventibus, seu monasteriis aut pro-

Digitized by Google

» vinciis diversis ab illis, in quibus professionem emiserunt;
» quae professio operatur veram religiosam filiationem. Ad
» hoc ut huiusmodi affiliatio sit valida tria concurrere de-
» bent, scilicet licentia superioris, consensus Religiosorum
» illius conventus, cuius erat filius, et similis consensus re-
» ligiosorum alterius conventus, in quo fit affiliatio, ut notat
» Fontan. *ad Constit. Ord. Praedic. v. affiliationes. n. 4;*
» Ursaya *Instit. Crimin. lib. 4, tit. 7, n. 93.* »

Ast in casu omnia posthabita fuisse constat: nam neque Superior, neque alii religiosi, qui adhuc in vivis agebant, Carthusiae de Padula rogati de hoc consensu fuerunt; et huic facto occasionem forte obtulit violenta Conventus illius suppressio, quae tamen coram Ecclesia nullius est valoris, ex *reg. 64 in 6 ea quae contra ius fiunt debent utique pro infectis haberi.*

Non agitur enim de suppressis, sed de oppressis; hi porro ex solo facto violentiae, quam passi sunt, nihil de iuribus suis ac privilegiis amisisse censendi sunt. Qua de re cum affiliatio Dionysii facta fuerit, violando iura Patrum Carthusiae de Padula, pro infecta videtur habenda esse; quia dispensatio P. Generalis totius Ordinis haud interfuit ad defectum sanandum. Quoad solemnem professionem animadversum fuit eam posse haberi uti dubia, quia scrutinium Capituli, per quod ad professionem solemnem admissus fuit Dionysius, subiiciendum erat Ministro generali Ordinis pro explicita approbatione, quod factum non fuit.

Ea quae dionysio favent. Istius favore animadversum fuit quod illegitima non videretur professio haec solemnis ad mentem declarationis pontificiae diei 9 Decembris 1859 quae sequentis est tenoris: « Professi votorum simplicium
» licite et libere professionem votorum solemnium suo tem-
» pore emittere possint in conventu, seu domo, in qua re-
» periuntur, servatis tamen aliis de iure servandis, quin
» teneantur profiteri in domo peracti novitiatus. » (1)

(1) Quaesitum fuit: « Iuxta Const. Clementis VIII professio votorum solemnium emittenda est in Conventu Novitiatus: ad praescriptum vero legis latae

Neque uti dubia haberi posse videtur professio haec, quia Dionysius ad mentem Pianae Constitutionis emisit simplicem professionem, et cum tempus transierit, ab eadem constitutum, processit ad solemnem Ordinis Carthusiani professionem. Constitutio Pii IX diei 19 Martii 1857 ita ad rem decernit: « *Professi post triennium, a die quo vota simplicia emiserint computandum, si digni reperiantur ad professionem votorum solemnium admittantur, nisi fortasse pro aliquibus locis, uti in nonnullis indultum est, professio votorum simplicium ad longius tempus iam concessa fuerit.* »

Decretum autem *Iuniores*... anni 1863 indolem legis naturalis induere non posse videtur; ita ut nullam admittat interpretationem ullo in casu, et in diversis adiunctis. Nam clericus Dionysius translatus ad nutum eius Superiorum non fuit; sed cum aliis viris religiosis e Carthusia de Padula eiectus per civile gubernium, sponte sua se contulit apud Conventum de Trisulto: ubi petiit et obtinuit affiliari pro exercitio omnium iurium religiosorum. Et quum tempus pro solemni professione advenit, opus fuit ut a communitate exciperetur professio eiusmodi; quia saltem de facto non amplius existeret Carthusia de Padula, ubi vota emiserat simplicia.

Quamobrem sustineri posse videtur quod hoc in casu egit Dionysius nedum propter necessitatem quae lege caret; sed etiam quia dispositio decreti *Iuniores* haud consona esset conditionibus a iure communi praescriptis quoad religiosam professionem. Haec enim definitur: « *promissio libere facta et legitime acceptata, qua in debita aetate constitutus, post annum probationis expletum, se adstringit certae religioni ab Eclesia approbatae.* » Patet inde duas esse conditiones essentiales, nempe aetatem atque annum novi-

die 19 Martii 1857, professi votorum simplicium debent manere in domibus Professorii et studiorum. Hinc quaeritur an professi votorum simplicium, ut suo tempore ad professionem votorum solemnium admittantur, transferendi sint in Conventum novitiatus, vel eam emittere possint in Conventu in quo morantur? Cui dubio S. C. Ep. et Reg. dedit relatam declarationem die 9 Decembris 1859.

Digitized by Google

tiatus in Conventu designato: omnia alia vero esse accessoria, et actus nullitatem haud secum ferre.

Praeterea certum est, Dionysium patrimonio domestico nuntium misisse per iuramenti sanctitatem ante professionem solemnem. Hinc iure ali atque uti filius haberi debuit illius Conventus cuius utilitati sese consecraverat, bonisque temporalibus nuncium dederat. Nequé cogi potest victum hostiatim quaerere; cum haberi debeat ceu filius illius loci in quo votis solemnibus obstringitur. Et iustitiae haud consonaret quod suffragium Communitatis de Trisulto validum sit pro religiosa professione, quoad onera nempe implenda uti religiosus, nullius autem valoris sit pro affiliatione ad Conventum eumdem quoad iura religiosa.

Animadversum tandem fuit quod etsi generaliter pro affiliationibus expetatur consensus Conventus *a quo*, tamen regula aliquando relinqui potest iuxta adiunctorum diversitatem, ceu s. C. Ep. et Reg. rescripsit in *Albanen. 20 Ianuarii 1719:* « Sacra Congregatio etc. attentis relationibus » P. Vicarii generalis et P. Procuratoris Ordinis, ac itidem » attentis specialibus circumstantiis et rationibus benigne » remisit arbitrio eiusdem Vicarii generalis, ut oratorem » affiliet in praefato conventu, non obstante defectu consen- » suum conventus *a quo, ad quem.* »

Hisce breviter praenotatis proposita fuerunt enodanda

Dubia.

I. *An et quomodo confirmanda sit professio votorum solemnium P. Dionysii in casu.*

II. *An admittenda sit aggregatio seu affiliatio eiusdem Carthusiae de Trisulto in casu.*

Et quatenus negative

III. *An et quomodo habendus sit orator in ordine carthusiano in casu.*

Resolutio. Sacra C. Ep. et Reg. re cognita sub die 5 Septembris 1884, censuit respondere:

Digitized by Google

Ad I et II affirmative, facto verbo cum SSño. Ad III provisum.

Ex QUIBUS COLLIGES : I. Tria ad rite explendam affiliationem requiri; nempe licentiam Superioris, consensum religiosorum illius conventus, cuius aliquis erat filius, et alterius Conventus in quo fit affiliatio.

II. Per declarationem pontificiam diei 9 Decembris 1859 professos votorum simplicium licite et libere professionem votorum solemnium emittere posse in conventu vel domo in qua reperiuntur.

III. Affiliationem in themate aliquo laborare defectu, per Apostolicam Sedem sanabili; professionem vero solemnem licitam atque validam fuisse videri, quum essentialibus haud destitueretur si rite perpendantur dispositiones Pii IX *Constit. 19 Martii 1856;* et declarationem pontificiam *diei 9 Decem. 1859.*

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

AQVEN.

DUBIA quoad officia votiva.

Rm̃us Dñus Iosephus Maria Sciandra, hodiernus Episcopus Aquen. S. R. Congregationi insequentia dubia pro opportuna solutione humillime subiecit:

Ex Decreto ipsius s. Congregationis diei 23 Maii 1835, (1) in una *Namurcen.* ad X, recitatio libera alicuius Officii ad libitum fit obligatoria quum iussu Ordinarii illud affixum fuerit die non im-

(1) Opportunum censuimus referre cit. decretum:

X. An Clerici, qui obligantur ad Horas Canonicas teneantur recitare Officia votiva v. g. SS. Sacramenti, quod ex concessione sa. me. Clementis Pp. XI fieri potest Feria quinta non impedita etc., et Officium Conceptionis B. M. Virginis Sabbato non impedito etc. si iussu Ordinarii apponantur in Kalendario his diebus non impeditis? Quatenus negative, an teneantur se conformare huic Officio, si sit duplex, ut Officium Conceptionis pro Missa, et colore paramentorum, sive illud recitaverint, sive non?

Et S. C. rescripsit: « Si constet de Indulto speciali Apostolico *Affirmative* ad 1 part.; ad 2, iuxta alia sancita, posse, sed non teneri »; Die 23 Maii 1835, in *Namurcen.* ad 10. (4746).

Digitized by Google

pedito in Kalendario Diocesano. Idipsum confirmari videtur Decreto *U.* et *O.* nuperrime edito die 5 Julii vertentis anni quoad Choralem recitationem; quum post Capitularem Officiorum electionem semel pro semper factam et ab Ordinario approbatam, eorumdem recitatio fit obligatoria. E contra quoad privatam recitationem, singulis e Clero licet pro lubito Officium feriae vel Officium votivum eius diei recitare. Hinc quaeritur:

Dubium I. Utrum libera electio quoad privatam recitationem concessa coarctetur solummodo ad *Officia ad libitum* in Decreto 5 Julii citato contenta, ideoque pro Officiis antecedentibus ad *libitum*, servandum sit Decretum diei 23 Maii 1835?

Dubium II. Utrum in redigendo Ordine annuali Divini Officii debeant necne duo Officia, feriale et alterum votivum ad libitum adnotari quoties privata alterutrius recitatio singulorum arbitrio relinquitur?

Et Sacra eadem Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii omnibus mature perpensis, ita rescribendum censuit:

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Redacto Ordine Divini Officii more consueto iuxta Rubricas, addi poterit Rubrica particularis Officii votivi currentis diei.*

Atque ita rescripsit et servari mandavit die 4 Septembris 1883.



EX SACRA CONGREGATIONE INDULGENTIARUM



DUBIA quoad Benedictionem papalem.

BEATISSIME PATER

Professor Theologiae moralis Seminarii Mechlinensis ad Pedes Sanctitatis Vestrae humillime provolutus, enixe solutionem sequentium dubiorum expetit.

I. An, non obstante S. C. Indulgentiarum declaratione 23 Aprilis 1675, quae habet « Indulgentiam Plenariam in articulo mortis *in vero tantum articulo accipi,* » haec Indulgentia seu Benedictio Apostolica (quamvis in vero articulo mortis tantum lucranda ut supponitur) impertiri tamen iam potest simul ac quis versatur in periculo mortis prudenter existimato seu rationabiliter praesumpto, ita ut servari queat hic existens consuetudo eamdem concedendi,

Digitized by Google

quando exeuntium sacramenta conferuntur, sive magis urgens periculum expectari possit, sive non?

II. Quod si ad primum respondeatur negative, an saltem in dubio, utrum Benedictio Apostolica debito tempore fuerit concessa, haec, urgente magis periculo, iterari potest in eadem infirmitate, ideo quod forte prior concessio fuerit invalida ob defectum veri mortis articuli?

III. In una ditionis Belgicae 12 Martii 1855, legitur « Cum Sacra Congregatio Indulgentiarum in una Valentinen. sub die 5 Februarii 1841, sequenti dubio:

« Utrum infirmus pluries lucrari possit Indulgentiam plenariam in mortis articulo a pluribus sacerdotibus facultatem habentibus impertiendam? Resolutionem dedisset: *Negative* in eodem mortis articulo; exinde quaeritur:

« 1. Utrum vi praecedentis resolutionis prohibitum sit infirmo in eodem mortis periculo permanenti, impertiri pluries ab eodem vel a pluribus sacerdotibus hanc facultatem habentibus Indulgentiam Plenariam in articulo mortis, quae vulgo Benedictio Papalis dicitur?

« 2. Utrum vi eiusdem resolutionis item prohibitum sit impertiri pluries infirmo, in iisdem circumstantiis ac supra constituto, Indulgentiam plenariam in articulo mortis a pluribus sacerdotibus hanc facultatem, ex diverso capite habentibus, puta ratione aggregationis confraternitati SSmi Rosarii, Sacri Scapularis de Monte Carmelo, SSmae Trinitatis, etc.? »

Ad duo haec dubia iuxta collectionem Prinzivalli, quae authentica recognita fuit, Sacra Congregatio Indulgentiarum respondit:

Ad primum et secundum: *Negative,* firma remanente resolutione Valentinen. Sub die 5 Februarii 1841.

Iuxta authenticam vero collectionem, quae anno 1883 prodiit Ratisbonae, eadem Sacra Congregatio respondendum censuit:

Affirmative ad utrumque, firma remanente resolutione in una Valentinen. Sub die 5 Februarii 1841.

An hoc responsum ultimum ut authenticum habendum est, ita ut mutanda veniat praxis Sacerdotum, qui solent ex diverso capite Benedictionem Apostolicam in eodem mortis articulo pluries impertiri?

Sacra Congregatio Indulgentiarum et ss. Reliquiarum propositis dubiis respondit:

Ad I. *Standum declarationi, d. d. 23 Aprilis 1675.*

Ad II. *Provisum in primo.*

Ad III. *Servetur adamussim responsio prouti prostat in postrema editione Ratisbonensi cusa typis Frid. Pustet.*

Pro Emo Card. AL. OREGLIA A S. STEPHANO.

L. Card. BONAPARTE

Franciscus Della Volpe Secretarius.

Digitized by Google

EX S. CONGREGATIONE INDICIS

DECRETUM

Feria VI die 19 Decembris 1884.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONE PAPA XIII Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi, ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio apostolico vaticano die 19 Decembris 1884 damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, vel alias damnata atque proscripta in indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur Opera:

Siete Tratados por Juan Moltalvo en dos tomos. Besanzon, imprenta de José Jacquin, 1882.

Nouvelles études d'histoire religieuse, par Ernest Renan. Paris, Calmann Lévy, éditeur, 1884.

Auctor operis (Giuseppe Sandrini) *cuius titulus:* Saggio di letture giovanili ad uso delle scuole popolari: prohib. *decr. 23 Aprilis 1860, laudabiliter se subiecit et illud reprobavit.*

Auctor operis (Fr. Gaspar) *cuius titulus:* Der Vernunftstaat nach seinen Rechten und Pflichten: *Latine:* Status rationalis, eiusque iura et obligationes: Luxemburgi, 1883: prohib. *decr. 9 Maii 1884, laudabiliter se subiecit et illud reprobavit.*

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedictum Opus damnatum atque proscriptum, quocumque loco, et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut editum legere vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis, aut haereticae pravitatis Inquisitoribus illud tradere teneatur sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus SANCTISSIMO D. N. LEONI PAPAE XIII per me infrascriptum S. I. C. a Secretis relatis, SANCTITAS SUA Decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.

Datum Romae die 19 Decembris 1884.

FR. THOMAS M.ª CARD. MARTINELLI Praefectus.

Fr. Hieronymus Pius Saccheri Ord. Praed.
S. Ind. Congreg. a Secretis.

Loco ✠ Sigilli.

Die 22 Decembris 1884 ego infrascriptus Mag. Cursorum testor supradictum Decretum affixum et publicatum fuisse in Urbe.

Vincentius Benaglia Mag. Curs.

Digitized by Google

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

NEAPOLITANA

MATRIMONII

Die 14 Iunii 1884.

Compendium facti. Anno 1872 Aloysius Neapolitanus e paroecia s. Mariae Apparentis adamabat puellam Aloysiam, in paroecia s. Thomae ad Capuanam commorantem, cum qua etiam tractatus matrimonii iniverat. Vinculo at vero civili, quo se obstringerent, obstabat ex parte Aloysii lex civilis, utpote qui addictus militari servitio navium, uti ignis accensor vulgo *fuochista di marina*, prohibitus erat nuptias inire. Hinc matrimonio religioso animum intendentes, ut optatum effectum consequi valerent, et ne ex proclamationibus in propria paroecia faciendis, factum detegeretur, ex quo Aloysius a Duce suo se punitum iri sciebat, in paroecia s. Mariae Angelorum ad cruces domicilium habere sponsi finxerunt; nempe in domo cuiusdam Salvatoris De Marco, qui Parocho S. M. Angelorum valde notus erat, uti vir religiosus et addictus Ecclesiae servitio.

Igitur coram praefato parocho, istius artibus decepto, sponsalia inierunt Aloysius et Aloysia die 29 Iunii 1872. Expletis inde denunciationibus, Curia neapolitana relaxavit sponsis decretum *contrahatur*, coram quatuor testibus. Quo obtento, quin matrimonium in Ecclesia celebrarent, illicito contubernio operam dederunt, ex quo filius genitus est, qui adhuc vivit.

Tribus post diebus ab hoc patrato facinore Aloysius Spediam petere coactus fuit. Sed antequam discederet, miserrimae conditionis sponsae permotus, matri suae commisit, ut quemcumque iuvenem destinaret qui procuratorio nomine ma-

Digitized by Google

trimonium contraheret. Quod revera factum est, sed ultra res processit; quandoquidem iuvenis Nicolaus a matre adscitus non uti procurator, sed simulans se Aloysium cum Aloysia plene sciente et consentiente matrimonium die 21 Iulii 1872 contraxit coram Parocho S. M. Angelorum et testibus fraude ignaris.

Infra annum ab istiusmodi celebrato matrimonio, Aloysius non semel Neapolim repetiit et matris suae domo, ubi Aloysia ex tunc commorabatur, degit: donec expleto nondum anno sponsam dereliquit, non amplius ad eam reversurus. Tandem Aloysius novas inire nuptias cupiens, die 18 Septembris 1880 Curiam neapolitanam adivit exponens quod Aloysia usque ab initio maritum haud curans vitiis se dedit: ex quo fit ut matrimonii nullitas sanari nequeat. Et ideo Curiam archiepiscopalem exorabat, ut iudicium instrueretur a quo formiter exurgeret matrimonii nullitas.

Curia neapolitana processum confecit, et die 25 Aprilis 1881 per definitivam sententiam dictum fuit, matrimonium contractum ab Aloysio et Aloysia die 21 Iulii 1872 coram non proprio parocho irritum et nullum fuisse *ex capite clandestinitatis* Concilii Tridentini *Sess. 24 de Ref. Matrim.*, et *ex defectu consensus*. (1)

Interposita a matrimonii defensore ad S. C. C. appellatione a Metropolitana sententia, causa oeconomice ex benignitate SSm̃i, attenta attestatione Curiae quoad partium paupertatem, proponitur cum assuetis votis Theologi et Canonistae, una cum animadversionibus Defensoris Sacramenti, quorum damus synopsim.

Disceptatio Synoptica

Votum theologi. Matrimonium, de quo agitur, ait Theologus, fuit nullum ex capite clandestinitatis proprie dictae;

(1) Notandum venit quod Sponsalia, etsi clandestine facta, valida renunciata fuerunt ab eadem sententia, per quam damnabatur Aloysius ad solutionem 100 libellarum ratione sponsalium et deflorationis. Aloysia accepit 100 libellas omnique iuri suo renunciavit.

Digitized by Google

siquidem per Tridentinum illud matrimonium proprie est clandestinum, quod contrahitur absque praesentia parochi, vel alterius Sacerdotis de eius aut Ordinarii licentia, vel absque duobus testibus. Parochus autem proprius est ille qui tempore celebrationis matrimonii habet ordinariam iurisdictionem in contrahentes: et est parochus tum domicilii, tum quasi domicilii in quo quis versatur.

Ast neque Aloysius neque Aloysia domicilium habebant sub paroecia s. Mariae Angelorum ad Cruces; hinc nullum fuit matrimonium coram illius parochiae parocho celebratum: Matrimonium enim scienter et fraudolenter coram non proprio parocho celebrare, idem sonat ac illud sine parocho, idest clandestine celebrare. Nunc autem facile dignoscitur neque sponsam habuisse domicilium aut quasi domicilium infra limites supradictae paroeciae. Namque ambo sponsi iudicialiter et sub iuramenti sanctitate interrogati, unanimiter responderunt, non habuisse, tempore matrimonii, domicilium sub dicta paroecia s. Mariae Angelorum ad cruces; sed tantum illic fixisse domicilium, ut possent occulte matrimonium contrahere. Idem deposuerunt alii testes. Verumtamen necessarium non est urgere, matrimonium hoc nullum esse ex capite clandestinitatis, eoquod nullum sit quoque ex defectu consensus.

Certum est, ait Consultor, Aloysium numquam comparuisse coram Parocho s. Mariae Angelorum ad Cruces, ut matrimonium cum Aloysia contraheret. Ipse enim postquam obtinuit a Curia decretum quod vocant *contrahatur*, Aloysiam decepit sub praetextu quod ex tunc iam vere coniuges erant, carnaliter ipsam cognovit, ac post duos vel tres dies abivit. Hinc si per seipsum coram praesumpto proprio parocho, vel coram alio non comparuit, patet quod non potuit praebere consensum ad contrahendum necessarium. Ast consensus, regulariter praestitus, ita ad matrimonium necessarius est, ut sine ipso nullo in casu validum esse possit.

Dubitari utique nequit, multi enim id testantur, quod Aloysius antequam discederet propriae commiserit matri

Digitized by Google

munus alium inveniendi iuvenem, qui ipsum in matrimonii celebratione, procuratorio nomine, repraesentaret. Ast eiusmodi mandatum potest ne valere in supposita matrimonii celebratione? Si de regularitate aut liceitate matrimonii ageretur, tunc dubitari nequiret mandatum fuisse irregulare et absque cautelis ab Ecclesia praescriptis. Sed hic sermo est de validitate, et ideo ab aliis omnibus abstractio facienda est, dummodo essentialia ad validitatem actus inveniantur. Potuit ergo ne valide Aloysii mater, virtute mandati quod a filio accepit, alium constituere ac designare, ut filium tamquam procurator in celebratione matrimonii repraesentaret? (1)

S. Alphonsus in Morali Theologia *lib. 6 n. 885* conditiones enumerat quibus procurator valet celebrare matrimonium. Supposito autem quod Aloysius mandatum hoc matri dederit, viderentur adesse in casu saltem substantialia pro validitate matrimonii initi per procuratorem; nisi deficeret consensus debite ac valide expressus coram Parocho et testibus. Revera iuvenis ille, quem mater Aloysii invenit, et cui commisit onus repraesentandi filium in celebratione matrimonii, non comparuit uti Aloysii procurator, sed se esse Aloysium finxit. Neque ostendit, neque se habere mandatum parocho manifestavit, ceu requiritur. Quod autem ita factum fuerit, tum attestationes comprobant, tum regestus matrimoniorum paroeciae s. Mariae Angelorum ad Cruces.

Hinc parochus deceptus fuit quoad personam; nam dum putaret habere in sui praesentia, in actu celebrationis matrimonii, Aloysium, revera ille qui aderat erat Nicolaus. Neque refert quod Aloysia, testes et omnes qui aderant scirent Nicolaum non esse sponsum, sed sponsi procuratorem;

(1) Conveniunt Theologi et Canonistae quod procurator potest etiam alium subdelegare, si a mandante habeat expressam licentiam. Non censetur autem in hoc casu quod ista persona subdeleganda debeat a mandante ipso individualiter designari. Qua de re, iuxta Canonistas, mandatum quod Aloysius dederat matri suae deputandi iuvenem, qui eius nomine ageret in celebratione matrimonii, esse poterat regulare, si iuvenis deputatus non esset progressus ultra mandatum, agendo nempe nomine proprio.

Digitized by Google

nam id scire debebat etiam parochus ad actus validitatem. Postquam Tridentinum *cap. de reformat. matrimonii* determinavit necessariam esse parochi praesentiam ad hoc, ut matrimonium valide contrahatur, necesse est quod consensus in matrimonium coram ipso ita exprimatur, ut ipse parochus de praestito consensu testificari possit. Licet enim Parochus, etiam coactus matrimonio praesens, reddat ipsum suâ praesentiâ validum; haec tamen praesentia debet esse moralis; ita nempe ut parochus ipse intelligat vel saltem videat id quod agitur. Quia ipse, ut Canonistae et Theologi innuunt, nedum est testis, sed testis principalis, et qualificatus; et ideo sicut defectus trium vel saltem duorum testium matrimonium invalidum redderent, etiamsi parochus regulariter esset praesens; ita etiam et a fortiori, reddit invalidum matrimonium defectus praesentiae parochi. Ast in casu de quo agimus nullus consensus fuit expressus coram parocho; nam non expressit Aloysius qui aberat, neque Nicolaus qui non expressit consensum Aloysii sed proprium. In praesenti casu frustratur Tridentina sanctio, quae iubet invalidum esse matrimonium absque parochi et testium praesentia, ne ultra celebrarentur matrimonia quae Ecclesiae constare non possent.

Insuper docet Bonacina *quaest. 3 de natura et proprietatibus matrimonii punct. 5 n. 11* quod procurator in exprimendo consensu vice et loco mandantis debet uti verbis exprimentibus sese contrahere loco et vice alterius, non proprio nomine.

Ex dictis, ait Consultor, satis probata manet nullitas matrimonii.

Votum canonistae. Posthabita quaestione de validitate sponsalium, animadvertit Consultor, sibi inquirendum esse tantum de matrimonio, cuius nullitas scatet ex actis quae probant huiusmodi matrimonium clandestinum fuisse, utpote initum a contrahentibus coram parocho non proprio, idest neque domicilii neque quasi domicilii eorumdem.

Sponsi enim et testes declararunt neutrum unquam ha-

Digitized by Google

bitasse ubi degebat Salvator de Marco, qui falso retulit parocho s. Mariae Angelorum contrahentes domi suae habitare. Ex actis quoque constat contrahentes numquam pristinum domicilium dereliquisse, aut derelinquendi animum habuisse, illudque alio transferendi; sed tantum simulandi domicilium intra fines paroeciae Angelorum , ut ibi contraherent ubi essent ignoti.

Nullitas autem huius matrimonii haud ostenditur tantum ex capite clandestinitatis, sed etiam ex alio capite; nempe ex defectu consensus. Siquidem nec ipse Aloysius per se ipsum adfuit celebrationi matrimonii, neque dici potest per alium, idest per procuratorem, adfuisse. Non ipse Aloysius adfuit qui tunc temporis Neapoli aberat, ut ex actis certissime constat. Sed dici nequit matrimonium per procuratorem initum fuisse; etenim nullum extitit mandatum in scriptis, non speciale ac determinatum, numquam Curiae aut Parocho aut testibus exhibitum. Attamen quidquid sit de mandato, quum mandatarius Nicolaus ageret in celebratione matrimonii ceu verus Aloysius, hinc sequitur quod Parochus et testes matrimonio adsistentes non fuerunt testes iuxta formam a Tridentino praescriptam, eo quod consensus haud praestitus fuit certo ac legitimo modo.

Animadversiones defensoris s. vinculi. Ex omissionibus quamplurimis Curiae archiepiscopalis in instruendo processu collegit defensor sibi haud adlaborandum fuisse, ut demonstraret sententiam eiusdem Curiae omnino infirmandam, utpote omni fundamento destitutam. Quoniam vero uterque Consultor putavit duplex caput nullitatis, cui innititur dicta sententia, satis probatum fuisse ex actis processualibus, sibi proposuit vindex ad examen revocare quid colligi ex processu posset.

Et quoad clandestinitatem, animadvertit vindex, viri matrem, sororem et coniuges ipsos deposuisse numquam eosdem incoluisse paroeciam s. Mariae Angelorum. Sed de his quid est sentiendum? Vir est actor in causa, uxor pariter uti in causa propria censeri debet ; etenim nihil est sollicita de

Digitized by Google

matrimonii validitate, sed proprii eiusque filii honoris penitus immemor ad lucrum captandum unice intendit. Ceterae feminae sunt consanguineae, quarum testimonium, ait, idoneum esse potest in casibus in quibus agitur de impediendo matrimonío, de impedimento probando etc. non autem quando agitur de dissolvendo iam contracto. Praeterea testimonia eorumdem sunt omnino reiicienda, quia variis implicantur contradictionibus. Hisce tamen non obstantibus stat quod Aloysius et Aloysia penes parochum s. Mariae Angelorum sponsalia inierunt constituentes sibi domicilium ad effectum matrimonii contrahendi, domum sitam intra fines illius paroeciae. Stat ulterius quod uterque in ea domo per aliquod tempus commorati sunt. Quid ergo amplius desideramus, ut praedictum parochum iure appellemus parochum proprium contrahentium, ad mentem Concilii *in cap. Tametsi?* Neminem sane latet *parochum proprium*, penes quem matrimonii sacramentum celebrari debet, non esse tantum parochum domicilii, proprie dicti, sed etiam parochum quasi domicilii. Hoc retinent doctores omnes, tradidit Sacra Congregatio Concilii et docet Benedictus XIV in Epistola *Paucis ab hinc hebdomadis die 19 Martii 1758* ad Archiepiscopum Goanum.

Testis, ait Consultor, asseruit domicilium fuisse simulatum; et referens mentem coniugum prouti ab eisdem acceperat, nullum tamen retulit factum ex quo argueretur simulatio. Insuper quid coniuges insimulaverunt in casu? animumne vel factum habitationis? neutrum sane, quia teste ipso fatente, in dicta paroecia reapse commorati sunt, et animum habuerunt tamdiu saltem manendi, quamdiu opus esset, ut matrimonium coram eo parocho celebrari posset. De quasi domicilio autem gravissimum adest testimonium prolatum ab Aloysio Miele, cui Curia commiserat ut de domicilio, quod coniuges ante matrimonium habuerunt, sedulo inquireret. Ast de hoc testimonio nihil curavit neapolitana Curia, et fidem adiunxit testibus, qui reiiciendi erant, utpote pluribus exceptionibus obnoxii. Actor autem ad evincendum

Digitized by Google

matrimonii nullitatem ex defectu consensus, contendit sese celebrationi matrimonii haud interfuisse, seque inscio et invito, quemdam Nicolaum, sui personam simulantem, consensum praestitisse. Ast, quaesivit defensor, curnam Neapolitana curia Parochum, testes, et ipsum Nicolaum, qui adhuc vivit, non interrogavit? Et sane credibile ne est, parochum accepisse Nicolaum pro ipso Aloysio, quem paucis ante diebus viderat, adlocutus fuerat, audierat denique sponsalia coram se ineuntem cum Aloysia?

Cum ergo processus eiusmodi multiplici laboret vitio, cumque deficiat concludens et iuridica probatio factorum, quibus innititur sententia Curiae neapolitanae, hinc eadem omnino infirmanda est.

Omnibus igitur mature perpensis, sequens diluendum propositum fuit

Dubium

An sententia Curiae archiepiscopalis quoad matrimonii nullitatem sit confirmanda vel infirmanda in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re disceptata sub die 14 Iunii 1884, censuit respondere: *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.*

EX QUIBUS COLLIGES. I. Matrimonium clandestinum illud proprie dici, quod contrahitur absque praesentia parochi, vel alterius Sacerdotis de eius aut Ordinarii licentia, vel absque duobus testibus.

II. Parochum proprium, ad validam adsistentiam eum esse qui celebrationis matrimonii tempore, habet ordinariam iurisdictionem in contrahentes sive ex domicilio sive ex quasi domicilio.

III. Ad domicilium legale constituendum requiri factum habitationis cum animo illam perpetuo tenendi; ad quasi domicilium requiri, ut contrahens habitaverit spatio saltem unius mensis in loco ubi matrimonium celebrat; sic enim cognitus fit ab incolis illius loci ac quasi concivis.

Digitized by Google

IV. Hinc nulliter agere qui discedendo a loco suae habitationis, absque animo eam derelinquendi, ad aliam se conferant paroeciam, cum solo animo illic matrimonium celebrandi.

V. Nullitatem matrimonii ex capite clandestinitatis, seu ex deficientia parochi proprii in themate, per quamplurimas testium depositiones probatam fuisse.

VI. Per procuratorem confici posse matrimonium tum ratione contractus tum ratione sacramenti, neminem ambigere: dummodo procurator, praeter alia, ostendat mandatum Parocho et testibus, et verbis utatur quibus innuat sese contrahere vice alterius, non nomine proprio, dicendo ex. gr. recipio te in uxorem nomine Titii... (1)

VIII. Etsi in themate, forsan dubitari non possit de regularitate mandati, quum tamen Parochus deceptus fuerit quoad personam sponsi, sanctio Tridentina frustratur, quia Parochus testificari nequit de praestito consensu.



CAPUTAQUEN.-VALLEN.

PRAESTATIONUM

Die 12 Iulii 1884.

COMPENDIUM FACTI. Caputaquensis civitas, postquam labente saeculo duodecimo vetus Caputaquium direptum atque ab hostibus penitus eversum fuit, licet protinus instaurari

(1) Procurator debet uti verbis, quibus innuat sese contrahere nomine et vice alterius non proprio nomine ceu innuit Bonacina *quaest. 3 de natura et proprietatibus matrimonii punct. 5 n. 11* - ibi -: « Quaeres secundo quaenam verba adhibenda sint a Procuratore, quando contrahit matrimonium nomine alterius? Respondeo adhibenda esse ista verba: recipio te in uxorem nomine Titii, vel Titius accipit te in uxorem, me mediante: similiter femina respondere debet: ego, te mediante, duco Titium: hoc enim pacto sufficienter exprimitur consensus de praesenti. » Ita Covarruvias *2 part. c. 4 n. 8 et* Lacroix *lib. 6 part.2 n.259.*

Digitized by Google

coepta fuerit, numquam tamen praesto habuit ea, quae pro episcopali residentia, atque decore opportuna, et necessaria omnino esse debent. Eius insuper cathedralis Ecclesia, sub invocatione B. Mariae Virginis in coelum Assumptae, remotis temporibus extructa, duo fere passuum millia a civitate aberat; et cum canonicalibus destitueretur praebendis non solum quotidiana etiam divinorum officiorum celebratione, sed formali Canonicorum collegio carebat. Ex quo factum est ut quisque illius Episcopatus Antistes alibi pro lubitu suo, non sine maximo incommodo, gravique in spiritualibus negotiis detrimento residere consueverit.

Quapropter istiusmodi Episcopatus dignitati, meliorique eorum Christifidelium regimini prospicere cupiens s.m. Pii IX, adhibitis aliquot Abbatiarum supprimendarum bonis et redditibus, residentiam superius memorati Antistitis cum cathedrali Ecclesia, Capitulo, Curia et Seminario dioecesano in civico oppido, vulgo *Vallo* nuncupato, constituere iudicavit. Quod reapse perfecit per apostolicas litteras « *Cum propter iustitiae dilectionem* etc. » die 16 Iulii 1851, motu proprio, ex certa scientia et ex plenitudine potestatis datas.

Verum inter suppressas Abbatias, quae sic noviter constituto Episcopatui incorporatae fuerunt, reperiebatur Abbatia nullius dioecesis, vulgo *del Bosco*, quae una cum nonnullis ipsius oppidulis et omnibus redditibus ac iuribus ideo Caputaquensi Mensae episcopali adsignata fuit, ut ex ea praesertim constitueretur congrua dotatio pro Cathedralis fabrica et Sacrario.

Ex quinque oppidulis, quibus antea constituebatur Abbatia – del Bosco – tria sequentia i. e. vulgo *Eremiti*, *S. Nicola*, *S. Nazzario* dioecesi Caputaquensi et Vallensi adsignata fuerunt, aliis duobus *Bosco* vel *Borgo S. Giovanni*, et *Cusati* vel *Licusati* Policastrensis dioecesis territorio addictis. Paroeciae vero in singulis hisce oppidulis erectae, iam ante extinctionem Abbatiae, licet non in eadem proportione, omnes tamen quamdam pecuniae vim quotannis ab Abbatia percipiebant pro cultus expensis et Parochorum congrua.

Digitized by Google

Extincta subinde anno 1851 Abbatia, eiusque bonis Mensae episcopali caputaquensi attributis, statim Parochi praedictarum paroeciarum penes Episcopum caputaquensem institerunt ut eum adigerent ad solutionem perficiendam earum praestationum, quas iugiter ab Abbatia percipere consueverunt. Episcopus vero amore pacis, ut ait, illorum annuens petitioni praefatas annuas praestâtiones solvit usque ad annum 1860, et dein, hoc tempore Episcopo in exilium pulso, usque ad annum 1876 illas exsolvit regius Suboeconomus. Ast anno 1867, redditibus antiquae Abbatiae imminutis, praelaudatus Episcopus ad suam Sedem reversus, a supradicta solutione facienda destitit.

Imminutio autem redditnum Abbatiae locum habuit ex praescriptione censuum, quibus praecipue redditus eiusdem constituebantur. Lex enim praecipiebat ut omnes canones, census, praestationesque cuiuscumque generis, pertinentia ad corpora moralia regni Neapolitani, signarentur in quodam elencho, qui titulum constituere debebat adstringendi debitores morosos in iudicio, quique renovari vel prorogari debebat quolibet trigesimo anno sub poena praescriptionis. Cum igitur elenchus censuum pertinentium ad antiquam Abbatiam - del Bosco - mense Ianuario 1859 renovatus non fuerit, debitores, cognito anno 1866 huius novae inscriptionis defectu, canonum et censuum solutionem detrectarunt.

Hisce tamen non obstantibus, praefati Parochi assuetas praestationes ab Episcopo Caputaquensi acriter reclamarunt, qui ad scandala vitanda quamdam amicalem compositionem cogitavit. Quamvis enim maior pars reddituum, Abbatiae - del Bosco - ex censibus et canonibus obveniret, nihilominus etiam aderant nonnulla praedia tum rustica, tum urbana ad eamdem Abbatiam pertinentia, quae, conversione a Gubernio peracta, salvam adhuc relinquebant Mensae episcopali annuam summam 3,663 libellarum. Hanc igitur summam Episcopus Caputaquensis, deductis oneribus, in sex inaequalibus partibus dividere sibi proposuerat, et priori ac pinguiori Mensae episcopali reservata, alias vero quinque partes pro

Digitized by Google

rata distribuere inter quinque Parochos praefatos. Hanc episcopi propositionem excipere noluerunt parochi loci Bosco et Licusati subiecti iurisdictioni Episcopi Policastrensis. Episcopus caputaquensis id pernoscens, compositionem illico retractavit asserens se obligatum non esse ad praestationum solutionem, tum quia bona suppressae Abbatiae exclusive addicta fuerunt Mensae episcopali, tum etiam quia hodie vix, aut ne vix quidem, eidem integra remanet congrua episcopalis.

Disceptatio Synoptica

Iura mensae episcopalis. Cum igitur in vim harum Apostolicarum litterarum omnia et singula bona suppressae Abbatiae - del Bosco - una cum omnibus iuribus et redditibus, tributa fuerint Caputaquensi Mensae, absque ulla limitatione, quia nulla unquam mentio in illis occurrit oneris alicuius vel fructuum reservationis; cumque notum sit verba indistincte et generaliter prolata, indistincte et generaliter intelligenda esse *L. 1 de pretio ff. de publicia. L. 1.* § *quod autem ff. de alea. L. 1* §. *generaliter ff. de Legat. praest. Cap. Solite de maior. et obed.;* sponte sua sequi videtur bona ac redditus Abbatiae, ita Mensae episcopali addicta esse, ut exclusa omnino remaneat qualiscumque eorumdem fructuum praestatio.

Neque obiici posse videtur rem transiisse cum suis oneribus, Pontificemque praesumi non posse voluisse iuribus Parochorum suis litteris praeiudicare. Quandoquidem ad primum responderi potest, existentiam oneris Abbatiae praefatas praestationes solvendi, valde dubiam reddi ex silentio Apostolicarum litterarum, diei 16 Iulii, in quibus nulla vel minima mentio occurrit de obligatione solvendi praecitatas praestationes. Praeterea nec ipsi Parochi docent naturam tituli iuris, quod sibi tribuunt: et ideo quamvis titulus probari posset ex longaeva praestationum observantia, ad *text. in L. Cum de in rem verso ff. de usuris; et in L. Si certis annis C. de pact. et text. in Cap. Pervenit de cen-*

Digitized by Google

sibus, tamen si constaret de initio infecto, haec regula amplius non valeret.

Ceterum admissa etiam iusti tituli existentia favore Parochorum, ad secundum responderi potest, praesumptionem cedere debere veritati, et regulam de iure quaesito non tollendo, non valere quando Papa, motu proprio et ex plenitudine potestatis, eidem expresse derogaverit, ad tradita per Fagnanum *in Cap. Causam quae 18 de rescript. num. 35*, cum Rota apud Caesar. de Grass. *dec. 9 alias 3 de Rescript. et dec. 1 num. 10 de verb. signif.* quae decisiones fuerunt multoties approbatae, *Seraph. dec. 1082 n. 6 et seqq.*

Quod autem Pontifex in casu huic regulae derogaverit etiam pro peculiaribus hisce Parochorum iuribus, non immerito supponi posse videtur ex effraenatis verbis, quibus Pontifex ipse suarum litterarum executionem commendavit.

Implicite itaque videtur Pontifex etiam iuribus Parochorum, si quae aderant, derogasse per amplissimas has clausulas: non enim necessaria est specifica derogatio ubi per viam legis, dispositio emanat. *L. Omnes C. de quadr. praescr.; Clem. 1 cum Gloss. fin., et Clem. 2 vers. Nos etenim, de sepulturis.* Posse autem Pontificem rem uni Ecclesiae auferre et dare alteri, explorata res est, ex *Cap. Conquestus, Cap. Nec vero et Cap. Per principalem 9 quaest. 3 Gloss. in Cap. 1 in vers. Iniustitiam 22 distin.*

Verum concesso etiam quod per citatas Apostolicas litteras derogatum non fuerit iuribus Parochorum, altera ratio ob quam hodie Episcopus caputaquensis teneri haud videtur ad praefatas praestationes solvendas, poni debet in eo quod eidem integra non remaneat congrua a ss. Canonibus Episcopis assignata.

Nota siquidem est dispositio Conc. Trid. in *Sess. 24 Cap. 13 de Reform.* decernens ut: « omnes Cathedrales » Ecclesiae, quarum redditus summam ducatorum mille.... » secundum verum annuum valorem non excedunt, nullis » pensionibus, aut reservationibus fructuum graventur; » quam dispositionem omnes DD. ita interpretantur ut ne-

Digitized by Google

queat talibus episcopalibus Mensis qualiscumque fructuum reservatio imponi, ita Flamin. Paris. *de resignat. lib. 6 quaest. 2 n. 24 et seqq.;* Garcias *de benef. part. 1 cap. 5 n. 393;* Azor. *instit. Moral. p. 2 lib. 7 v. 21 qu. 8;* Barbosa *in Collat. ad Conc. Trid. Sess. 24 cap. 13 n. 12.*

Quod adeo verum est ut etiamsi pensiones vel reservationes iam impositae sint, haec reduci vel omnino deleri debent quando congrua 1000 ducatorum, ex diminutione vel cessatione reddituum, salva non remaneat pro Episcopo, ceu patet .ex Decreto S. Congregationis EE. et RR. - *Cum nuperrimis - diei 28 Ianuarii 1871.* (1) Quod autem haec verba Decreti taxative intelligenda sint, ita ut manente pro Mensis episcopalibus dumtaxat redditu Ducatorum 1000, cessare debeat in Titularibus obligatio solvendi pensiones, ipsamet S. Congr. EE. et RR. declaravit *in Romana, quoad reductionem et suppressionem pensionum, diei 30 Maii 1873.* (2)

Porro redditus Mensae episcopalis caputaquensis, post imminutionem sequutam ex praescriptione censuum ad eam pertinentium, non ascendere ad summam 1000 Ducatorum ipsemet Episcopus pluries docuit.

Probata igitur tenuitate imo et deficientia congruae episcopalis, optime concludi posse videtur, hodie Episcopum caputaquensem haud teneri ad solutionem praestationum ob cessationem suae obligationis. Proindeque nihil etiam officit quod primus Episcopus caputaquensis eas solverit statim post unionem usque ad annum 1860: siquidem tunc temporis integros Abbatiae redditus percipiebat et salvam congruam habebat. Ceterum uterque Episcopus fatetur praestationes illas persolutas fuisse solo amore pacis, ac titulo charitatis.

Nec aliquid contra huiusmodi conclusionem facere videtur id quod a Parochis insinuatur; nimirum non culpâ Gubernii, sed potius culpâ Episcopi caputaquensis, census Mensae epi-

(1) Habes hoc decretum Vol. VII pag. 325.
(2) Recole Vol. VII, 328.

Digitized by Google

scopalis praescriptos fuisse; quandoquidem culpam hanc non solum defunctus verum etiam hodiernus Episcopus excludunt dicentes, non sibi sed administrationi et commissioni dioecesanae onus renovationis titulorum incubuisse. Dum vero nemo sine culpa debet puniri, aut iure suo privari, vel damno affici, *arg. Cap. Sine culpa de Regul. iuris in VI.*

IURA PAROCHORUM. Ex alia vero parte duo Parochi Policastrensis dioecesis, toti in eo sunt ut demonstrent, Episcopum Caputaquensem teneri ad solutionem illarum praestationum, quas iugiter ab Abbatia - del Bosco - perceperunt. Sane cum Mensa abbatialis talibus oneraretur praestationibus favore Parochorum, quod et ipsi Episcopi caputaquenses ultro admittunt; cumque per unionem et incorporationem Abbatiae, Mensa episcopalis caputaquensis in iuribus et privilegiis eiusdem successerit, Fagnanus *in Cap. Novit. num. 3 et 8 Ne Sede vacan.* Schmalzgr. *Part. 1 tit. 5 de Praeb. n. 161* cum aliis ab iisdem citatis; consequens est ut etiam in eiusdem oneribus succedere debeat; proindeque ut antea Abbas, nunc Episcopus teneatur ad praefatarum praestationum solutionem. Res enim transire cum suis oneribus compertum est in iure, Rota *in Romana census 14 Ianuarii 1602 cor. Damasceno, et dec. 60 num. 4 part. 1 Recent.;* nec personae mutatione obligationum natura immutatur, *ad text. in L. 2 ff. de vera. oblig.* Constant. *Vol. dec. 369 num. 7.* Rota *dec. 46 num. 25 part. 5 et dec. 413 part. 9 Recent.* Atque huius conclusionis veritatem confirmarunt initio tum Episcopus ipse caputaquensis, qui usque ad annum 1860 praestationes illas exsolvit; tum regius Suboeconomus, qui usque ad annum 1866 ab earum solutione non destitit.

Neque dicatur, per Apostolicas litteras die 16 Iulii 1851 hisce Parochorum iuribus fuisse derogatum, atque Episcopum caputaquensem amore pacis tantum solutionem perfecisse. Quandoquidem quoad primum animadvertendum est, quod cum in illis litteris iuribus Parochorum non fuerit expresse et specifice derogatum, hoc facile praesumi non debet; nam

Digitized by Google

queat talibus episcopalibus Mensis qualiscumque fructuum reservatio imponi, ita Flamin. Paris. *de resignat. lib. 6 quaest. 2 n. 24 et seqq.;* Garcias *de benef. part. 1 cap. 5 n. 393;* Azor. *instit. Moral. p. 2 lib. 7 v. 21 qu. 8;* Barbosa *in Collat. ad Conc. Trid. Sess. 24 cap. 13 n. 12.*

Quod adeo verum est ut etiamsi pensiones vel reservationes iam impositae sint, haec reduci vel omnino deleri debent quando congrua 1000 ducatorum, ex diminutione vel cessatione reddituum, salva non remaneat pro Episcopo, ceu patet .ex Decreto S. Congregationis EE. et RR. - *Cum nuperrimis - diei 28 Ianuarii 1871.* (1) Quod autem haec verba Decreti taxative intelligenda sint, ita ut manente pro Mensis episcopalibus dumtaxat redditu Ducatorum 1000, cessare debeat in Titularibus obligatio solvendi pensiones, ipsamet S. Congr. EE. et RR. declaravit *in Romana, quoad reductionem et suppressionem pensionum, diei 30 Maii 1873.* (2)

Porro redditus Mensae episcopalis caputaquensis, post imminutionem sequutam ex praescriptione censuum ad eam pertinentium, non ascendere ad summam 1000 Ducatorum ipsemet Episcopus pluries docuit.

Probata igitur tenuitate imo et deficientia congruae episcopalis, optime concludi posse videtur, hodie Episcopum caputaquensem haud teneri ad solutionem praestationum ob cessationem suae obligationis. Proindeque nihil etiam officit quod primus Episcopus caputaquensis eas solverit statim post unionem usque ad annum 1860: siquidem tunc temporis integros Abbatiae redditus percipiebat et salvam congruam habebat. Ceterum uterque Episcopus fatetur praestationes illas persolutas fuisse solo amore pacis, ac titulo charitatis.

Nec aliquid contra huiusmodi conclusionem facere videtur id quod a Parochis insinuatur; nimirum non culpâ Gubernii, sed potius culpâ Episcopi caputaquensis, census Mensae epi-

(1) Habes hoc decretum Vol. VII pag. 325.
(2) Recole Vol. VII, 328.

Digitized by Google

scopalis praescriptos fuisse; quandoquidem culpam hanc non solum defunctus verum etiam hodiernus Episcopus excludunt dicentes, non sibi sed administrationi et commissioni dioecesanae onus renovationis titulorum incubuisse. Dum vero nemo sine culpa debet puniri, aut iure suo privari, vel damno affici, *arg. Cap. Sine culpa de Regul. iuris in VI.*

Iura parochorum. Ex alia vero parte duo Parochi Policastrensis dioecesis, toti in eo sunt ut demonstrent, Episcopum Caputaquensem teneri ad solutionem illarum praestationum, quas iugiter ab Abbatia – del Bosco – perceperunt. Sane cum Mensa abbatialis talibus oneraretur praestationibus favore Parochorum, quod et ipsi Episcopi caputaquenses ultro admittunt; cumque per unionem et incorporationem Abbatiae, Mensa episcopalis caputaquensis in iuribus et privilegiis eiusdem successerit, Fagnanus *in Cap. Novit. num. 3 et 8 Ne Sede vacan.* Schmalzgr. *Part. 1 tit. 5 de Praeb. n. 161* cum aliis ab iisdem citatis; consequens est ut etiam in eiusdem oneribus succedere debeat; proindeque ut antea Abbas, nunc Episcopus teneatur ad praefatarum praestationum solutionem. Res enim transire cum suis oneribus compertum est in iure, Rota *in Romana census 14 Ianuarii 1602 cor. Damasceno, et dec. 60 num. 4 part. 1 Recent.;* nec personae mutatione obligationum natura immutatur, *ad text. in L. 2 ff. de vera. oblig.* Constant. *Vol. dec. 369 num. 7.* Rota *dec. 46 num. 25 part. 5 et dec. 413 part. 9 Recent.* Atque huius conclusionis veritatem confirmarunt initio tum Episcopus ipse caputaquensis, qui usque ad annum 1860 praestationes illas exsolvit; tum regius Suboeconomus, qui usque ad annum 1866 ab earum solutione non destitit.

Neque dicatur, per Apostolicas litteras die 16 Iulii 1851 hisce Parochorum iuribus fuisse derogatum, atque Episcopum caputaquensem amore pacis tantum solutionem perfecisse. Quandoquidem quoad primum animadvertendum est, quod cum in illis litteris iuribus Parochorum non fuerit expresse et specifice derogatum, hoc facile praesumi non debet; nam

Digitized by Google

princeps nunquam censetur velle praeiudicare, et tollere ius tertii, *L. 2 §. Si quis a Principe ff. ne quid in loc. pub. et in Cap. Ex parte 2 in fin. Cap. Super eo de off. de-leg.;* De Luca *de Feudis disc. 27 n. 6 de Iurisdict. dict. 41 n. 6;* Fagnan. *in Cap. Super litteris de Rescript. n. 20;* quod praecipue procedit in Papa, ob eius regulam de iure quaesito non tollendo, De Luca *de Praem. disc. 40 num. 4, de Iurisd. disc. 70 n. 16* et Fagnan. in Cap. *Cum olim de Sent. et reiud. num. 23.*

Nec implicite illis iuribus derogasse Pontifex videtur per adiudicationem factam bonorum Abbatiae favore Mensae episcopalis, et per appositionem clausularum derogatoriarum Apostolicis litteris. Siquidem haec generaliter adiecta et dicta videntur, ad effectum nimirum obtinendi suppressionem Abbatiae eiusdemque unionem et incorporationem cum Mensa episcopali caputaquensi; minime vero ut derogaretur peculiaribus iuribus quaesitis super Abbatiae bonis, cum haec iura unioni et incorporationi non opponerentur, nec eas impedirent. Derogatio enim quantumvis generalis, non ampliat dispositionem, sed intelligitur pro illius validitate quoad ea, quae impediunt illius effectum, Bald. *in L. unica §. fin. in fin. C. latin. libert. tollen.;* Felin. *in Cap. Nonnulli num. 22, 16 conclus de Rescript.;* Rota *dec. 104 num. 5 part. 2 Rec.*

Quod autem attinet ad imminutionem reddituum Mensae episcopalis caputaquensis provenientem ex praescriptione titulorum censuum, praeprimis notandum videtur quod cum Episcopus caputaquensis potuerit et debuerit illam impedire, sibi imputari debet si quod potuit et debuit facere, non fecit. Iniquum enim est ut unius negligentiâ alter gravetur, cum negligentia seu culpa sua sibi cuique imputari debeat, *L. in condemnatione §. unicuique ff. de reg. iur. L. subtracto C. de furt. L. transactione finita C. de transact. Cap. mora sua, in V.*

Praeterea dato etiam quod redditus Mensae episcopalis caputaquensis, citra Episcopi culpam, diminutionem passi

Digitized by Google

fuerint, heic tamen invocari posse non videtur, in favorem Episcopi Decretum - *Cum nuperrimis* -. Et re quidem vera si Episcopus ex una parte congrua caret, ex alia, hac etiam de causa Parochi conqueruntur. Res etiam demum confirmatur ex ipsa Episcopi caputaquensis confessione, qui sermonem habens de praestationibus singulis Paroeciis, antea constituentibus Abbatiam - del Bosco - debitis, pro Paroeciis loci Bosco et Licusati aperte fatetur, illas pro Parochorum congrua complenda, solvendas esse. Si igitur amplius hae praestationes non solverentur, congrua necessario deficere deberet.

Porro cum congrua 100 ducatorum in vim eiusdem Decreti - *Cum nuperrimis* - salva debeat esse Parochis, omnino, prono alveo fluit Decretum huiusmodi invocari non posse ab Episcopo contra Parochos. Exploratum siquidem est privilegiatum contra privilegiatum privilegio uti non posse, Tiraquell. *De privil. priv. 26 fol. 43 col. 2 vers. Cum privilegiatus;* privilegia enim inter privilegiatos conquassantur et attenditur ius commune, ad tradita per Ioan. Bapt. de Thoro *in Summa privil. piar. caus. priv. 118,* et De Luca *de Legat. disc. 61 n. 7.*

Tenebitur igitur Episcopus caputaquensis praestationes solvere, eo vel magis quia, teste Episcopo policastrensi, certum videtur Gubernium, in assignatione redituum episcopali Mensae facienda, rationem habuisse de illis.

Hisce ex utraque parte animadversis, sequens propositum fuit dirimendum

Dubium

An Episcopus caputaquensis et vallensis teneatur duobus Parochis policastrensis Dioecesis, annuas praestationes persolvere in casu.

Resolutio. Sacra Cong. Concilii, re cognita sub die 12 Iulii 1884, censuit respondere: *Affirmative pro rata residuorum redituum.*

Ex quibus colliges. I. Tum ex Tridentina sanctione,

Digitized by Google

tum ex dispositione decreti *Cum nuperrimis* Episcopis integram servandam esse congruam portionem mille, parochis vero centum ducatorum.

II. In themate Episcopi et Parochorum congruam haud pertingere mille neque centum ducata, ita ut neque prima neque altera pensionibus imminui potuisset.

III. Privilegiatum contra aeque privilegiatum uti haud posse suo privilegio; quia privilegia inter privilegiatos ad nihilum rediguntur, ita ut inter eosdem ius commune attendendum sit.

IV. Quamobrem in themate rite resolutum fuisse onus permanere Episcopo annuas solvendi praestationes Parochis quibus integra non erat portio congrua; verum ob aequitatem indultum est ut hae praestationes exhiberentur pro rata residuorum redituum.

PRAENESTINA

MATRIMONII

Die 12 Iulii 1884.

Compendium facti. Placidus Sordi annorum vigintiquatuor e terra Gallicani, die 20 Februarii matrimonium in paroeciali Ecclesia dictae terrae contraxit cum puella Laetitia Cicerchia e Praeneste, annorum septemdecim, quae suae adversae voluntatis perplura argumenta exhibuit. Siquidem ad has nuptias invita et reluctans impulsa fuisse a matre videtur, quae divitiarum aeque ac pietatis studio agebatur, erga filios auctoritate et imperio potens, loquacitate mirabilis, familiae Sordi opibus omnino capta.

Hinc ipso nuptiarum die, dum Laetitia pecteretur et lugeret duas alapas mater eidem impegit: mox renuens omnino, duabus propinquis comitantibus, currum ascendit Gallicanum profectura, ut matrimonium celebraret. Huc cum pervenerit, adstante hora celebrationis, viro ad altare iam genuflexo, accessum illuc Laetitia retardavit adeo ut opus fuerit verbo et manu eam excitari. Ex fide tamen celebrationis matri-

Digitized by Google

monii constat consensus manifestationem, verbo factam ex parte amborum sponsorum, minime defuisse. Sed, ut Laetitia postea declaravit, consensum ex eo repetendum, quod animus sibi abfuit pronunciandi particulam negantem, eo vel magis quod extra patriam, et coram Archipresbytero Sordi, Placidi avunculo, sisteret.

Civilem postea coeremoniam peragere sponsi non omiserunt. Verum nuptiali convivio expleto, Romam petierunt et triduo ibi commorantes maritale debitum, ob aversionem in virum mulier, uberes in lacrymas profluens, constanter denegavit. Mox ad patrios lares cum sponso reversa durae se subiiciens sorti, ceu ipsamet confessa est, viro petenti cessit. Verum frustra omnino. Quandoquidem vir penis erectione et conatu quolibet omnino carens, vas muliebre penetrare haud valuit umquam, licet repetitis vicibus id perficere aggressus fuerit.

Neque aliquid profuit susceptum medicorum consilium et opera, neque industria saepius a muliere tentata per spatium trium annorum et ultra. Vir enim inspectus a Medicis repertus fuit plenâ affici impotentiâ coeundi. Mulier vero honestae obstetrici et Medico subiecta, ex utriusque sententia fuit proclamata incorrupta.

Interea temporis Laetitia die 21 Martii 1881 sacratissimum Principem adivit, ut dignaretur declarare nullum matrimonium ab ipsa cum Placido contractum tum ex defectu consensus, tum ex impotentia viri antecedenti et perpetua; sin minus concedere dispensationem a matrimonio rato et non consummato. Laetitiae preces maximopere commendavit Emus Episcopus; qui insuper testatus est mulieris depositionem omnimodam mereri fidem: nam eiusdem virtus et luculentissima pietas atque honestas, qua usque ad praesentem diem effulsit, veracitatis eius non leve vadimonium suppeditant.

Ex benignitate SSmi causa oeconomice proposita fuit cum requisitis votis Theologi et Canonistae et animadversionibus Defensoris Vinculi, quorum synopsim damus.

Digitized by Google

Disceptatio Synoptica.

Votum canonistae. Canonista in suo voto posuit praeprimis propositionem quod ex actis iam constaret, consensum mulieris fuisse vi metuque coactum, adeo ut initum matrimonium irritum ac nullum remanserit. Ut id demonstraret ait: post doctores etiam s. Rota *cor. Ludovisi dec. 326 num. 1* tradit: « Prudens iudex non tenetur » tantum examinare qualitatem et an adsit metus gravis » et levis et an concurrant minae et violentiae expressae » vel deficiant, sed magis magisque circumstantias, condi- » tionem personarum tam inferentis, quam patientis, si filius » sit suavis ingenii, timidus et pusillanimis, honestis opti- » misque moribus praeditus, parentum voluntati vere sub- » ditus et metu patris simulatum contraxisse matrimonium » exponat; tunc iudex nullum et irritum huiusmodi matri- » monium iudicare debet, etiamsi paternae minae et violen- » tiae expressae non intervenerint. » Metus itaque cadens in costantem virum pensandus ac metiendus est non ex natura rei, seu ex eius gravitate vel levitate in se, sed ex persona, cui incutitur. Quod enim viro forti ac periculis assueto foret leve, alteri viribus impari, praesertim puellae, evadit gravissimum et intollerabile; ideoque metus est pensandus ac metiendus sensu relativo, ceu dicunt canonistae.

Persona autem, cui in themate metus fuit incussus est puella decem septem annos nata, docilis, valde timida, suavis, maximâ reverentiâ et amore singulari erga matrem affecta, devota, moribus integerrimis, ac summâ religione dotata. Haec omnia perpendendo unacum ingenua confessione puellae quoad antecedentia, concomitantia et consequentia eius matrimonium, indubitanter colligi posse videtur, mulierem passam fuisse coactionem, ac metum cadentem in constantem virum.

Nec ulla adest suspicio quod depositiones puellae amplificatione laborent, quia testes septimae manus uno ore non solum confirmarunt, verum etiam sub sanctitate iuramenti

Digitized by Google

praecisis circumstantiis et adminiculis eas ingenue ex facto proprio, utpote oculares et auriculares deposuerunt.

Ex hisce depositionibus probantur matris preces importunae, continuae, instantissime et saepissime inculcatae: adest in casu persona, cui debetur reverentia, nempe mater; imo mater cui resisti non potest. Habentur autem in Laetitia metus reverentialis, amor et maximum obsequium erga matrem, pusillanimitas et timiditas. Ast Canonistae cum Sanchez *lib. 4 disp. 7 n. 5, 7, 8* tradunt: « preces importunas una cum metu reverentiali, ut si sint personae cui » debetur reverentia, incutere metum cadentem in constantem virum. Cum enim ex una parte importunitas, cuiuscumque sit, valde urgeat, ne dicam vexet et opprimat; » et ex altera parte reverentia personae petentis debita, » pusillanimem ac timidum, nec audentem contradicere, rogatum reddat, merito ac iure optimo utraque metuendi » causa coniuncta, prudentem ac constantem coget ipsiusque » consensum extorquebit. Monuerim tamen non quoscumque » preces assiduas, importunas dici, sed quae sunt instantissimae et saepius repetitae et inculcatae. »

In casu nostro haec omnia verificantur; etenim nedum habentur preces importunae, continuae, instantissimae et saepissime inculcatae cum metu reverentiali coniunctae, verum etiam severae increpationes. Quae minae gravissimae ac valde terribiles sunt puellae; cum genialis viri consortio etiam privarent, felicemque statum ei impedirent, utpote inducentes privationem spei et successionis bonorum. Nec defuisset quidem matri capacitas huiusmodi minas exequendi: indole enim erat tenaci et resoluta; minisque alapae et verbera adiuncta fuerunt. Habentur protestationes saepissime repetitae, et lacrymae et lamentationes. Ast tradunt canonistae cum *Cosci De Sep. tori lib. 1 cap. 8 n. 72 et seq.* quod « sufficit ad annullandum matrimonium metus qualificatus aut importunis precibus et suasionibus, quae emissae a persona, cui resisti non possit vim habent coactionis; aut minis praecisis, percussionibus, increpationibus assiduis, et

Digitized by Google

saepius repetitis, ac gravioribus circumstantiis. » Idem censuit Rota *decis. 301 n. 22 et decis. 334 n. 10 part. 11 recent.*

Sed maiora adsunt argumenta ad evincendam veram coactionem in puella: nam tanta fuit tristitia et angor in ipsa, ut in gravem inciderit morbum. Etiam ipsa die matrimonii pallor et tristitia evidenter detinuerunt puellam, adeo ut omnibus visa fuerit potius ad funus quam ad imenaeum ire. Ast *s. Rota decis. 406 part. 18 tom. 2 recent. n. 8,* ex lacrymis et querelis tam ante, quam ipso actu matrimonii bene arguitur consensus non liber sed coactus et meticulosus, ut in *decis. 326 n. 40 et seq.* coram Gregorio. Hinc arguit Consultor: si ex lacrymis, querelis et ex pallore eruitur consensus non liber, sed coactus et meticulosus, multo magis colligitur ex angore, poenis et infirmitate Laetitiae.

Etsi autem puella coram Parocho expressit consensum, tamen ingenue fassa est, se in illo actu tali agitatam fuisse confusione, ut nesciret an vere consenserit: certum tamen esse, omnia tum quoad internum, tum quoad externum a se peracta fuisse aegro animo. In ingenua puellae confessione vidimus verificatum *Cap. cum illud: « per timorem dicat sibi placere quod odit et sequatur exitus, qui de invitis solet nuptiis provenire.* » Consensum puellae in themate non fuisse sufficientem ad contrahendum patet ex eo quod defuit *plena securitas* ex iure requisita, ceu conditio essentialis; et quod confusio puellae, proveniens ex repugnantia et ex maxima animi perturbatione in actu contrahendi, nequit conciliari cum pleno consensu.

Quod revera defuerit plenus consensus puellae in actu matrimoniali revelant ea quae sequuta sunt matrimonium, seu *exitus malus qui de invitis solet nuptiis provenire.* Et revera Laetitia primis noctibus noluit matrimonium consummare, et prae dolore in continua animi angustia versabatur; nulla erga maritum signa exhibuit benevolentiae, sed magnam in eum enutrivit aversionem. Ex mera igitur reverentia in matrem, nempe ad evitandam eius indignationem

Digitized by Google

matrimonio copulata est puella. Neque obstat quod mater haud adfuerit in actu matrimonii; nam ex s. Rota metus iam semel illatus, adhuc perdurare praesumebatur. Respectu autem matris iniustus adest metus et cadens in virum constantem, quando *mater sit austera solitaque minas exequi; tunc enim etiam metus reverentialis illi debitus, aeque ac in patre praesumitur, cum utrique parenti ob reverentiam filia displicere timeat; Sperelli decis. 75 n. 71.*

Nec huiusmodi matrimonium validatum fuisse per trium annorum cohabitationem certum est: quia ex Tridentino necesse est, ut contrahatur coram parocho et testibus. Tandem animadvertit consultor, quod testes omnes deposuerint de facto proprio, quippe spectatores fuerunt quando mater impellebat importunis precibus, suasionibus, minis, increpationibus et alapis filiam. Nulla igitur haesitatio superesse potest; ex *cap. 14 « cum locum non habeat consensus ubi metus vel coactio intercedit. »*

Quaesivit autem Consultor an matrimonium, de quo agitur, dici queat nullum etiam ex capite impotentiae viri. Ut quaesito responderet sibi opus esse, ait, dirimere quaestiones nempe: an ex actis iudicialibus constet: 1. quod coniuges insimul habitaverint per trium annorum spatium, et incubuerint operi nuptiali: 2. quod non potuerint simul commisceri, ac proinde matrimonium inconsummatum extiterit: 3. quod impotentia viri sit antecedens et perpetua, si non absolute, saltem relative ad Laetitiam.

A prima exordiendo quaestione ait: quod coniuges in themate cohabitaverint et operi nuptiali incubuerint ipsi coniuges iuramento firmarunt et testes septimae manus, prouti requiritur ex *cap. fin. de frigid.* Mulier adiecit etiam adhibuisse industriam ut coadiuvaret virum suum ad consummandum matrimonium, sed frustra. Et quamvis Curia episcopalis habere nequiverit iuramentum Placidi ob eius contumaciam, habetur tamen eiusdem confessio extraiudicialis; cum ipsemet declaraverit peritis, ab auctoritate civili designatis ad inspiciendum eius corpus, se plurima tenta-

Digitized by Google

mina fecisse ad consummandum matrimonium, sed semper sine effectu. Idem confirmavit septima manus ex parte Placidi contumacis; et ideo dubitari nequit quod ipsi coniuges saepe operi nuptiali incubuerint.

Gradum ultra faciens consultor ait: ex actis iudicialibus certo constat de inconsummatione matrimonii in themate; nam ex iuris dispositione hoc probatur per testes et per corporis aspectum. Et primo ipsi coniuges inconsummationem fatentur; mulier apud tribunal ecclesiasticum, vir extraiudicialiter. Etiam nonnulli testes septimae manus ex parte Placidi retulerunt audivisse ab eodem, eum numquam potuisse matrimonium consummare. Testes septimae manus iureiurando unanimiter confirmarunt veracitatem Laetitiae, et omnes retinent inconsummatum fuisse matrimonium cum Placido. Habetur tandem inspectio corporis mulieris ad tramites iuris exacte absoluta. Et quoad hoc adesse, ex concordi omnium peritorum iudicio, in muliere omnia physica virginitatis signa; quibus innixi affirmarunt eiusdem virginitatem. Ad rem Sanchez *lib. 7 disp. 109 n. 5.* « Satis » est ad hoc, quamvis signa non sint omnino evidentia, et » necessario concludentia, si sint verisimiliter evidentia. » Nam ea tantae efficaciae sunt, ut nulla expectata mora, » sed adhibito solo iuramento matronarum, coniugum ac » septimae manus propinquorum, efficiant declarari matri» monium irritum... »

Ex actis tandem iudicialibus, collegit Consultor, impotentiam viri esse perpetuam, nisi absolutam saltem respectivam, et matrimonium antecedentem. Neminem latet extrema impotentiae coeundi, quae iure optimo irritum atque nullum constituunt matrimonium, duo esse praecipua: nempe ut impotentia sit perpetua et antecedens. Nihil vero interesse an haec impotentia perpetua et antecedens sit absoluta vel respectiva, sit naturalis vel accidentalis. Huiusmodi duo extrema verificari in impotentia Placidi testantur imprimis periti in medicina, qui ipsum inspexerunt ex commissione eiusdem Placidi parentum et alii periti qui pariter eum

inspexerunt auctoritate civili, ad quam mulier recursum habuit ut solveretur civiliter eius matrimonium. (1) Eamdem confirmarunt rem testes *septimae manus*, inter quos patronus et mater Placidi.

Recensita peritorum relatio quoad impotentiam Placidi est concludens, ait Consultor, apud Canonistas ad firmiter statuendum eam esse incurabilem et perpetuam, et matrimonium praecedentem. Re enim vera periti in praefata relatione, et testes deposuerunt remedia, seu medicamina Placidum adhibuisse ad curandam suam impotentiam. Ast Canonistae omnes attendentes illam iuris dispositionem *cap. fratern. de frigid. et malefic. Impedimentum illud non erat perpetuum, quod praeter divinum miraculum per opus humanum, absque corporali periculo potuit removeri; tradunt cum Pontio lib. 7 cap. 60 n. 4. Impotentia perpetua erit, quae nullo remedio licito secundum ius et aequitatem tolli potest.* Ex his concludere fas est, impotentiam esse perpetuam, et matrimonium praecedentem; eoquod periti et testes in eadem relatione affirmarunt impotentiam Placidi esse intrinsecam et naturalem.

Tandem Consultor derelinquens viam iustitiae, aggressus est semitam gratiae quaerendo, an iustae et honestae intercedant causae pro exposcenda dispensatione matrimonii rati et non consummati. Et hasce adesse omnino graves evincere studuit edicens: prae aliis dispensationis causis maxime elucet dubium circa valorem matrimonii. Et in themate dubium hoc censetur nedum grave, sed gravissimum; quia illud ex duplici oritur capite; nimirum ex defectu consensus ex parte mulieris, et ex capite impotentiae ex parte viri. Alia dispensationis causa habetur in repugnantia invincibili et aversione

(1) Quando mulier quaesivit ab auctoritate civili ut suum matrimonium cum Placido invalidaretur, tres periti deputati fuerunt pro inspectione corporis; qui retulerunt Placidum ineptum ad coeundum. Etsi haec inspectio et depositio sit extraiudicialis, tamen magni valet apud forum ecclesiasticum, et iure recensita fuit inter acta processus. Ex contumacia enim viri haberi nequivit inspectio ad normam sacrorum canonum.

Digitized by Google

mulieris in virum: et alia est timor atque periculum fornicationis cum interitu animae unius vel utriusque coniugis.

Votum theologi. Praemissâ facti specie Theologus notavit, contumaciam viri qui sexies citatus obsequi ecclesiasticae auctoritati recusavit: et pervicaciam patris, quorum operâ deterriti fuisse videntur alii testes. Hinc retulit Iudex Curiae episcopalis ad testimonium *septimae manus absolvendum valde* sibi laborandum fuisse. Contra mulier eiusque consanguinei et affines ob animi docilitatem, observantiam et perspicuitatem in narrationibus, omni commendatione dignos sese exhibuerunt.

Deinde quaesivit qua libertate Laetitia coniugium inierit; et primo notavit quod ab anno 1871 parentes utriusque sponsi agere coeperunt de hoc filiorum connubio; quo tempore Placidus iam aetate undecim annis Laetitiae anteibat. Ut vero mater primum filiae hoc suum consilium pandidit, haec statim aversum animum manifestavit, utpote quae Placidi animi corporisque dotes probe cognoverat. Constat enim ex medicorum testimonio, ab infantia morbum insanabilem eius invasisse nervos, dorsum incurvum fecisse, tarditatem ingenii attulisse, stuporem et debilitatem linguae. Ast mater, quasi de re iam firmissime stabilita, animo obfirmato quotidie iterabat contentiones, loquacitate indefessa, incredibili tenacitate, et materna auctoritate non solum, sed herili imperio propositum urgebat: et addebat se numquam commissuram, ut divitiis familiae Placidi alius potiretur.

Iamvero puellam repugnantem, matrem vero constantissime instantem testes passim confirmarunt; ita ut, praeter iuges obiurgationes, minis et alapis usa fuerit. Frater ipsius Laetitiae, qui cogebatur a matre, eadem ratione, sororem Placidi invitus ducere uxorem, domum reliquit paternam, quo non rediit nisi post initum cum alia coniugium.

Neque omittendum, matrem toto anni curriculo, per novum fraudis genus, litteras dedisse ad sponsum, nomine filiae; et filiam iugi affectam anxietate ob iuges matris

Digitized by Google

obiurgationes in febrim incidisse; quo tempore, affirmavit, a Deo petiisse mortem ut matrimonium devitaret. Deposuerunt quoque testes de pietate puellae, de summa erga matrem reverentia et amore, et de infirmiori indole illius si conferatur cum indole matris. Pavebat enim si aliquantulum iratam vidisset matrem, deficiebat animus, et in cubiculum ad fletum et ploratus se recipiebat, denique exhorrebat si vel levem matri molestiam se posse afferre suspicaretur.

Perpendit autem Consultor num libertatis defectus talis iudicandus sit, ut iure naturae aut metu rescindendum reddiderit coniugium illud. Et imprimis, ait ille, nemo dubitat, mutuam consensionem necessariam esse ad contrahendum. Obligationes autem ex consensu exortas, irritas esse, si consensus deficiat omnes iuris regulae clamant. Iam consensus importat, uti docet s. Thomas 12 q. 16 ar. 2 *applicationem motus appetitivi ad aliquid.* Quanam ergo ratione dicat quis consensisse illam, quae non modo numquam appetiit sed constantissime abhorruit ab eo quod approbare compulsa sit? quae omni malo graviorem aerumnam putavit esse coniunctionem illam de qua, paulo ante dixerat sese malle coniungi vespilloni quam Placido? Dum contra, ex sententia doctorum, perfectius voluntarium ad matrimonium requiratur quam ad quoslibet alios contractus. Nec enim agitur de re alienanda, sed de ipsa contrahentis persona alteri tradenda perpetuo iure, et ut ait divus Thomas *Sup. q. 47 art. 6 agitur de servitute perpetua.* Concludebat ex his defecisse in themate consensum, non ex vi physica sed ex vi morali aut ex metu reverentiali ex quo puellae libertas ita labefacta fuit, ipsaque tantâ iniuriâ affecta, tali curarum pondere oppressa, ut nullus unquam constans vir graviori metu malorum affici potuerit. Quae enim aerumna magis metuenda excogitari posset, quam matrem infensam, furentem, odium capitale adversus se gerentem? matrem inquam, quae in domo, imperio poene tyrannico dominaretur quoties aliquod consilium sibi in animo destinasset; cui ipse vir refragari vix aliquando auderet?

Digitized by Google

Puella vero aestuans, animo multa secum consilia agitabat, quo posset acerbam necessitatem declinare; nunc fugam cogitare, fratris exemplo, sed timebat ne id familiae dedecori esset, nunc virginum Collegium ingredi. Parvus illius animus perfugium ac tutelam quaesivit, declinandi matrimonium causâ, sed non invenit: ideo laedendi reverentiam adversus matrem eiusque offensionem incurrendi timore correpta, trahitur potius quam ducitur, veluti ad supplicium, ad Ecclesiam; lugens ante altare veluti convulsa *unam syllabam* profert, aegre ac singultim, ac in tanta mentis perturbatione, ut ne ipsa quidem statuere possit, an interno animi consensu oris verbum expresserit.

Ex quibus deduxit Consultor, matrimonium, de quo agimus, irritum fuisse iure naturae ob defectum consensus. Nemini profecto videri potest leve malum quod Laetitia tamdiu pertulit et metuebat a matre; quia concurrunt in hac causa conditiones omnes, quibus Doctores metum definiunt. Erat enim iniuste illatus, probabiliter timendus, incussus a comminante, qui et solitus sit exequi, nec facile alia ratione cavendus. Qua de re *ex cap. cum locum de sponsal. cum locum non habeat consensus ubi metus vel coactio intercedit* et gravis iniuria infelici puellae illata sit; pertinet ad Ecclesiam, iustitiae vindicem, ut ius restituatur indigne laesum a matre, quae divitiis, non homini filiam tradebat. Quoad Placidi impotentiam, ait, hanc evincere plusquam triennale experimentum, eamdem confirmant medicorum consultationes et iudicia; ita ut nulla umquam curatione fieri posse, ut Placidus idoneus evaderet ad rem habendam cum virgine. Hinc conclusit Consultor, huiusmodi sponsos dissociari debere ex triplici capite: nempe ex defectu consensus in sponsa, ex impotentia viri, sin minus absoluta saltem respectiva, tandem ex integritate sponsae.

Animadversiones defensoris matrimonii. Quamvis, ait iste, iis quae ad matrimonii nullitatem adstruendam congesta sunt, aliqua probandi vis non desit, tamen non eiusmodi sunt, ut concludentissima argumenta efficiant, qualia in causis

Digitized by Google

matrimonialibus omnino requiruntur. Et re quidem vera ex duplici capite matrimonii nullitatem adstruere Laetitia conata est: 1. ex eo quod consensum ad matrimonium ipsa libere non elicuit, ob gravem metum sibimet a matre incussum: 2. ex eo quod Placidus Sordi impotentiâ antecedente et perpetuâ ad copulam maritalem explendam laboraret. Quod metum attinet non negamus matrem suasionibus, et quandoque etiam increpationibus usam fuisse, ut filiam ad matrimonium cum Placido ineundum induceret; at negamus metum illum iniustum et gravem fuisse easque conditiones secumferre, quae omnino requiruntur ut validitati matrimonii officiant. Sane actrix ipsa fassa est, neminem fuisse, excepta matre, qui eamdem ad matrimonium urgeret contrahendum. Liquet insuper ex testibus, huc redire coactionem maternam, quod verbis insisteret ut filia Placido nuberet, et quod semel ipsa depalmaverit. Alapas vero nullum influxum habuisse in matrimonium patet, quia puella nuptiis mox celebrandis iam acquieverat. Sed neque ex importunis maternis instantiis gravitas metus adstrui potest. Cum enim gravitas haec pendeat praesertim ex pondere mali instantis, quod animo patientis metum obiicitur, nemo est qui non videat, nullum in casu grave damnum Laetitiae imminuisse siquidem matri morem gerere detrectasset. Ceterum Sperelli *dec. 75 n. 15, 16, 22* docet, metum filiae de matris ira talem non esse, qualis requiritur, ut in constantem virum cadere dicatur, et propterea non esse de comprehensis in corpore iuris. In iure enim exploratum est non in omni verbusculo et increpatione parentum haberi metum, qui gravis dici possit. Contra ex matrimonium antecedentibus, concomitantibus, et subsequentibus non spernenda argumenta eruuntur, quae libertatem matrimonii in tuto collocant.

Ante matrimonium Laetitia, quin obstacula congereret ut praeliminares negotiationes in irritum cederent, plura egit quae negotiationes ipsas fovebant. Sed non minoris ponderis sunt quae matrimonii celebrationem subsequuta sunt: pacifice enim per plures annos Laetitia cum viro suo cohabi-

Digitized by Google

tavit, et ipsa fatente, nedum se debito coniugali explendo facilem exhibuit, sed nulli pepercit industriae ac labori, ut matrimonium consummaretur. Quae omnia satis innuunt, Laetitiam nullatenus habuisse uti irritum, ex defectu consensus, matrimonium cum Placido initum, et insuper metum, si unquam intercesserit, purgatum fuisse, et pacificâ triennialì cohabitatione et copulâ maritali libere positâ.

Loquens autem de matrimonii nullitate, ex capite impotentiae viri, ait: duplex profertur argumentum ut ex hoc capite nullum probetur matrimonium: scilicet arguitur tum ex facto integritatis mulieris, tum ex iudicio peritorum. Verum esto quod Laetitia sit adhuc virgo; ex hoc tamen sequitur solum quod matrimonium sit inconsummatum. Ast Placidus semper declaravit, matrimonium haud fuisse consummatum, quia mulier modis omnibus, vi etiam adhibitâ, ipsum repellebat, quoties congressum maritalem aggrediebatur.

Sed non meliori exitu ab actrice profertur iudicium medicorum ad astruendum, matrimonium consummari nequivisse ob viri impotentiam. Nam periti retulerunt: « penis, iuxta naturae leges, omnino perfecte se habet: testiculi structuram aliquanto abnormem praeseferunt; nihilo minus haud invenitur talis materialis abnormitas, quae carnalem copulationem impedire queat. » Attamen medicorum iudicium huc sistere non debuit; quapropter sibi solvendum proposuerunt dubium an Placidus *dinamice* etiam potens esset, scilicet an gauderet nec ne tali penis erectione, qua muliebre vas penetrare et semen ibi effundere valeret. Quocirca periti omne experimentum praetermiserunt: maluerunt enim in negativam sententiam devenire ex eo quod mulier sit adhuc integra, et ex eo quod trium annorum spatio coniuges uno et eodem lecto semper cubaverint et omnem operam navaverint ut matrimónium consummarent, effectu tamen numquam sequuto.

Verum, ait Vindex, ex duplici hoc facto impotentia perpetua et incurabilis probari nequit: etenim, positâ impotentiâ,

Digitized by Google

recte argumentatur pro matrimonii inconsummatione, sed non e converso; quia haec duo non ita necessario nectuntur, ut posita inconsummatione, recte argumentari possit ad impotentiam. Animadvertit etiam non certo colligi ex medicorum attestatione, assertam Placidi impotentiam matrimonio praeextitisse, et quod pluris est incurabilem omnino esse. Ipsi abstinuerunt a definiendo an huiusmodi impotentia a nativitate sit, an postea supervenerit: et si quidem postea an matrimonii celebrationem antecesserit, vel fuerit subsequuta. Quoad vero perpetuitatem, seu incurabilitatem impotentiae, non quidem sententiam, sed opinionem potius protulerunt, qualem sibi efformarunt ex facto cohabitationis, et inconsummationis matrimonii. Contra quam *meram opinionem* medicorum stant aetas adhuc florida Placidi, nec non valida eius constitutio. Quisquis ideo videt ex simplici coniectura medicorum, minime evinci Placidi impotentiam; quum favor matrimonii exigat, ut quousque concludentissima argumenta contra eiusdem existentiam non afferantur semper pro eius valore ac firmitate pronunciari debeat.

Attamen posito quod Laetitia adhuc virgo sit, et matrimonium inconsummatum; praesto ne est causa sufficiens pro dispensatione obtinenda? Doctores omnes docent, Pontifices semper usos esse facultate dispensandi super matrimonio rato ad Ecclesiae regimen, ad commune bonum, ad gravissima ac publica mala avertenda; sive rixas et caedes inter familias praecavendas, quae ex male ominatis connubiis oriri solent. Quo posito, facile deprehenditur causam sufficientem in themate non haberi pro dispensatione matrimonii rati; quia omnia haec non adsunt. Et si aliquod dissidium adest inter familias sponsi et sponsae, huius facti causa est, quia Laetitia domo viri sui, proprio marte aufugiens, iugum matrimoniale modis omnibus conata est excutere. Redeat Laetitia ad virum suum qui eam avet, et omnis discordiae causa remota fuerit.

Quoad periculum incontinentiae, ait Consultor: cum nemo ausus sit absolute affirmare viri impotentiam; cumque de

Digitized by Google

impotentiae perpetuitate et incurabilitate adhuc non constet, nulla lex prohibet ut more coniugum vivant, et ad opus maritale explendum incumbant.

Quibus praemissis, propositum fuit diluendum

Dubium

I. *An constet de nullitate matrimonii in casu.*

Et quatenus negative,

II. *An sit consulendum SSmo pro dispensatione matrimonii rati et non consummati in casu.*

Resolutio. Sacra Congregatio Concilii, re cognitâ sub die 12 Iulii 1884, censuit respondere : Ad I. *Affirmative, vetito viro transitu ad alias nuptias, inconsultâ s. Congregatione. Ad II Provisum in primo.*

Ex quibus colliges: I. Matrimonium quod, duce natura initur, perfici pleno contrahentium consensu; qui sit liber et a gravi coactione et metu immunis.

II. Nuptias, quae singularem constituunt contractum, ex mutuo contrahentium amore partium, gravia secumferre onera ex iure divino; quorum princeps est vinculum perpetuum, quo contrahentes ligantur.

III. Hinc nuptiae omnem physicam et moralem pressionem repellunt; quia consensus extortus cum eiusmodi gravi pressione, nullam habet naturalem proportionem cum oneribus quae ex nuptiarum natura promanant in contrahentes.

IV. Et ideo ipso facto, ipsoque iure naturae, nuptiae huiusmodi nullae sunt; atque in foro externo tantum indigent Iudicis operâ, qua irritae declarentur, non vero ut irritentur.

V. Iudicem non teneri tantum examinare an adsit metus gravis vel levis, et an concurrant minae et violentiae expressae; sed etiam circumstantias, conditionem personarum tam inferentis, quam patientis metum; nempe si filius sit suavis ingenii, timidus et pusillanimis, parentum voluntati vere subditus, qui exponat metu parentum simulatum contraxisse matrimonium.

Digitized by Google

VI. Puellam in themate Ordinarius omnesque inducti testes referunt ingenii suavem, timidam, pusillanimem et omnino obsequentem matri, quae imperio potens in filios erat propositi tenax et tyrannica ratione domi imperans.

VII. Doctores tradere, preces importunas una cum metu reverentiali, incutere metum cadentem in constantem virum, et sufficientem ad irritandum matrimonium, quia hoc notabiliter minuit libertatem.

VIII. Impotentiam, quae matrimonium irritat, perpetuam esse debere matrimoniumque antecedere, sive illa sit absoluta vel respectiva, naturalis vel accidentalis.

IX. In themate impotentiam viri duo haec extrema possidere haud ambigi posse videtur, post peritorum et testium depositiones; ex quibus evincitur eamdem incurabilem esse, et matrimonium praecessisse, utpote quae sit naturalis et intrinseca.



BONONIEN.

COMMUTATIONIS VOLUNTATIS

Die 9 Augusti 1884.

Per summaria precum.

Compendium facti. Clotildes Frati mulier Bononiensis 70 annorum, quae non modo aetate, sed et infirma valetudine laborat, exposuit se usque ab anno 1839 dotem 20 scutatorum, ex haereditate cuiusdam Herculis Loiani, consequutam esse sub hac lege, ut sortem eiusque fructus consequeretur quum primum vel matrimonium iniret, vel votorum solemnium professionem in aliqua religiosa domo emitteret.

Porro haec mulier ad hanc usque aetatem nec alicui nupsit, nec religionem ingressa est: solummodo elapso anno habitum tertii Ordinis s. Francisci induit, ac Februario mense huius anni professionem, iuxta regulas eiusdem Ordinis, emisit. Modo autem petit, ut, attenta sua misera con-

Digitized by Google

ditione, ac professione recens emissa, facultas sibi fiat consequendi dotem, superius memoratam, eiusque fructus.

Archiepiscopus retulit haeredem fiduciarium haereditates Loiani nihil deduxisse pro aut contra eiusmodi petitionem. Testificavit insuper Antistes oratricis preces veritati niti; et recoluit quod si puella quaevis, dote donata e vivis decedat quin nuptias iniverit, nec monasterium ingressa fuerit, eidem, in capitale scut. 20, substituitur alia, necessaria requisita praeseferens; et fructus maturati tempore quo a praedefuncta frui potuissent, accrescunt fructibus aliarum dotium, quae in Monte Matrimoniorum depositae sunt.

Disceptatio Synoptica.

Dos deneganda videtur. Porro haec in themate consideranda praeprimis occúrrunt, omnem conditionem debere esse impletam, ut legatarius, vel haeres, vel alius quivis, cui sub conditione quid est relictum, illud petere possit. *L. Si ita stipulatio ff. de O. d. L. Cum ad 37 ff. de rebus creditis. Text. in Leg. 71. Si post mortem ff. de Legatis. L. 40 §. Quidam De condition.* Quod maxime obtinet si agatur de conditionibus potestativis; s. Rota R. *coram Durand. decis. 339 num. 61, 62; coram Falconerio De Fideicommissis decis. 60 num. 4; et de iure patron. Decis. 8 num. 2.*

In casu autem nostro conditio apposita est a testatore, quae suspendit traditionem dotis usque ad ingressum Religionis, vel ad matrimonium iam contractum: et haec conditio quae quidem potestativa est, minime impleta fuit. Ergo dotis traditio minime peti et concedi posse videtur. Quod si fieret, testatoris voluntas violaretur, quae ceteroquin sancte servanda est, ut omnia iura clamant.

Imo et tertii iura laederentur, siquidem, iuxta ea quae habet Ordinarius, et dos 20 scutatorum cederet alii puellae, et fructus eius accrescerent ceteris iam dote donatis. Itaque hae ex precum Oratricis admissione, aliquid certe paterentur.

Digitized by Google

Nec valet dicere, Clotildem professionem quamdam emisisse; testator enim solemnem requirit, quae praecludat viam ad alium ulteriorem statum. Itaque professio tertii Ordinis proficere non videtur.

Dos CONCEDENDA VIDETUR. Verumtamen haec dicta esse videntur iuxta iuris rigorem. Si enim aequitas attendatur preces audiendae forsitan forent. Recoli enim debet, conditionem potestativam pro impleta haberi quoties impleta fuisset, si poterat; Ulpian. *L. 8* §. *Quoties de condit. iustitut.* ex *L. Uter ex fratribus 20 ff. de condit. instit.; L. Cum annum 1 Cod. de instit. et subst.* S. Rota R. *Decis. 35 num. 9 p. 4 tit. 1.* Imo conditio potestativa, sub qua quis est institutus haeres; adimpletur faciendo id totum quod in se est pro illius adimplemento, S. Rota Rom. *apud Merlino decis. 552 n. 2.*

Atqui in casu nostro impossibile est adimpleri a muliere conditionem institutionis. Nam ipsa cum paupertate laboret et iam septuagesimum aetatis annum attingat, nec matrimonium contrahere potest, nec professionem religiosam emittere. Igitur conditio ut impleta censeri debet: eo vel magis quod mulier emittendo professionem Tertii Ordinis totum fecit quod potuit.

Praeterea meminisse oportet tristis conditionis oratricis: digna est enim commiseratione mulier senio ac infirmitatibus confecta: cui quamvis testamenti litera foret contraria, supponi non inconcinne potest, testatoris intentionem favere, hodie praesertim post aliquam professionem emissam meliori, quo potuit modo.

Hisce animadversis, quaesitum fuit quid esset respondendum mulieris petitioni.

RESOLUTIO. Sacra Cong. Concilii, re cognita, sub die 9 Augusti 1884, censuit respondere: *Non expedire.*



Digitized by Google

EX SACRA RITUUM CONGREGATIONE

ORDINATIO QUOAD SACRAM MUSICEN.

Illm̃o e Rm̃o Signore

Nell' intento di apportare un efficace rimedio ai gravi abusi, che si sono introdotti nella Musica sacra in varie chiese d'Italia, si è compilato il Regolamento annesso alla presente lettera circolare, il quale per cura della *Società di S. Cecilia* coll'accordo dell'autorità ecclesiastica ha preso già inizio nelle Arcidiocesi di Napoli, di Milano, ed altrove. Tale regolamento ha ottenuto dal regnante Sommo Pontefice piena approvazione.

Pertanto il sottoscritto nel recare ciò a notizia della S. V. Illustrissima e Reverendissima, viene ad invitarla a darsi premura, perchè ancora nelle chiese di cotesta Diocesi siano accolte le norme contenute in esso Regolamento, come quelle che servono a mantenere nella sua maestà e santità una sì importante parte della sacra liturgia, allontanandone le melodie indecorose e profane.

Nella fiducia che la S. V. con la sua prudenza e pastorale sollecitudine si adopererà che nella Diocesi a sè affidata sia posto in pratica quanto viene stabilito dal suddetto Regolamento, è lieto il

Illm̃e ac Rm̃e Praesul

Quo tot, iisque gravibus abus i bus qui in Musicen sacram plerisque in Ecclesiis irrepserunt, amovendis efficax remedium afferatur, confecta fuit huic Epistolae Ενκυκλικῃ *adnexa Ordinatio: quae quidem cura et studio Societatis a s. Caecilia nuncupatae, faventibus ecclesiasticis Praesulibus, in Archidioecesibus Neapolitana et Mediolanensi, aliisque adhiberi coepta est, atque a Romano Pontifice plenissime comprobata.*

Itaque subscriptus, dum id Tibi, Illm̃e ac Rm̃e Praesul, notum facit, Te rogat etiam, ut regulas quae in hac Ordinatione continentur, et istic in Ecclesiis tuae Dioeceseos excipiendas omni data opera cures; utpote quae sacrae Liturgiae, quod ad Musicen spectat, quae illius adeo excellens pars est, decori sanctitatique servandae, indecoris atque profanis melodiis amandatis, apprime inserviunt.

Fidens fore ut et Tu, Illm̃e ac Rm̃e Dñe, ea qua polles prudentia et pastorali sollicitudine, omnia quae in eadem Ordinatione praescribuntur, in Dioecesi Tibi credita exequenda prospicias, gestit subscriptus amplissima tui aesti-

Digitized by Google

sottoscritto dichiararsi con la più distinta stima ed ossequio

Di V. S. Illma e Revma

Dalla Segreteria della Sacra Congregazione dei Riti li 24 Settembre 1884.

Umiliss. Devotiss. Servo
LORENZO SALVATI
Segretario della S. C. dei Riti

matione atque erga Te obsequia, se profiteri

Amplitudinis tuae

Die 25 Septembris anno 1884. Ex Secretaria S. R. Congr.

Humill. atque addictissimum servum
LAURENTIUM SALVATI
Secret.

§ I.

Norme generali per la musica sacro-figurata vocale e strumentale permessa o proibita in Chiesa.

ART. 1. La musica vocale figurata permessa in Chiesa è soltanto quella, di cui i canti gravi e pii sono adatti alla Casa del Signore ed alle divine Lodi, e servono, mirando al senso della sacra parola, ad eccitare vieppiù i Fedeli alla divozione. A tale concetto s' informerà la produzione di musica vocale in figurata, quando anche si accompagni all' organo o ad altri strumenti.

ART. 2. La musica figurata da organo risponder deve all' indole legata, armonica e grave di detto strumento. La strumentale in genere sostenga decorosamente il canto e non l' opprima con i fragori; e gl' interludi organici o sinfonici sempre originali rispondano alla serietà della sacra Liturgia.

§ I.

Regulae generales quoad Musicen sacram ut aiunt, figuratam vel voce vel musicis instrumentis concinnatam, sive permissam sive prohibitam in Ecclesia.

ART. 1. *Musice vocalis figurata, quam permittit Ecclesia, ea solummodo est, cuius graves piique cantus Domum Domini decent laudesque divinas; et dum verborum prosequuntur sensum, Fidelibus ad pietatem Religionemque magis excitandis inserviunt. Huiusmodi conceptu informetur oportet quaevis Musices figuratae productio, tum vero etiam cum vel Organo vel aliis musicis instrumentis consociatur.*

ART. 2. *Musice, quam figuratam dicunt, quamque idem Organum* πνευματιχον *concomitatur, huius indoli colligatae, harmonicae gravique respondeat. Quae ceteris musicis instrumentis conficitur, cantum decore sustineat, nec illum fragoribus opprimat; interludia vero organica seu* συνφωνιχα, *et quidem originaria, sacrae Liturgiae gravitati sint conformia.*

Digitized by Google

Art. 3. La lingua propria della nostra Chiesa essendo latina, solo questa dovrà usarsi nella composizione musicale sacro-figurata. Gli stessi mottetti saranno composti di parole tolte dalla Sacra Scrittura, dal Breviario, e Messale Romano, dagl' Inni di S. Tommaso d'Aquino, di altro Santo Dottore o da altri Inni e preci approvate ed usate dalla Chiesa.

Art. 4. La musica vocale e strumentale proibita in Chiesa è quella, che per il suo tipo, o per la forma, che la riveste, tende a distrarre gli uditori nella Casa di Orazione.

Art. 3. *Cum Ecclesiae nostrae lingua propria latina sit, hac unâ in compositione musica-sacra figurata utendum est, ipsique Textuli* μελῳδικῶς *canendi, verbis vel ex sacrae Scripturae libris, vel ex divini Officii Breviario, vel ex Missali romano, vel ex Hymnis s. Thomae Aquinatis, aliusve s. Doctoris, vel denique ex ceteris Hymnis precibusve, quas Ecclesia sive adhibet sive adprobat, excerptis conficiantur.*

Art. 4. *Musice vocalis melodis instrumentis confecta, quam Ecclesia reprobat, ea est, quae sive ratione typi originarii, sive formae quam induit, apta est auditorum animis in ea, quae Domus orationis est, distrahendis.*

§ II.

Proibizioni speciali per la musica di canto in Chiesa.

Art. 5. È severamente proibita in Chiesa qualunque musica per canto composta sopra *motivi reminiscenze teatrali e profane*, ovvero che sia foggiata a forme assai leggiere e molli, quali sarebbero le *Gabalette* e *Cavatine*, i *Recitativi* troppo spinti a modo teatrale, ecc.; permettendosi gli assoli, i duetti, i terzetti, se però di carattere melodico sacro, e legati all' assieme del componimento.

Art. 6. È proibita ogni musica, nella quale le parole del sacro testo si trovino anche in minima parte omesse, traspor-

§ II.

Speciales inhibitiones quoad Musicen vocalem in Templo.

Art. 5. *Omnino interdicitur in Templo Sancto quaevis Musice vocalis theatrorum concentibus profanisve confecta, aut modis concinnata nimis levibus mollibusque; cuiusmodi sunt « Gabalette - Cavallette » ut aiunt: item melodiae monodicae plus aequo theatrorum more exaggeratae: permittuntur tamen sive singulares, sive inter duas, sive inter tres, sive etiam inter plures voces musici concentus, si quidem melodiae sacrae indolem retineant, atque cum reliqua compositione apte sint colligati.*

Art. 6. *Quaelibet Musice interdicitur in qua sacra verba, etsi paucula, vel omissa, vel temere transposita, vel intercisa, vel ni-*

Digitized by Google

tate, spezzate, o troppo ripetute, o poco intelligibili.

Art. 7. È proibito il dividere in pezzi affatto staccati i versetti del sacro testo nel *Kyrie*, *Gloria*, *Credo* ecc. a scapito della unità dell' assieme, come anche l'omettere o precipitare il canto di alcune parti nell' Ufficiatura, quali sono le risposte al Funzionante, l' *Introito*, la *Sequenza*, il *Sanctus*, il *Benedictus*, l'*Agnus* nelle Messe, ed i *Salmi*, le *Antifone*, l' *Inno*, il *Cantico Magnificat* nei Vesperi. L'omissione però del *Graduale*, *Tratto*, *Offertorio*, *Comunione* in certe circostanze particolari, come di voci mancanti, col supplemento dell' organo vien tollerata.

Art. 8. È proibito frammischiare inordinatamente il canto figurato nel canto fermo, e per conseguenza sono vietati i così detti *Punti* musicali nel *Passio*, in cui si deve seguire scrupolosamente il Direttorio. Sono solo permesse le risposte della Turba in musica polifona, su i modelli della scuola Romana, segnatamente di Palestrina.

Art. 9. È proibito qualunque canto, la cui soverchia durata protragga i Divini Officî oltre i limiti prescritti del mezzogiorno per la s. Messa, e dell'*Ave Maria* per il Vespro e la Benedizione; eccettuate quelle Chiese che usano di privilegî o di consuetudini non riprovate a che

mis repetita, vel obscuro modo prolata.

Art. 7. *Versiculos sacros in* Εννχλιτῃ Κύριε: *in Hymno angelico, in Symbolo etc. cęterisque s. Liturgiae precibus, in frusta nimis inter se dissita, ut dictionis unitas periclitetur, dividere nefas esto: ita etiam incompte properare cantum quarundam partium sacrae Liturgiae; cuiusmodi sunt Introitus, sequentia (quam dicunt),* τρισαγιον, *versiculus « Benedictus » vel « Agnus Dei » in Missa; Psalmi, Antiphonae, Hymnus, Canticum « Magnificat » in Vesperis; aut eadem, quod peius est, omittere. Omissio vero Gradualis, Tractus, Offertorii, et versiculi, quem Communionem appellant, in quibusdam specialibus rerum adiunctis, ut est vocum defectus, si musici Organi sonitu suppleatur, tolerari potest.*

Art. 8. *Cantum figuratum Gregoriano inordinate commiscere haud licet; atque idcirco in solemni cantu Dominicae Passionis, in quo Directorium ad amussim sequendum est, quae dicuntur* Puncta *musica inhibentur: permittitur solummodo Turbae melodiâ polyphonâ, iuxta scholae Romanae, praesertim vero Palaestrinae, Viri Magistri, modulos, respondere.*

Art. 9. *Quilibet cantus interdicitur, cuius nimia prolixitas divina officia, ultra praescriptos limites, protrahit; qui sunt quoad Missam Meridies; quoad vero vesperas dimidia hora post solis occasum; iis Ecclesiis exceptis quae privilegiis consuetudinibusque u-*

Digitized by Google

l' Ufficiatura si estenda al di là delle dette ore, rimettendosi ciò all' arbitrio del Reverendissimo Ordinario.

Art. 10. È proibito l' uso di certe inflessioni di voci troppo affettate, il fare soverchio rumore nel battere il tempo o nel dare gli ordini agli esecutori, il volgere le spalle all' altare, il cicaleggiare o qualunque atto sconveniente al luogo santo. Sarebbe quindi desiderabile che le cantorie non fossero costruite sulla porta maggiore del Tempio, e che gli esecutori fossero possibilmente invisibili, secondo il prudente ordinamento del Reverendissimo Ordinario.

§ III.

Proibizioni speciali per la musica organica e strumentale in Chiesa.

Art. 11. È severamente vietato il suonare in Chiesa ogni benchè minima parte o reminiscenza di opere teatrali di pezzi ballabili di ogni genere, come: *Polcke, Walzer, Mazurhe, Minuetti, Rondò, Scottisch, Varsoviennes, Quadriglie, Galopp, Contradanze, Lituane*, ecc., di pezzi profani ecc., come *Inni nazionali, Canzoni popolari, erotiche o buffe, Romanze*, ecc.

Art. 12. Sono vietati gli strumenti musicali troppo fragorosi, come Tamburro, Gran-Cassa, Piatti e simili, non che gli strumenti proprî dei giullari, ed il

tuntur non reprobatis: quod quidem Rm̃i Episcopi arbitrio decernendum committitur.

Art. 10. *Interdicuntur item quaedam nimis artificiosae vocum inflexiones: nimium in musico concentu moderando, vel iis qui canunt aut sonant praecipiendo, rumorem agere: Sancto Altari terga vertere: immodeste confabulari, aut aliud quidvis committere, quod locum sanctum dedeceat. Quapropter optandum esset, ut cantorum Orchestra super maxima templi Ianua nequaquam constructa sit, si quidem illa e regione consistat Altaris ubi sacra fiunt iique qui canunt vel sonant populo, quoad fieri potest, invisibiles sint, iuxta prudens Rm̃i Episcopi arbitrium.*

§ III.

Inhibitiones speciales quoad Musicen quae vel Organo πνευματικῷ, vel musicis aliis instrumentis in Ecclesiis fieri consuevit.

Art. 11. *Severissime inhibetur sonitu in Ecclesia referre quamlibet partem, vel ut aiunt, reminiscentiam concentuum, qui in theatris, sive in Drammate peragendo, sive in Choreis sociandis dirigendisve, cuiusque generis sint, fieri consueverunt: cuiusmodi sunt: Polka, Walser, Mazurcha, Chorea singularis inter duos, vel mixta inter quatuor, vel composita et alterna, Galopp, Rondò, Scottisch, Varsovienne, Lituana.... Item Hymni nationales, Cantus vulgares sive* Ἡρωτικοὶ, *sive scurriles, Romanticae, aliaque id genus omnino profana.*

Digitized by Google

Clavicembalo ossia Pianoforte. Le trombe però, i flauti, timpani ed altri strumenti di simile specie, che furon già in uso presso il popolo d'Israele per accompagnare le lodi divine, i canti e salmi davidici, sono permessi, purchè vengano usati con perizia e moderazione, specialmente in occasione del *Tantum ergo* alla Benedizione col Santissimo Sacramento.

Art. 13. È vietato l'improvvisare detto *a fantasia* sull'organo a chiunque nol sappia fare convenientemente, cioè in modo da rispettare non solo le regole dell'arte musicale, ma quelle altresì che tutelano la pietà ed il raccoglimento dei Fedeli.

Art. 14. Nelle composizioni sono da osservarsi le seguenti norme:

Il *Gloria* non sia diviso in tante parti separate con gli assoli di genere drammatico. Il *Credo* pure sia composto tutto di seguito, e, se fosse concertato, i concerti di esso siano disposti in modo da formare un tutto ben connesso. Si evitino, per quanto si può, gli assoli, i duetti foggiati a maniera di canto teatrale con alzata di voce (per non chiamarli gridi) che distraggano la devozione dei Fedeli. E sopratutto si badi che alle parole sia mantenuto il posto, che hanno nel rispettivo testo, cioè senza posposizioni.

Art. 12. *Interdicuntur musica instrumenta nimis fragosa strepentiaque; cuiusmodi sunt Tympanum sive maius, quod clava; sive minus, quod ligneis paviculis pulsatur; atque aeneae patinae; item musica instrumenta, quibus scurrae utuntur; nec non organum maius fidibus intentum, seu cymbalum domesticum. Tubae vero, Tibiae, et instrumenta aeneis orbibus consertis (qui pavicula item aenea pulsantur) conflata; aliaque id genus, quibus populus Israeliticus in divinis laudibus canendis olim utebatur, permittuntur, dummodo perite graviterque, praesertim in canendo Hymno Tantum ergo... quum Venerabilis Sacramenti benedictio impertitur, adhibeantur.*

Art. 13. *Vetitum est ex tempore canere, seu ex phantasia ut aiunt, Organo consonante; nisi quis forte id apte conficere possit; id est non modo ut musicae artis regulae serventur; sed et quae fidelium pietatem religionemque tuentur.*

Art. 14. *In musicis compositionibus lucubrandis, haec observentur. Hymnus Angelicus in partes invicem seiunctas cum cantu unius vocis, more drammatico, non dispescatur. Symbolum item continenter concinendum lucubretur; quod si eius cantus musicis instrumentis sociandus sit, ita sint concentus inter se dispositi, ut unum optime connexum efforment. Singulares cantus, qui theatralium more conficti sunt ne dicam potius clamores, ea vocis elatione, quae fidelium piam*

Digitized by Google

§ IV.

Provvedimenti per impedire gli abusi della musica in Chiesa.

Art. 15. Ogni Chiesa dovrà essere, per quanto è possibile, fornita del proprio conveniente Repertorio di musica di canto e di organo adatto all' esigenza delle sacre Funzioni o della rispettiva Cappella musicale, quale potrebbe essere il *Repertorio Parrocchiale dell' Organista* ed il *Repertorio economico di Musica Sacra* pubblicati per cura dell' *Associazione di S. Cecilia* in Milano, via S. Sofia num. 1. Queste e altre simili pubblicazioni però s' intendono solo proposte, e non imposte ad *exclusionem* di qualunque altra potesse attuarsi e pubblicarsi da altri editori col consenso dei rispettivi Reverendissimi Ordinarî sopra i criterî del presente Regolamento.

Art. 16. Ogni Chiesa, che voglia fare una conveniente scelta fra le diverse pubblicazioni di musica sacra buone o cattive, che si fanno continuamente dai diversi editori, potrà provvedersi del *Catalogo generale di Musica Sacra* che verrà pubblicato per cura della detta *Associazione*, in conformità agli Statuti approvati dalla Santa Sede, o di altra casa editrice ossequente alle date prescrizioni. Anche il suddetto *Catalogo generale* vien solo propo-

attentionem turbet, quoad eius fieri potest, evitentur. Maxime vero curetur, ut verbis suus quibusque locus, quem in sacro textu occupant, exclusa omni inconsulta transpositione, servetur.

§ IV.

Constituta ad Musices sacrae abusus, qui in Ecclesiis contingere solent, removendos.

Art. 15. *Quaevis Ecclesia suum proprium habere debet Syllabum seu Repertorium, quoad fieri potest, musices tum vocalis, tum etiam organicae, sacris functionibus et cantorum choro opportunum apte concinnatum; cuiusmodi est Repertorium Parochiale Hydraulae et Repertorium Musices sacrae per Societatem a s. Caecilia nuncupatam in lucem edita Mediolani in Via S. Sophiae n. 1. Hae vero lucubrationes tantummodo propositae acquirendae habeantur; non autem impositae, ut quaelibet alia excludatur, forte conficienda et ab aliis editoribus, consentientibus probantibusque reverendissimis Episcopis, iuxta praesentem Ordinationem, publicanda.*

Art. 16. *Si qua velit Ecclesia inter varia opera Musices sacrae sive in lucem edita, sive posthac edenda, optima seligere, Catalogum Generalem Musices Sacrae cura eiusdem Societatis, vel alterius domus typographicae, iuxta Statuta a S. Sede comprobata, publicandum comparare sibi poterit. Qui quidem Catalogus non imponitur acquirendus sed pro-*

Digitized by Google

sto, non imposto ad *exclusionem*, come all' articolo precedente.

Art. 17. Oltre il Repertorio di Musica Sacra edita sarà permesso quello di Musica manoscritta, quale si conserva presso le diverse Chiese e Cappelle, ed altri Istituti ecclesiastici, purchè ne sia fatta la debita scelta da una speciale *Commissione* intitolata di *S. Cecilia* da fondarsi in tutte le Diocesi, con a capo l' *Ispettore Diocesano della Musica Sacra*, sotto l' immediata dipendenza dei rispettivi Ordinarî.

Art. 18. Sarà quindi solo permessa nelle Chiese l'esecuzione di quelle musiche edite o inedite, le quali allistate nell'*Indice-Repertorio diocesano* portino il contrassegno col relativo di bollo e visto della *Commissione di S. Cecilia* e del suo Ispettore dirigente, il quale con la lodata Commissione, e sempre sotto la dipendenza dell' Ordinario, senza pregiudizio dei Superiori locali, potrà sorvegliare anche le esecuzioni sopra luogo, richiamare in sagrestia le produzioni eseguite o da eseguirsi, e verificare se corrispondano alle norme ed alle carte approvate col contrassegno del bollo e del visto, e potrà quindi riferire all' Ordinario e provocare all' uopo l'applicazione di energici provvedimenti contro i trasgressori.

Art. 19. Gli Organisti ed i

ponitur, quemadmodum in Art. praecedenti de Repertorio dictum est.

Art. 17. *Praeter Repertorium Musices sacrae typis exaratae, et aliud manuscriptae habere licebit, quod in plerisque Cantorum Coetibus, atque ecclesiasticis Institutis solet adservari; dummodo opportuna selectio fiat per Societatem a s. Caecilia nuncupatam, in qualibet Dioecesi instituendam: cui praeficiatur Inspector Dioecesanus Musices sacrae qui propriae Dioeceseos Reverendissimo Episcopo proxime subsit.*

Art. 18. *Erit proinde eorum tantummodo concentuum musicorum permissa executio, sive typis editi sint, sive manuscripti, qui in Indice–Repertorio dioecesano inserti appositum signum referant cum sigillo proprio scriptâque approbatione Societatis a s. Caecilia ibidem constitutae, atque Inspectoris qui illi praeest; hic una cum sociis, annuente et consentiente Rm̃o Episcopo, ac sine eorum iniuria, qui ibi proxime praesunt, super musicorum concentuum exsecutione dum fiunt, invigilare poterit, musicasque productiones sive exequendas, sive quarum executio iam confecta sit, in Sacrario recognoscere, atque inspicere utrum regulis exhibitis, chartisque sigillo consignatis et Inspectoris subscriptione munitis respondeant; tum ad Rm̃um Episcopum referre, atque ab eo postulare, ut praesentissima legis remedia in transgressores adhibeantur.*

Art. 19. *Hydraulae, et Chori*

Digitized by Google

Maestri di Cappella rivolgeranno anzi tutto ogni loro cura ed abilità nella migliore esecuzione possibile della musica del rispettivo *Repertorio*. Potranno anch' essi nella loro perizia accrescerlo di nuove composizioni, purchè si conformino alle norme suddette, dalle quali nessuno potrà essere dispensato. I componenti stessi le Commissioni saranno soggetti alla mutua revisione dei loro lavori.

ART. 20. Ai singoli Parrochi o Rettori di Chiese, è affidata l'esecuzione dell' *Indice-repertorio* della musica sacra, compilato dalla *Commissione di S. Cecilia* ed approvato dal Reverendissimo Ordinario anche sotto pena da imporsi dal medesimo in caso di trasgressione. Tale *Indice-Repertorio* potrà in seguito essere aumentato dalle nuove produzioni musicali.

ART. 21. Le suddette *Commissioni* risulteranno di Ecclesiastici, ed anche di Secolari periti nelle cose musicali, ed animati di spirito profondamente cattolico. L'*Ispettore Diocesano* sarà sempre Ecclesiastico. La nomina e l' istituzione di tutti loro appartiene di diritto agli Ordinarî diocesani.

musici Moderatores omni studio in primis sollertiâque curabunt, ut quae in suo Repertorio constituta fuerint, quam optime possint, socii exsequantur. Poterunt quidem et ipsi pro suo ingenio novis illud lucubrationibus augere, dummodo statutis regulis, a quibus exequendis eximi poterit nemo, se opportune conforment. Ipsimet Societatis alumni mutuae suarum musicarum lucubrationum recognitioni obnoxii erunt.

ART. 20. *Singulis Parochis, seu Ecclesiarum Rectoribus Indicis-Repertorii per Societatem a s. Caecilia compositi, et per Rm̃um Episcopum approbati exsecutio commissa est, etiam, siquid contra attentari contigerit, ab ipso in transgressores imposita poena. Huiusmodi Index seu Repertorium novis deinceps musicis lucubrationibus poterit, ut dictum est, augeri,*

ART. 21. *Hae Societates ecclesiasticis viris, atque etiam laicis musicae artis peritis et catholico Spiritu medullitus informatis, componentur. Inspector dioecesanus non alius, quam ecclesiasticus vir erit. Eorum vero nominatio atque institutio ad Rm̃um cuiusque Dioeceseos Episcopum iure pertineat.*

Digitized by Google

§ V.

Disposizioni pel miglioramento avvenire della musica sacra e delle sue scuole.

Art. 22. A preparare il migliore avvenire della musica sacra in Italia, sarebbe desiderabile che i Reverendissimi Ordinarî procurassero di fondare o perfezionare, ove già esistano nei rispettivi Istituti Ecclesiastici, massime nei Seminarî, le scuole di musica figurata secondo i metodi più perfetti ed accertati. A tale scopo inoltre sarebbe opportuno che nei principali centri della penisola si aprissero scuole speciali di musica Sacra, per allevare buoni Cantori, Organisti e Maestri di Cappella, a quella guisa che si è già praticato lodevolmente in Milano.

Art. 23. Il presente Regolamento verrà comunicato a tutti i Reverendissimi Ordinarî, i quali lo parteciperanno al Clero, agli Organisti e Maestri di Cappella delle rispettive Diocesi, ed avrà vigore un mese dopo dalla detta partecipazione dell'Ordinario. Dovrà pure questo Regolamento stare affisso sopra apposita tabella in Chiesa accanto al leggio dell' Organista, affinchè non venga mai per alcuna causa trasgredito.

§ V.

Constituta ad Musicen sacram eiusque scholas meliores posthac reddendas.

Art. 22. *Ad meliorem Musicen sacrae conditionem, futuris temporibus Italiae comparandam, optandum profecto esset, ut Rmi Episcopi vel fundandas, vel sicubi iam existunt, perficiendas curarent in suis ecclesiasticis Institutis, maxime vero in Seminariis, Musices figuratae scholas iuxta methodos maxime perfectas atque probatas. Ad hunc* σκοπον *praeterea obtinendum opportunum esset in praecipuis nostrae Peninsulae locis speciales Musices sacrae scholas institui ad optimos cantores, Hydraulas et Phonascos educandos, quemadmodum Mediolani laudabiliter iam factum esse constat.*

Art. 23. *Praesens Ordinatio omnibus Rmis Italiae Episcopis tradetur, qui eam suarum quisque Dioeceseon Clero, Hydraulis et Phonascis notam facient: eaque mense a peracta Episcopis, quam diximus, traditione, vigere incipiet. Prostabit item haec Ordinatio super apposita tabula in Templo prope pluteum anagnosticum Hydraulae, ne quando forte negligi violarique contingat.*



Digitized by Google

SANCTI PAULI DE MINESOTA.

LITTERAE quibus innuitur ratio novam peragendi consecrationem super altaribus quorum prima consecratio dubia erat.

R̃me Domine uti Frater. Exposuit Amplitudo Tua, in ista Dioecesi plusquam ducenta altaria portatilia ita consecrata fuisse, ut sepulchrum Reliquiarum non lapide marmoreo, sed cera sigillari vel gypso coopertum fuerit atque firmatum. Hinc Amplitudo Tua, dubitans de validitate istorum altarium, ab hac Sacra Rituum Congregatione exquisivit, utrum huiusmodi consecratio valeat, vel potius reiteranda sit? Sacra porro eadem Congregatio, ad relationem eiusdem Secretarii, audita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistri et R̃mi Assessoris ipsius Sacrae Congregationis, declarare censuit: *Altaria, de quibus agitur, nova indigere consecratione.*

Sanctissimus vero Dominus Noster Leo Papa XIII, referente eodem Sacrorum Rituum Congregationis Secretario, quin dispensationem concederet ab eorumdem altarium consecratione repetenda, benigne indulsit, ut haec sensim sine sensu fiat, prudenter capta occasione, nullo temporis limite eidem A. T. praescripto, iuxta breviorem ritum, in similibus casibus, statutum; nimirum ut in iisdem aris antea rite efformato sepulchro, A. T. vel per se vel per simplices presbyteros, hoc tantum in casu Apostolicae Sedis nomine delegandos, certas Sanctorum Reliquias in iisdem aris reponat, iis solummodo caeremoniis servatis, quae in Pontificali Romano praescribuntur dum in sepulchro reconduntur Reliquiae et superponitur lapis, scilicet ut signetur sacro Chrismate Confessio, sive sepulchrum, et interim dicatur Oratio *Consecretur* et *sanctificetur;* postea reconditis Reliquiis cum tribus granis thuris, et superposito operculo ac firmato, dicatur altera Oratio, *Deus qui ex omnium cohabitatione Sanctorum....* et nihil aliud.

Haec A. T. communicans, Eidem ex animo felicitatem adprecor.

Amplitudinis Tuae

Romae die 9 Septembris 1880.

Uti Frater.

R̃mo Domino uti Fratri,
Episcopo S. Pauli de Minesota.

Digitized by Google

EX S. CONG. S. R. U. INQUISITIONIS

DUBIUM quoad promulgationem decreti *Tametsi* **in Missionibus, et quasi parochiis Americae.**

Die 14 Novembris 1883.

Episcopus s. Hyacinthi in regione Canadensi s. Congregationi Inquisit. exponit, quod nunc oriuntur dubia de validitate quorumdam matrimoniorum, sine solemnitate a decreto *Tametsi* Concilii Tridentini requisita, contractorum in missionibus vel quasi parochiis huiusce Dioecesis. Ante enim annum 1872 multa loca Dioecesis s. Hyacinthi, *Cantons* nuncupata, non erant adhuc in parochias canonice divisa. His in locis aderant: 1. Missiones proprie dictae, scilicet sine sacerdote residente; sed a missionario, ad hoc delegato, temporibus tum fixis, tum inaequalibus, per annum visitatae. 2. Quasi parochiae, per quas intelligi debet territorium quod, quoad speciem externam, plus vel minus accedebat ad similitudinem parochiae, prout habens Ecclesiam, prope quam sacerdos ordinarie vel saltem principaliter residebat, et limites ab Episcopo designatos. Attamen in his missionibus et quasi parochiis, sicut et in parochiis, proprie dictis, decretum *Tametsi* Concilii Tridentini fuerat quotannis publicatum a sacerdotibus earum curae praepositis. Ad hunc enim finem mandaverant Episcopi Provinciae Quebecensis: quum Tridentinum per solemne decretum *cap. 1 sess. 24 de ref. matrim.* cuius initium *Tametsi,* nulla atque irrita declaraverit matrimonia, quae fiunt extra praesentiam parochi et testimoniorum, quorum numerum determinat, maximi momenti esse censemus quod parochi et missionarii certiorem reddant populum de eiusmodi salutari decreto. Quamobrem volumus ut legant idem decretum in concione primae dominicae post Epiphaniam. Opportunior eiusmodi decreti publicatio fit in paroeciis vel missionibus nuper constitutis, iuxta indolem praescriptionis eiusdem decreti et responsum s. Congregationis de Propaganda Fide ad Episcopum Quebecensem diei 16 Octobris 1824. Quum autem dubitetur utrum valide publicari possit Decretum Tridentinum extra parochias, proprie dictas, a s. Congr. humiliter petitur declarari: « An valida fuerit promul- » gatio Decreti Tametsi Conc. Tridentini in missionibus et quasi » parochiis supra dictis? »

Digitized by Google

Cui dubio Emi Patres inquisitores generales praedicta die responsum dederunt: « Iuxta exposita affirmative et ad mentem: » mens est quod in locis, ubi haberi nequeat parochus, validum est » matrimonium celebratum coram duobus testibus; contrahentibus » tamen onus inest recipiendi, quamprimum id fieri possit, benedi» ctionem nuptialem, et curandi ut eorumdem matrimonium inscriba» tur in sacramentali regestro missionis, vel proximioris Ecclesiae, » cui subiiciuntur. »

In audientia eiusdem diei ss. Pater resolutionem hanc ratam habuit.

EX S. CONGREG. INDULGENTIARUM

RESCRIPTUM quo nonnullae conceduntur Indulgentiae adnexis orationibus.

ROMANA

Petrus Bugarini, sacerdos romanus ad pedes Sanctitatis Vestrae humiliter provolutus enixe rogat, ut sacerdotibus et in sacris constitutis devote recitantibus sequentem orationem: « Jesu dilectissime, qui ex singulari benevolentia me, prae millenis hominibus, ad tui sequelam et eximiam sacerdotii dignitatem vocasti, largire mihi, precor, opem tuam divinam ad officia mea rite obeunda. Oro Te, Domine Jesu, ut resuscites hodie et semper in me gratiam tuam, quae fuit in me per impositionem manuum Episcopalium. O potentissime animarum Medice, sana me taliter, ne revolvar in vitia, et cuncta peccata fugiam: Tibique usque ad mortem ita placere possim. Amen » Indulgentiam tercentum dierum benigne concedere dignetur, nec non eisdem indulgentiam dierum centum, qui devote recitaverint iaculatoriam precum uti sequitur: « Bone Jesu, rogo Te per dilectionem, qua diligis Matrem tuam: et sicut vere Eam diligis, et diligi vis, ita mihi des ut vere Eam diligam ».

SSmus D. N. Leo Papa XIII omnibus de quibus in precibus, qui corde saltem contrito ac devote praedictas preces recitaverint, petitas Indulgentias, semel in die lucrandas, benigne concessit. Praesente in perpetuo valituro, absque ulla brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem sacrae Congregationis die 14 augusti 1884.

L. ✠ S. L. Card. BONAPARTE *pro praefecto*

Franciscus Della Volpe *Secretarius.*

Digitized by Google

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

VIENNEN.

MATRIMONII

Die 9 Augusti 1884.

Compendium facti. Praehabita dispensatione Apostolica super impedimento cultus disparitatis, nobilis puella Ioanna Viennensis, annos nata vigintiquinque die 26 Septembris 1874 matrimonio religioso se copulavit cum Alberto Othomaro Haupt Londinensi, annorum triginta quatuor, lutheranae confessionis, facta tamen promissione prolem in catholica fide educandi.

Harum tamen nuptiarum exitus infelix fuit; quia vir semper irrito conatu muliebre vas penetrare expertus est, effundens extra quandoque semen, praeproperae effusionis causâ. Vir insuper profligatis omnibus substantiis, mulierem dereliquit, et huc illuc modo vagatur. Qua de re infelix mulier petiit ab apostolica Sede dispensationem sui matrimonii rati et non consummati. Archiepiscopus preces mulieris commendavit dum actorum fasciculum Romam transmitteret. Causae propositio notificata fuit viro, qui comparere nolle ait.

Disceptatio synoptica

Defensio mulieris. Praemisit Patronus, iudicialem inquisitionem maximâ severitate et prudentiâ initam fuisse; adeo ut ne levissima quidem labes animadverti possit. Vir ipse pluries, etsi frustra, invitatus fuit: sed Curia constituit defensorem ex officio, qui viri iura defenderet. Pro viro testes septimae manus non adfuerunt; tamen hoc nullo modo vitio verti potest; quia non agitur de matrimonii nullitate ex capite impotentiae, sed de dispensatione; ita ut compro-

Digitized by Google

bata actricis integritate ex cognitorum suffragio, dispensandi causae liqueant ex aliis testibus. Ulterius etsi controversia super impotentia versaretur, tamen ex *cap. Laudabilem de frigidis et malef.* ille tantum testes septimae manus inducere deberet qui impedimentum allegavit: ita ut si uterque in idem placitum conspirent, uterque septimam manum adhibere debeat.

Cum vero non uterque confitetur, sed unus, alter vero sileat: tunc « soli septem propinqui illius fatentis debent » iurare » Sanchez *lib. 7 disp. 109 n. 15.* Imo vero etiamsi alter fateatur, alter non sileat sed neget, testes septimae manus ab asserente tantummodo inducendi sunt; Sanchez *loc. cit.* Ferraris *biblioth. voc. matrimonium art. 6 n. 45.* « Si vero unus coniugum neget, alter affirmet... adhibendi » sunt solum septem ex parte affirmantis. »

Doctorum sententia ex legis mente originem ducit sive ex capite *Literae Vestrae 7 de frig. et malef.* Ideo enim testes inducendi sunt ne coniuges non sequutam consummationem *confiteantur in fraudem.* Cum igitur alter ex coniugibus nihil confiteatur atque in iudicio sistere nolit, fraudis suspicio oriri non potest, nec de fide ei habenda quaeri potest qui nihil dixit. Atque eo magis testes pro viro exquirere absonum esset, qui caput *Literae Vestrae* illum coniugem attingit, qui *paratus erat stare consilio Ecclesiae.* In casu autem vir non modo Ecclesiae consilium recusat, sed illi iniuriam facit.

Inspectio mulieris facta fuit a viris in re obstetricia praeclaris, et absque balneo. Primum tamen in usu est in tota Austria, s. Sede approbante, prout monet: *Instructio pro iudicibus ecclesiasticis Imperii austriaci quoad causas matrimoniales;* quae *cap. 166* loquitur de peritis cognitoribus, minime de obstetricibus. Balneum vero tolerare nequivit mulieris valetudo: tamen absque balneo S. C. C. saepenumero iudicavit de virginitate; ceu videre est in Veglien. *Matrimonii* 31 Martii 1863 et in Patavina *Matrimonii* 23 Septembris 1865.

Digitized by Google

Hisce de iudiciali inquisitione praemonitis, duo ait defensor, requiri ad dispensationem concedendam: primo scilicet quod matrimonium non sit consummatum; secundo quod causae dispensandi adsint. Ad inconsummationem probandam prima audienda est Actrix, quae a Iudice rogata respondit: *Nunc accurate scio quid sit matrimonium consummare, quamvis durante vitae consortio cum meo marito, tam claram huius rei notitiam non habuerim.... Et ob hanc rem plena cum certitudine affirmo matrimonium meum cum coniuge meo prorsus nunquam consummatum esse.*»

Instructissimi praeterea testes unanimi consensione docent matrimonium non fuisse consummatum: id enim sive ab ipsa actrice sive a medicis iamdiu acceperunt: atque omnes illam honestam, religiosam, ac mentiendi omnino nesciam renunciant.

Iudex Curiae, praeter iudiciales cognitores, rogavit de sua sententia clarum medicum et obstetricem; qui pro mulieris integritate opinionem emiserunt. Ex tribus vero iudicialibus cognitoribus duo aperte et abscisse retulerunt mulierem integram esse; tertius vero ait, ex factis observationibus firmissime et infallibiliter non posse dici mulierem esse virginem; quia hymen in introitu vaginae inventum fuit remissum, et in duobus punctis aliquo modo fimbratum, et parvum foramen habentem. Defensor tamen ait, discrimen inter hoc suffragium ac cetera omnia umbratile potius quam verum esse. Dato tamen, quod verum et grave discrimen intercederet, sive medicus corruptam omnino mulierem renuntiaret, unus haberetur iudicialis cognitor, qui contra duos alios cognitores a iudice delegatos, contra alterius medici iudicium, contra iuratam obstetricem diceret. At explorati iuris est, ex pluribus peritis illos attendi debere qui magis inter se conveniunt: Rota in *dec. 55 num. 14 tom. 1 cor. Olivatio:* in *dec. 37 num. 4 cor. Emerix iun.* et in *dec. 554 num. 4 Rec.* – ibi – « Cum tamen alii duo con-
» cordent... quibus propterea magis creditur quam tertio
» discordanti. »

Digitized by Google

Eadem est iurisprudentia in aestimanda probatione per testes si inter se dissentiant: in ea scilicet idipsum viget: maiorem partem super alia praevalere: Rota in *dec. 374 num.* 6 *par. 3 Rec:* et in *dec. 124 num. 23 seq. par.* 5 *tom. 1 Rec.* Periti vero cognitores iudicantium potius more quam testium censeri debent, prout admonet Card. De Luca *de iudic. dis. 33 num. 20:* Abbas *in cap. Proposuisti* 4 *de probat. num. 3.* « Ubi probanda est res in qua Iudex » non est instructus, nec instrui potest... recurrendum est » ad iudicium peritorum in illa arte; et secundum illorum » testimonium iudex profert sententiam. Sic ubi dubitatur » de virginitate, recurritur ad matronas. » At illa semper » in iudiciis recepta praxis fuit, ut iudices numero plures » sententiam, aliis dissentientibus, ferant in gravissimis » negociis de statu personarum, de matrimonio, de stupro, » de capite, de libertate. Cum igitur periti cognitores iu- » dices sint, iudicum in illis norma est adhibenda. »

Tametsi perinde se hactenus disputasse, ait defensor, ac si vera inter iudiciales cognitores dissentio esset: hoc autem toto coelo abest. Quippe non modo tertius medicus nunquam affirmavit virginitatem laesam fuisse, sed pro virginitate potius perspicue censuit quatenus recte eius verba perpendantur. Quinimo post aliquod tempus medicus animadvertendo nimiâ se peccasse diligentiâ, suam explicavit sententiam et conclusit, matrimonium nondum esse consummatum et mulierem nondum esse defloratam.

Quae cum ita sint, cum difformitas inter cognitores non reperiatur, atque omnes pro mulieris integritate suffragium dederint, vel eorum conclusiones attendi debent, vel integritatis argumenta quae ipsi attulerunt ad iudicium exinde ferendum. At in iis quae artem et scientiam attinet habenda fides est artis et scientiae iudicio ac propterea cognitorum conclusionibus.

Sedulo tamen ab initio notandum, ait defensor, quod de membrana ipsa extante nemo ex cognitoribus dubitavit. Atqui ad mulieris integritatem dignoscendam ex communi

Digitized by Google

doctorum opinione, qui de anatomica re docuerunt, non perfecta atque absoluta in hymene *integritas* requiritur, sed eius membranae *existentia* sufficit atque attendi debet: Devergie *Medicina legale vol. 1 cap. 4;* Zacchia *quaest. med. leg. lib. 4 tit. 2 quaes. 1 n. 2;* Bartholin. *Instit. lib. 1 cap. 31.* Ac revera absurdum esset nullum in hymene foramen requirere: aliquis enim meatus semper adsit oportet ad corporis necessitates. Quamobrem integritati non obesse censetur meatus ille per quem digitus blande immitti valeat: recte igitur cognitores, parvo hoc foramine in actrice non obstante, hymen dixerunt *plene conservatum* atque illam integram renuntiarunt.

Sed aliud etiam gravissimum accedit quod cognitores latuit. Maritus scilicet venerea lue saepe saepius infectus fuit. Hoc non mulier tantum testatur quae audivit virum – *acri curae medicinali se subiecisse et sexuali quidem ratione, sed et alii quoque* –. Nil igitur mirum quod vir tali morbo aegrotans laesiunculas illas, quas – *fimbrias* – periti dixerunt, in actricis corpus adduxerit. Quippe malignitas metuendae luis, quolibet vel levissimo contactu, molliores partes contaminare solet, ita tamen ut ista labes nil commune habeat cum matrimonii consummatione. Cum igitur crebros conatus vir fecerit, nil mirum quod venenum puellae communicaverit, hoc autem fimbrias fecerit.

Tametsi ad abundantiam hactenus se disputasse ait defensor. Quippe redit hymenis *praesentiam* ad virginitatem dignoscendam requiri, non absolutam eius ac perfectam integritatem. Et ratio in promptu est. Cum enim in carnali copula hymen frangitur, laciniae fiunt quae ictu oculi percipiuntur, ac propter earum formam nuncupantur *carunculae myrtiformes.* Unde fit ut semper, si extat hymen, desint carunculae: si absint carunculae, integra mulier dici debeat. In casu nemo ex cognitoribus carunculas invenit, nemo earum vestigia suspicatur: imo vero omnino deesse aliquis significavit.

Perspicua haec esse tradit defensor, sed illustriora etiam

Digitized by Google

fient si iurisprudentia attendatur, quam semper in pretio habuit S. Cong. Concilii in huiusmodi rerum adiunctis. Quippe non in similibus tantum casibus, sed in aliis longe gravioribus pro dispensatione responsum latum fuit, dummodo non ex uno potius vel altero iudicio, sed ex cunctis simul in unum collectis, mulieris integritas ac non sequuta matrimonii consummatio innotuisset. Ita in causa *Venetiarum matrimonii die 28 Iulii 1860* gravissima laceratio occurrebat cum hymenis destructione, nec non caruncularum myrtiformium existentia. Cum vero huiusmodi lacerationem aliis causis tribuendam censuissent cognitores, sacer Ordo matrimonii nullitatem declaravit. Idem autem fecit in causa *Neapolitana matrimonii diei 18 Augusti 1866*, et in causa *Ianuen. dispensationis diei 9 Iunii 1866;* in qua propositae rogandi formulae – *An sit consulendum SSmo pro dispensatione etc.* – die 9 Iunii 1866 responsum fuit – *Affirmative.* Specimen demum longe gravius obtulit recens causa *Ratisbonen. matrimonii diei 5 Februarii 1876.* (1)

Conclusit igitur defensor: si cognitorum vices explere velis, indicia omnia atque argumenta virginitatem ostendunt. Hymen adest: absunt carunculae: parvum illud foramen posthaberi potest, tum quia haec foraminis mensura naturalis meatus non excedit, tum quia vel a natura datum, vel plurimis modis inductum esse potest.

Hisce expletis, defensor ad causas dispensationis transiens, ait: in casu, praeter communes, adesse impotentiae dubium ex lue venerea, quae viri habitum atque aspectum ita labefactarunt, ut debilis atque aegrotans appareat. Neminem autem latet quam facile perpetua impotentia gallicam luem subsequatur.

Aliud impotentiae argumentum evincitur ex praepropera seminis effusione in irritis conatibus, quam, ait mulier, *citissime evenisse.* Quae cum ita sint illud certissime constat vel ex omnimoda frigiditate vel ex imbecillitate virium femineum vas penetrare virum non posse, iuxta opinionem

(1) Adest causa haec vol. IX, pag. 303.

Digitized by Google

communi plausu receptam, quam tradit Sanchez *de matr. lib. 7 disp. 93 et 94.* Huiusmodi homines, si frigidi nequeant ex rigore dici, frigidis tamen quoad effectum aequiparantur, prout omnes medici et pontificii iuris auctores docent: Sotus *lib. 4 sententiar. dis. 34 qu. 1 art. 3,* Zacchias *lib. 3 quaes. med. leg. tit. 1 qu. 5 num. 11 et seqq.* « Illos quidem aptius frigidos vocari posse dixerim » qui non eximio calore aut seminis acutie antequam ad » opus perveniant, polluuntur, sed ex retentionis debilitate... » Hos ego absque dubio inter frigidos connumerandos censeo, » cum nihil intersit an semen effundant necne, si coitum » ob frigiditatem exercere minime valeant. »

Quibus in adiunctis brevissimae erectionis species non aliter appellari potest quam spuria erectio vel semierectio: Cocchius *discept. physic. anatom. §. 9.* Gravissimum denique impotentiae argumentum flagrat ex diuturna quatuor annorum cohabitatione. Nihil unquam intentatum reliquit Ioanna, ut matrimonium vir consummaret, sed perperam. Atqui si tam longo temporis lapsu coniugalem actum vir non explevit, nulla profecto ei spes affulget, ut in posterum aliquando explere valeat.

Utcumque vir impotentiam inficiari velit, semper redit matrimonii consummationem, adhibitis ultra quatuor annos viribus, defuisse. Dicendum igitur potentem hactenus minime illum fuisse. En igitur temporaneae saltem impotentiae physica certitudo. Finge paullisper illam perpetuam non esse: finge curabilem: sed temporanea impotentia posita, hoc unum ad dispensationem exuberat propter evidens incontinentiae periculum et ancipitem futuri temporis conditionem : Cosci *loc. cit. num. 281;* Fagnan. *in cap. Verum sub num. 11 de conv. coniug.;* Pignatell. *cons. 147 num. 10 seq. tom. 4;* Menoc. *de praes. lib. 2 praes. 10 num. 42* – ibi – « Timor fornicationis coniugis iusta causa dispensationis ma» trimonii. »

In casu autem non animae tantum sed corporis etiam iactura dispensationem suadet. Actricis enim valetudo iam

Digitized by Google

antea infirma adeo ex frequentibus ac frustraneis viri conatibus, longo quatuor annorum lapsu productis, labefactata est, ut pluribus abhinc annis medicae curae perpetuo subiiciatur. Nemo igitur Ioannam ad ulteriorem adhuc cohabitationem cogendam esse putabit. Adde etiam quae viennensis Iudex animadvertit: quod scilicet miseram actrix ac tristissimam vitam agit, quod maritus sectae Lutheri studiosus dissolutionem matrimonii sui quam facillime impetrare atque ad alias nuptias transire potest.

Postremo notandum tantam hodie animi aversionem ac dissociationem patere, ut nulla pacis conciliandae spes oriri possit. Quod unum, etsi cetera deficerent, omnino dispensationem requireret: De Luca *de matr. disc. 9 num. 8;* Lancellotti *penes* Ursayam *tom. 3 par. 2 disc. 21 not. 62;* Clericat. *de sacr. matr. dec. 15 sub num. 45;* Corradi *in prax. dispens. lib. 8 cap. 7 num. 33.*

At nemo veram inter coniuges concordiam perdurasse putabit cum mulier inanibus quotidie conatibus vexaretur, cum in dies corporis cruciatus augerentur et valetudo deficeret, cum illam exanimaret prodiga viri temeritas in alea in qua patrimonium ita profligavit, ut illam – *bonis artibus ac scientiis instructam... in familiis primis cognitam* – in egestatem coniecerit.

Quae cum ita sint, animorum aversio inter coniuges in foedere, quod sine mutua benevolentia non consistit, urgentissimam ac validissimam dispensationi causam praebet. Pignatell. *tom. 1 cons. 148 num. 9.* Imo vero quam citius fieri potest dispensationi consulendum esse tradit Coscius *de sep. thori lib. 3 cap. 2 num. 117 seq.* iis verbis. « Ad
» quae removenda mala quam citius fieri potest non videtur
» instruendum iudicium pro dissolvendo matrimonio per
» viam rigorosae iustitiae, quae flamma litis et temporis
» longitudo magis odium auget et animi magis exasperan-
» tur, sed petenda est a Summo Pontifice dispensatio per
» viam gratiae, qui ob hanc causam proclivior esse debet
» ad huius dispensationis concessionem. »

Digitized by Google

ANIMADVERSIONES VINDICIS S. VINCULI. Praemonuit solemnitates iuridicas in pluribus fuisse ad unguem servatas in Curia viennensi. Sed quod mulieris inspectio medicis potius quam obstetricibus demandata fuerit aegre conciliari, ait cum *Instructione* S. C. C. anni 1840; et ad Curiam transmissa; iuxta quam usus balnei, ad mulierum virginitatem rite dignoscendam, formiter praescriptus fuit. Hinc ex magna temeritate, qua opinionem suam medici imponere ausi sunt Curiae episcopali, asserentes balneum esse superfluum et nihil ad declarandum statum proficere, et ex magna debilitate qua Curia ipsa eorum opinioni adhaesit, gravior profecto iniuria S. C. Cong. est irrogata, quae tam salubria in causis matrimonialibus dignoscendis sancivit. Tanti namque interest ut regulae praescriptae religiose serventur, quanti interest ut iuridice ac legitimo modo probetur quod probandum est ad dispensationem assequendam.

Praeterea cum loco obstetricum medici usurpati essent a Curia viennensi, quorum ope status naturalis Oratricis dignosceretur, omnis ratio suadebat ut eaedem omnino leges a medicis inspicientibus servarentur, quae accurate pro obstetricibus definiuntur a S. C. Instructione. Porro; inter alia, hoc iniungitur ut post balneum « *adstantibus semper et praesentibus Matrona et obstetricibus, statim ne ullum spatium, aut momentum temporis mulieri detur, quo ad arctandum vas ullo medicamento, aut aliqua fraude uti queat, ad ipsius corporis inspectionem a singulis seorsim deveniendum erit.* » Hac extante peremptoria instructione, pronum erat Curiae viennensi, cum adhibere maluisset medicos, curare ut omnes una simul adstarent inspectioni a singulis peragendae. Attamen cautela huiusmodi contempta omnino fuit; seorsim enim unus post alium medici accesserunt ad corpus Ioannae inspiciendum.

Nec satis. Cum maxime salebrosa et periculis plena sit inspectio mulieris quae se virginem iactat, cumque honestatis gratiâ impossibilis esset praesentia iudicis in inspectione peragenda, cautum est, ut difficillimi huius negotii executio

Digitized by Google

concrederetur honestae matronae, quae ecclesiasticam auctoritatem veluti repraesentaret, et praeses existeret ut omnia accurate ac sine dolo servarentur, quae servanda praecipiuntur. Matrona haec, prout traditur in laudata Instructione, a iudice ipso est deputanda; ad eius domum est traducenda mulier quae debet inspici; insuper matronae incumbit onus iugiter praestandi personalem adsistentiam, sive quando mulier immergitur atque permanet in balneo aquae tepentis, sive quando eiusdem corporis inspectio peragitur. Tandem post examen obstetricum et peritorum, examen subire debebit quoque matrona quoad praestitam toto balnei et recognitionis tempore adsistentiam.

Iam vero incredibili temeritate, ait, omnia haec contempta fuerunt in iudiciali recognitione; matronae enim, quae inspectioni adstaret et de inspectione referret, ne mentio quidem fit in relatione expletae inspectionis in corpore mulieris. Respuendam omnino igitur esse, conclusit, inspectionem huiusmodi, utpote expletam contra canones, et omnibus illis adminiculis atque solemnitatibus destitutam, ex quibus dependet iudicialis valor ad fidem faciendam.

Quoad matrimonii inconsummationem, non diffitetur testimonium septimae manus plene suffragari assertioni mulieris, quae se virginem dicit; at in casu parvi momenti ait esse huiusmodi testimonium; 1. enim ex consanguineis qui auditi sunt, alii iam ab initio reprobaverant nuptias Ioannae, alii eidem suaserunt ut iudicium hoc institueret; omnes vero nil magis in votis habent quam, ut infelix hoc vinculum dissocietur: 2. Testes septimae manus nullum prorsus factum aut iudicium praebent, ex quo oriatur saltem opinio matrimonium fuisse inconsummatum, sed allegant solummodo viri gracilitatem, vel ex supposita mulieris integritate argumentantur ad matrimonii inconsummationem. 3. Extra controversiam esse, testimonium septimae manus per se non nisi indicium praebere de secuta vel non secuta copula maritali, certitudinem autem non nisi ex corporum inspectione, rite habita, et medicorum iudicio proficisci.

Digitized by Google

Tum ex relatis peritorum depositionibus circa mulieris statum tam voce quam scripto traditis oppido liquere ait: 1. statum naturalem Ioannae non fuisse a peritis eodem modo exploratum, mutuo enim sibimet contradicunt, quae de eius status conditione ipsi testantur; 2. iudicium ab ipsis prolatum, circa secutam vel non secutam consummationem matrimonii, fuisse divisum.

Hinc quid sentiendum de iudiciis, quae circa integritatem Ioannae medici periti protulerunt, facile respondit iudicia tanti valere, quanti observationes ex quibus fuerunt derivata. Eo ipso igitur quod nutantes et contradictoriae sunt observationes medicorum in corpore Ioannae peractae, ipsorum quoque iudicium uti incertum et nullius roboris habendum erit. Nullo pacto proinde in specie nostra Summus Pontifex sibi efformare posset certitudinem illam moralem de inconsummatione matrimonii, quae absolute necessaria est, ut potestate prorsus singulari dispensandi a matrimonio rato et non consummato uti valeat. Dum ex una parte gravissima praesumptio pro consummatione matrimonii ex facto ipso diuturnae cohabitationis et condormitionis exurgit, ex alia, ad probandam integritatem Oratricis, impotentia viri neque affertur neque afferri potest: iudicialis inquisitio pluribus ac substantialibus vitiis obnoxia est, inspectiones denique peritorum neque legitimae, neque accuratae, neque conformes saltem in iis, quae maximi momenti sunt, deprehenduntur.

Deinde defensor nonnullas peregit animadversiones contra argumentum oratoris, quod nempe umbratilis, non vera esset discrepantia inter cognitores aiens: non esse pervertendam et immutandam naturam quaestionis, quae in praesentiarum agitur. Quaestio est an certissime, ceu oportet, constet matrimonium non fuisse consummatum. Iam haec quaestio toto coelo distat ab alia, an certissime constet matrimonium fuisse consummatum. Quando haec secunda agitur quaestio, qui consummationem non constare contendit, ad aliud non tenetur quam ad explicanda indicia, vel refutanda argumenta

Digitized by Google

quae pro consummatione allegantur; qui autem matrimonium consummatum fuisse asserit, onus habet positive demonstrandi sententiam suam, excludendo omnes alias hypotheses, quae adduci possent ad mulieris deflorationem excludendam. Ex adverso quando prima agitatur quaestio, qui negativam sententiam tuetur eo usque victor existet, quousque minima etiam probabilitas suffragetur mulieris corruptioni; qui vero positivam sententiam defendit, omne punctum non antea feret quam evidentibus rationibus factum carnalis concubitus excluserit. Porro in imploranda a s. Sede dispensatione a matrimonio rato et non consummato, ille qui supremae huius potestatis usum postulat, non negare simpliciter debet matrimonium fuisse consummatum, neque argumenta tantum proferre ex quibus probabilis aut etiam probabilior, vel si vis probabilissima arguatur inconsummatio matrimonii, sed concludentissimas rationes afferre debet, ex quibus certo certius liqueat copulam maritalem nullatenns obtinuisse. Favor enim matrimonii, immo iuris divini reverentia omnino exigit, ut non secus adhibeatur pontificia potestas quam ubi de integritate mulieris dubitare non licet: si quae enim suspicio aut dubitatio adsit in contrarium, quantacumque sit probabilitas quae mulieris virginitati favet, tutior semper pars est eligenda. Hinc factum est, ut quoties S. C. C. in causis matrimonialibus huiusmodi deprehendit simplicem etiam possibilitatem quod copula reapse accidisset, firmissime obstiterit supplicantium precibus et dispensationem negandam censuerit, ut videre est in *Wormatien. matrimonii 23 Ian. 1634, Hispalen. 14 Mar. 1738, Chien. 15 Dec. 1792.*

Posita hac doctrina, ait, si quaestio esset an Ioanna deflorata vere fuerit, concederet et ipse in favorem Ioannae validissimum esse votum cognitoris, qui pluries fassus est corruptionem Ioannae *certo* asseri non posse; et optime posse explicari alterationes quae in eius genitalibus occurrunt sive ex ingenito defectu, sive alia superveniente causa distincta ab opere maritali. At quaestio non haec, sed alia est, scilicet an certe Ioanna deflorata non fuerit; cui quaestioni respondit

Digitized by Google

cognitor ab aliis discrepans dicendo: « firmissime... non est dicendum mulierem adhuc esse in statu virginitatis. »

Ex dictis deduxit Vindex, nil roboris accedere assertae virginitati oratricis *ex arbitrio* quod, Iudice viennensi rogante, protulerunt alii duo cognitores. Isti Ioannae corpus minime inspexerunt, sed tantummodo examini subiecerunt relationes et iudicia trium cognitorum iudicialium, et quid sibi verius ex hoc examine visum est asseruerunt in pandito voto.

Denique non rite ad virginitatem in muliere evincendam recurri ad membranae hymenis existentiam, licet hymen sit laceratum: ex quo dici debeat virginitatem non fuisse laesam. Cui argumento Patroni tunc aliqua vis fuisset si medici in textibus allatis docuissent, qualemcumque hymenis etiam fimbrati existentiam, indubium esse virginitatis signum. At medici id nullatenus docuerunt. Immerito igitur ex horum sententia argumentum ducitur pro Ioannae integritate.

Hoc posito, argumentum in adversarium retorquit. Solam hymenis, etsi lacerati ac fimbrati, existentiam esse signum indubium virginitatis tantum a veritate abest ut medici doctissimi, tum antiqui, cum recentes, neque integri hymenis existentiam, notam certam et infallibilem virginitatis esse existiment. Quod docet Zacchias *quaest. Medic. leg. lib. 4 tit. 2 quaest. 2* ex adverso citatus.

Inter recentiores vero plures sunt, qui nedum hoc virginitatis palladium parum faciunt, sed ulterius quoque progressi existimant ad conceptum et generationis effectum nequaquam necessarium esse, ut vir seminalem humorem effundat in interiores feminei organi partes, sed satis esse quod eiusmodi humor ad externam eiusdem organi superficiem seu ad vaginae os vel ingressum effundatur et applicetur. Ita Vallisnieri *Istoria della generazione dell'uomo part. 1 cap. 8 n. 7 et part. 2 cap. 13;* ita in – *Dizionario classico di medicina interna ed esterna* ad vocem – *Impotenza – Venezia 1834*. – Nec non in *Dizionario di Medicina, Chirurgia e Farmacia pratiche – Venezia 1840*. Et ita

Digitized by Google

denique Fleury in opere cui titulus *Traité thérapeutique et clinique d'hydrothérapie; Paris 1866.*

Sed huiusmodi praesidiis non indigere hanc causam cum ex hucusque demonstratis hymenis laceratio in corpore Ioannae potuerit produci ex consummatione matrimonii, ceu credit cognitor discrepans. Hoc unum autem sufficere ut dicatur non constare matrimonium esse adhuc simpliciter ratum et numquam consummatum, ideoque deficere primam ac praecipuam conditionem ut expostulata dispensatio concedatur.

Defensor tandem, quoad causas ab actrice allatas pro dispensatione, ait: licet eae commiserationem ciere possint, numquam tamen suadere valent pro petenda dispensatione, huius fundamento deficiente, quia de inconsummatione minime constat.

Accedere, ait, aliam animadversionem, quae allatarum causarum vim atque efficaciam non parum imminuit. Quidquid enim infelix Ioanna passa est ac patitur ratione coniugii, nil aliud est quam naturale consectarium temeritatis, qua virum acatholicum sibi copulare modis omnibus voluit, contra parentum vota, et quod magis est contra Ecclesiae voluntatem, quae aegre fert « *esse inter catholicos, qui in insano amore turpiter dementati, ab hisce detestabilibus connubiis, quae ipsa sancta Mater Ecclesia perpetuo damnavit, ex animo non abhorrent* » Ben. XIV *in Bulla Matrim.* Iam iniquum non est ut quae imprudenter se gessit, imprudentiae suae poenas luat.

Nec valet, Ioannam expostulasse atque obtinuisse veniam apostolicam ad matrimonium ineundum. Immo venia Ioannae concessa ad matrimonium contrahendum difficiliorem reddere debet novam veniam, qua modo matrimonium illud dissocietur: *incivile enim est ut per novum legis vulnus, id destruatur quod per legis vulnus conciliatum est.* Affertur autem uti causa dubium impotentiae viri saltem consequens. Verum cum ad probandam viri impotentiam nil iudicialiter productum sit, quisque videt in hoc dubio praesu-

Digitized by Google

mendum esse pro viri potentia; et insuper cum agatur de sanctitate vinculi matrimonialis in hoc dubio tutiorem partem esse eligendam.

Damnum materiale illatum bonis mulieris, et timor quod mulier, gratiâ denegatâ, civiles nuptias inire queat, nullius sunt valoris: quia damnum mere temporale numquam habitum est uti causa idonea ad coniugia dissocianda et quia gratiae pontificiae denegandae sunt comminantibus scandala, ut animum Pontificis moveant.

Hisce aliisque praenotatis, propositum fuit enodandum

Dubium

An sit consulendum SSmo pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu.

Resolutio. Sacra Cong. Concilii, re cognita, sub die 9 Augusti 1884, censuit respondere: *Affirmative.*

Ex quibus colliges. I. In iudiciali processu duo formiter esse probanda ad dispensationem concedendam; videlicet quod matrimonium sit ratum et non consummatum; et quod iustae adsint causae.

II. Actorum et testium iuratam confessionem, nec non peritorum relationem maximi esse momenti pro evincenda matrimonii inconsummatione.

III. Peritos vero cognitores habendos esse potius iudicantium instar quam testium, quando est probanda res in qua iudex non est instructus, nec instrui potest; et ideo iudex secundum illorum testimonium sententiam profert.

IV. Quum in iudiciis de gravissimis negotiis praxis recepta fuerit, ut sententiam ferant iudices numero plures; eadem videretur esse sequenda norma quoad peritos cognitores, qui in arte propria uti iudices habendi sunt.

V. In themate iudiciarii periti numero plures pro mulieris integritate suffragium tulerunt; hinc matrimonii inconsummatio probata dici potest actricis, et testium confessione, et cognitorum iudicio: nec iustae defuisse videntur causae ad concedendam dispensationem.

Digitized by Google

UGENTINA

SUSPENSIONIS

Die 9 Augusti 1884.

Compendium facti. Parochus Ecclesiae receptitiae Dioecesis ugentinae cum rescivisset mense Novembris anni 1883, Participantium praesertim instigatione processum contra ipsum in episcopali Curia clanculum confici, quosdam sibi adversos ad deponendum acciri, ac sententiam propediem edituram fore, literas ad Episcopum per apparitorem die 29 memorati mensis misit, quibus eumdem exorabat ut processum institueret quidem, at iuris normas servaret, ne sibi tuendi se potestas deficeret. Praesul autem Archipresbyteri preces nihili ducens die 1 Decembris decretum edidit, quo eumdem ex causis sibi notis, et *ex informata conscientia* a divinis et a paroeciali munere suspendit.

Huius decreti rigore perculsus parochus ad Sacratissimum Principem recursum habuit efflagitans, ut sibi innotescerent causae, quae Episcopum moverunt ad tam gravem poenam infligendam, ac S. C. C. decerneret nedum de Decreti valore, sed in hypothesi qua illud minime sustineretur, etiam de refectione damnorum quae sibi obvenerunt, et hucusque perpetitur.

Rogatus Episcopus pro informatione et voto, ac ut de inflictae suspensionis causis edoceret, respondit: tempore quo recurrens rexit paroeciam illi creditam, ratio eius vitae iuge scandalum fuit in fideles. Neque monita, neque obsecrationes, efficere valuerunt ut a mala via declinaret. Ut autem s. Congregationi causae innotescant, ait, ob quas suspensio a divinis eidem inflicta fuit, compendium ad processus, adversus eumdem incoepti, mitto de scandalis publicis ab eo nuper patratis. In eiusmodi vero compendio notantur facta obscoena singillatim cum quadam muliercula.

Ex testibus vero in primis recensentur quatuor Participantes, et alii tres Presbyteri praefati oppidi, qui sub iu-

Digitized by Google

risiurandi religione asserunt quod Parochus male se gerat cum diversis mulieribus, et praecipue cum Maria: et addiderunt, sese abstinere a pluribus referendis circa inhonestam Parochi vitam, cum haec Curiae penitus innotescant. Etiam Maria deposuit iureiurando, sese actam fuisse a Parocho in viam meretricandi atque multoties cum eodem carnaliter deliquisse. Haec et alia ab aliis testibus confirmata fuerunt.

Quibus habitis iterum Episcopo rescriptum fuit, suspensionem *ex informata conscientia* a divinis et officio haud irrogatam, ex hactenus deductis, videri ad formam Conc. Trid. *Sess. 14 cap. 1 de Reformatione*, nec proinde facile sustineri. Quo vero ad eiusdem Parochi mores et scandala procedat prout de iure.

Disceptatio Synoptica

Decretum sustineri posse videtur. Suspensionis decretum ex informata conscientia, ab Episcopo latum in suo vigore consistere, plura argumenta suadent sive ab extrinseco, sive ab intrinseco illud consideretur. Tridentini enim Patres in *sess. 14 cap. 1 de Reformatione* amplissimam Episcopis potestatem facere videntur, Clericos, tum ab ordinibus iam susceptis, tum *a gradibus et dignitatibus ecclesiasticis* ex quacumque causa, etiam extraiudicialiter, suspendere. Iamvero vocabulum illud *extraiudicialiter* cuiuslibet formae iudicialis necessitatem excludit. Unde in suspensione lata *ex informata conscientia*, non modo monitiones impune sperni ab Episcopo posse communiter sentiunt Barbosa in cap. *Romana de sent. excomm. in 6 num. 5 et seqq.*, Van-Espen *tom. 10 Tract. de recursu cap. 4 §. 4*, Schmalzgrueber *part. 4 tit. 39 num. 30*, Reiffenstuel *eod. tit. num. 28*, Monacelli *formul. legal. part. 3 tit. 2 form. 8 num. 21*, Pignatelli *tom. 10 consult. 10 art. 3:* verum etiam non teneri eumdem causam suspensionis seu delictum ipsi reo manifestare, sed tantum apostolicae Sedi, si suspensus ad eam recursum habuerit, ceu docuit S. C. C. in *Vercellensi die 21 Martii 1643*, relata a Bened. XIV de *Syn.*

Digitized by Google

bata actricis integritate ex cognitorum suffragio, dispensandi causae liqueant ex aliis testibus. Ulterius etsi controversia super impotentia versaretur, tamen ex *cap. Laudabilem de frigidis et malef.* ille tantum testes septimae manus inducere deberet qui impedimentum allegavit: ita ut si uterque in idem placitum conspirent, uterque septimam manum adhibere debeat.

Cum vero non uterque confitetur, sed unus, alter vero sileat: tunc « soli septem propinqui illius fatentis debent » iurare » Sanchez *lib. 7 disp. 109 n. 15.* Imo vero etiamsi alter fateatur, alter non sileat sed neget, testes septimae manus ab asserente tantummodo inducendi sunt; Sanchez *loc. cit.* Ferraris *biblioth. voc. matrimonium art. 6 n. 45.* « Si vero unus coniugum neget, alter affirmet... adhibendi » sunt solum septem ex parte affirmantis. »

Doctorum sententia ex legis mente originem ducit sive ex capite *Literae Vestrae 7 de frig. et malef.* Ideo enim testes inducendi sunt ne coniuges non sequutam consummationem *confiteantur in fraudem.* Cum igitur alter ex coniugibus nihil confiteatur atque in iudicio sistere nolit, fraudis suspicio oriri non potest, nec de fide ei habenda quaeri potest qui nihil dixit. Atque eo magis testes pro viro exquirere absonum esset, qui caput *Literae Vestrae* illum coniugem attingit, qui *paratus erat stare consilio Ecclesiae.* In casu autem vir non modo Ecclesiae consilium recusat sed illi iniuriam facit.

Inspectio mulieris facta fuit a viris in re obstetricia praeclaris, et absque balneo. Primum tamen in usu est in tota Austria, s. Sede approbante, prout monet: *Instructio pro iudicibus ecclesiasticis Imperii austriaci quoad causas matrimoniales;* quae *cap. 166* loquitur de peritis cognitoribus, minime de obstetricibus. Balneum vero tolerare nequivit mulieris valetudo: tamen absque balneo S. C. C. saepenumero iudicavit de virginitate; ceu videre est in Veglien. *Matrimonii* 31 Martii 1863 et in Patavina *Matrimonii* 23 Septembris 1865.

Digitized by Google

Hisce de iudiciali inquisitione praemonitis, duo ait defensor, requiri ad dispensationem concedendam: primo scilicet quod matrimonium non sit consummatum; secundo quod causae dispensandi adsint. Ad inconsummationem probandam prima audienda est Actrix, quae a Iudice rogata respondit: *Nunc accurate scio quid sit matrimonium consummare, quamvis durante vitae consortio cum meo marito, tam claram huius rei notitiam non habuerim.... Et ob hanc rem plena cum certitudine affirmo matrimonium meum cum coniuge meo prorsus nunquam consummatum esse.*»

Instructissimi praeterea testes unanimi consensione docent matrimonium non fuisse consummatum: id enim sive ab ipsa actrice sive a medicis iamdiu acceperunt: atque omnes illam honestam, religiosam, ac mentiendi omnino nesciam renunciant.

Iudex Curiae, praeter iudiciales cognitores, rogavit de sua sententia clarum medicum et obstetricem; qui pro mulieris integritate opinionem emiserunt. Ex tribus vero iudicialibus cognitoribus duo aperte et abscisse retulerunt mulierem integram esse; tertius vero ait, ex factis observationibus firmissime et infallibiliter non posse dici mulierem esse virginem; quia hymen in introitu vaginae inventum fuit remissum, et in duobus punctis aliquo modo fimbratum, et parvum foramen habentem. Defensor tamen ait, discrimen inter hoc suffragium ac cetera omnia umbratile potius quam verum esse. Dato tamen, quod verum et grave discrimen intercederet, sive medicus corruptam omnino mulierem renuntiaret, unus haberetur iudicialis cognitor, qui contra duos alios cognitores a iudice delegatos, contra alterius medici iudicium, contra iuratam obstetricem diceret. At explorati iuris est, ex pluribus peritis illos attendi debere qui magis inter se conveniunt: Rota in *dec. 55 num. 14 tom. 1 cor. Olivatio:* in *dec. 37 num. 4 cor. Emerix iun.* et in *dec. 554 num. 4 Rec.* - ibi - « Cum tamen alii duo con-
» cordent... quibus propterea magis creditur quam tertio
» discordanti. »

Digitized by Google

Eadem est iurisprudentia in aestimanda probatione per testes si inter se dissentiant: in ea scilicet idipsum viget: maiorem partem super alia praevalere: Rota in *dec. 374 num. 6 par. 3 Rec:* et in *dec. 124 num. 23 seq. par. 5 tom. 1 Rec.* Periti vero cognitores iudicantium potius more quam testium censeri debent, prout admonet Card. De Luca *de iudic. dis. 33 num. 20:* Abbas *in cap. Proposuisti 4 de probat. num. 3.* « Ubi probanda est res in qua Iudex » non est instructus, nec instrui potest... recurrendum est » ad iudicium peritorum in illa arte; et secundum illorum » testimonium iudex profert sententiam. Sic ubi dubitatur » de virginitate, recurritur ad matronas. » At illa semper » in iudiciis recepta praxis fuit, ut iudices numero plures » sententiam, aliis dissentientibus, ferant in gravissimis » negociis de statu personarum, de matrimonio, de stupro, » de capite, de libertate. Cum igitur periti cognitores iu- » dices sint, iudicum in illis norma est adhibenda. »

Tametsi perinde se hactenus disputasse, ait defensor, ac si vera inter iudiciales cognitores dissentio esset: hoc autem toto coelo abest. Quippe non modo tertius medicus nunquam affirmavit virginitatem laesam fuisse, sed pro virginitate potius perspicue censuit quatenus recte eius verba perpendantur. Quinimo post aliquod tempus medicus animadvertendo nimiâ se peccasse diligentiâ, suam explicavit sententiam et conclusit, matrimonium nondum esse consummatum et mulierem nondum esse defloratam.

Quae cum ita sint, cum difformitas inter cognitores non reperiatur, atque omnes pro mulieris integritate suffragium dederint, vel eorum conclusiones attendi debent, vel integritatis argumenta quae ipsi attulerunt ad iudicium exinde ferendum. At in iis quae artem et scientiam attinet habenda fides est artis et scientiae iudicio ac propterea cognitorum conclusionibus.

Sedulo tamen ab initio notandum, ait defensor, quod de membrana ipsa extante nemo ex cognitoribus dubitavit. Atqui ad mulieris integritatem dignoscendam ex communi

Digitized by Google

doctorum opinione, qui de anatomica re docuerunt, non perfecta atque absoluta in hymene *integritas* requiritur, sed eius membranae *existentia* sufficit atque attendi debet: Devergie *Medicina legale vol. 1 cap. 4;* Zacchia *quaest. med. leg. lib. 4 tit. 2 quaes. 1 n. 2;* Bartholin. *Instit. lib. 1 cap. 31.* Ac revera absurdum esset nullum in hymene foramen requirere: aliquis enim meatus semper adsit oportet ad corporis necessitates. Quamobrem integritati non obesse censetur meatus ille per quem digitus blande immitti valeat: recte igitur cognitores, parvo hoc foramine in actrice non obstante, hymen dixerunt *plene conservatum* atque illam integram renuntiarunt.

Sed aliud etiam gravissimum accedit quod cognitores latuit. Maritus scilicet venerea lue saepe saepius infectus fuit. Hoc non mulier tantum testatur quae audivit virum – *acri curae medicinali se subiecisse et sexuali quidem ratione, sed et alii quoque* –. Nil igitur mirum quod vir tali morbo aegrotans laesiunculas illas, quas – *fimbrias* – periti dixerunt, in actricis corpus adduxerit. Quippe malignitas metuendae luis, quolibet vel levissimo contactu, molliores partes contaminare solet, ita tamen ut ista labes nil commune habeat cum matrimonii consummatione. Cum igitur crebros conatus vir fecerit, nil mirum quod venenum puellae communicaverit, hoc autem fimbrias fecerit.

Tametsi ad abundantiam hactenus se disputasse ait defensor. Quippe redit hymenis *praesentiam* ad virginitatem dignoscendam requiri, non absolutam eius ac perfectam integritatem. Et ratio in promptu est. Cum enim in carnali copula hymen frangitur, laciniae fiunt quae ictu oculi percipiuntur, ac propter earum formam nuncupantur *carunculae myrtiformes.* Unde fit ut semper, si extat hymen, desint carunculae: si absint carunculae, integra mulier dici debeat. In casu nemo ex cognitoribus carunculas invenit, nemo earum vestigia suspicatur: imo vero omnino deesse aliquis significavit.

Perspicua haec esse tradit defensor, sed illustriora etiam

Digitized by Google

fient si iurisprudentia attendatur, quam semper in pretio habuit S. Cong. Concilii in huiusmodi rerum adiunctis. Quippe non in similibus tantum casibus, sed in aliis longe gravioribus pro dispensatione responsum latum fuit, dummodo non ex uno potius vel altero iudicio, sed ex cunctis simul in unum collectis, mulieris integritas ac non sequuta matrimonii consummatio innotuisset. Ita in causa *Venetiarum matrimonii die 28 Iulii 1860* gravissima laceratio occurrebat cum hymenis destructione, nec non caruncularum myrtiformium existentia. Cum vero huiusmodi lacerationem aliis causis tribuendam censuissent cognitores, sacer Ordo matrimonii nullitatem declaravit. Idem autem fecit in causa *Neapolitana matrimonii diei 18 Augusti 1866*, et in causa *Ianuen. dispensationis diei 9 Iunii 1866;* in qua propositae rogandi formulae - *An sit consulendum SSmo pro dispensatione etc.* - die 9 Iunii 1866 responsum fuit - *Affirmative.* Specimen demum longe gravius obtulit recens causa *Ratisbonen. matrimonii diei 5 Februarii 1876.* (1)

Conclusit igitur defensor: si cognitorum vices explere velis, indicia omnia atque argumenta virginitatem ostendunt. Hymen adest: absunt carunculae: parvum illud foramen posthaberi potest, tum quia haec foraminis mensura naturalis meatus non excedit, tum quia vel a natura datum, vel plurimis modis inductum esse potest.

Hisce expletis, defensor ad causas dispensationis transiens, ait: in casu, praeter communes, adesse impotentiae dubium ex lue venerea, quae viri habitum atque aspectum ita labefactarunt, ut debilis atque aegrotans appareat. Neminem autem latet quam facile perpetua impotentia gallicam luem subsequatur.

Aliud impotentiae argumentum evincitur ex praepropera seminis effusione in irritis conatibus, quam, ait mulier, *citissime evenisse.* Quae cum ita sint illud certissime constat vel ex omnimoda frigiditate vel ex imbecillitate virium femineum vas penetrare virum non posse, iuxta opinionem

(1) Adest causa haec vol. IX, pag. 303.

Digitized by Google

communi plausu receptam, quam tradit Sanchez *de matr. lib. 7 disp. 93 et 94*. Huiusmodi homines, si frigidi nequeant ex rigore dici, frigidis tamen quoad effectum aequiparantur, prout omnes medici et pontificii iuris auctores docent: Sotus *lib. 4 sententiar. dis. 34 qu. 1 art. 3,* Zacchias *lib. 3 quaes. med. leg. tit. 1 qu. 5 num. 11 et seqq.* « Illos quidem aptius frigidos vocari posse dixerim » qui non eximio calore aut seminis acutie antequam ad » opus perveniant, polluuntur, sed ex retentionis debilitate... » Hos ego absque dubio inter frigidos connumerandos censeo, » cum nihil intersit an semen effundant necne, si coitum » ob frigiditatem exercere minime valeant. »

Quibus in adiunctis brevissimae erectionis species non aliter appellari potest quam spuria erectio vel semierectio: Cocchius *discept. physic. anatom. §. 9*. Gravissimum denique impotentiae argumentum flagrat ex diuturna quatuor annorum cohabitatione. Nihil unquam intentatum reliquit Ioanna, ut matrimonium vir consummaret, sed perperam. Atqui si tam longo temporis lapsu coniugalem actum vir non explevit, nulla profecto ei spes affulget, ut in posterum aliquando explere valeat.

Utcumque vir impotentiam inficiari velit, semper redit matrimonii consummationem, adhibitis ultra quatuor annos viribus, defuisse. Dicendum igitur potentem hactenus minime illum fuisse. En igitur temporaneae saltem impotentiae physica certitudo. Finge paullisper illam perpetuam non esse: finge curabilem: sed temporanea impotentia posita, hoc unum ad dispensationem exuberat propter evidens incontinentiae periculum et ancipitem futuri temporis conditionem: Cosci *loc. cit. num. 281;* Fagnan. *in cap. Verum sub num. 11 de conv. coniug.;* Pignatell. *cons. 147 num. 10 seq. tom. 4;* Menoc. *de praes. lib. 2 praes. 10 num. 42* - ibi - « Timor fornicationis coniugis iusta causa dispensationis ma» trimonii. »

In casu autem non animae tantum sed corporis etiam iactura dispensationem suadet. Actricis enim valetudo iam

Digitized by Google

antea infirma adeo ex frequentibus ac frustraneis viri conatibus, longo quatuor annorum lapsu productis, labefactata est, ut pluribus abhinc annis medicae curae perpetuo subiiciatur. Nemo igitur Ioannam ad ulteriorem adhuc cohabitationem cogendam esse putabit. Adde etiam quae viennensis Iudex animadvertit: quod scilicet miseram actrix ac tristissimam vitam agit, quod maritus sectae Lutheri studiosus dissolutionem matrimonii sui quam facillime impetrare atque ad alias nuptias transire potest.

Postremo notandum tantam hodie animi aversionem ac dissociationem patere, ut nulla pacis conciliandae spes oriri possit. Quod unum, etsi cetera deficerent, omnino dispensationem requireret: De Luca *de matr. disc. 9 num. 8;* Lancellotti *penes* Ursayam *tom. 3 par. 2 disc. 21 not. 62;* Clericat. *de sacr. matr. dec. 15 sub num. 45;* Corradi *in prax. dispens. lib. 8 .cap. 7 num. 33.*

At nemo veram inter coniuges concordiam perdurasse putabit cum mulier inanibus quotidie conatibus vexaretur, cum in dies corporis cruciatus augerentur et valetudo deficeret, cum illam exanimaret prodiga viri temeritas in alea in qua patrimonium ita profligavit, ut illam – *bonis artibus ac scientiis instructam... in familiis primis cognitam* – in egestatem coniecerit.

Quae cum ita sint, animorum aversio inter coniuges in foedere, quod sine mutua benevolentia non consistit, urgentissimam ac validissimam dispensationi causam praebet. Pignatell. *tom. 1 cons. 148 num. 9.* Imo vero quam citius fieri potest dispensationi consulendum esse tradit Coscius *de sep. thori lib. 3 cap. 2 num. 117 seq.* iis verbis. « Ad » quae removenda mala quam citius fieri potest non videtur » instruendum iudicium pro dissolvendo matrimonio per » viam rigorosae iustitiae, quae flamma litis et temporis » longitudo magis odium auget et animi magis exasperan- » tur, sed petenda est a Summo Pontifice dispensatio per » viam gratiae, qui ob hanc causam proclivior esse debet » ad huius dispensationis concessionem. »

Digitized by Google

ANIMADVERSIONES VINDICIS S. VINCULI. Praemonuit solemnitates iuridicas in pluribus fuisse ad unguem servatas in Curia viennensi. Sed quod mulieris inspectio medicis potius quam obstetricibus demandata fuerit aegre conciliari, ait cum *Instructione* S. C. C. anni 1840; et ad Curiam transmissa; iuxta quam usus balnei, ad mulierum virginitatem rite dignoscendam, formiter praescriptus fuit. Hinc ex magna temeritate, qua opinionem suam medici imponere ausi sunt Curiae episcopali, asserentes balneum esse superfluum et nihil ad declarandum statum proficere, et ex magna debilitate qua Curia ipsa eorum opinioni adhaesit, gravior profecto iniuria S. C. Cong. est irrogata, quae tam salubria in causis matrimonialibus dignoscendis sancivit. Tanti namque interest ut regulae praescriptae religiose serventur, quanti interest ut iuridice ac legitimo modo probetur quod probandum est ad dispensationem assequendam.

Praeterea cum loco obstetricum medici usurpati essent a Curia viennensi, quorum ope status naturalis Oratricis dignosceretur, omnis ratio suadebat ut eaedem omnino leges a medicis inspicientibus servarentur, quae accurate pro obstetricibus definiuntur a S. C. Instructione. Porro; inter alia, hoc iniungitur ut post balneum « *adstantibus semper et praesentibus Matrona et obstetricibus, statim ne ullum spatium, aut momentum temporis mulieri detur, quo ad arctandum vas ullo medicamento, aut aliqua fraude uti queat, ad ipsius corporis inspectionem a singulis seorsim deveniendum erit.* » Hac extante peremptoria instructione, pronum erat Curiae viennensi, cum adhibere maluisset medicos, curare ut omnes una simul adstarent inspectioni a singulis peragendae. Attamen cautela huiusmodi contempta omnino fuit; seorsim enim unus post alium medici accesserunt ad corpus Ioannae inspiciendum.

Nec satis. Cum maxime salebrosa et periculis plena sit inspectio mulieris quae se virginem iactat, cumque honestatis gratiâ impossibilis esset praesentia iudicis in inspectione peragenda, cautum est, ut difficillimi huius negotii executio

Digitized by Google

concrederetur honestae matronae, quae ecclesiasticam auctoritatem veluti repraesentaret, et praeses existeret ut omnia accurate ac sine dolo servarentur, quae servanda praecipiuntur. Matrona haec, prout traditur in laudata Instructione, a iudice ipso est deputanda; ad eius domum est traducenda mulier quae debet inspici; insuper matronae incumbit onus iugiter praestandi personalem adsistentiam, sive quando mulier immergitur atque permanet in balneo aquae tepentis, sive quando eiusdem corporis inspectio peragitur. Tandem post examen obstetricum et peritorum, examen subire debebit quoque matrona quoad praestitam toto balnei et recognitionis tempore adsistentiam.

Iam vero incredibili temeritate, ait, omnia haec contempta fuerunt in iudiciali recognitione; matronae enim, quae inspectioni adstaret et de inspectione referret, ne mentio quidem fit in relatione expletae inspectionis in corpore mulieris. Respuendam omnino igitur esse, conclusit, inspectionem huiusmodi, utpote expletam contra canones, et omnibus illis adminiculis atque solemnitatibus destitutam, ex quibus dependet iudicialis valor ad fidem faciendam.

Quoad matrimonii inconsummationem, non diffitetur testimonium septimae manus plene suffragari assertioni mulieris, quae se virginem dicit; at in casu parvi momenti ait esse huiusmodi testimonium; 1. enim ex consanguineis qui auditi sunt, alii iam ab initio reprobaverant nuptias Ioannae, alii eidem suaserunt ut iudicium hoc institueret; omnes vero nil magis in votis habent quam, ut infelix hoc vinculum dissocietur: 2. Testes septimae manus nullum prorsus factum aut iudicium praebent, ex quo oriatur saltem opinio matrimonium fuisse inconsummatum, sed allegant solummodo viri gracilitatem, vel ex supposita mulieris integritate argumentantur ad matrimonii inconsummationem. 3. Extra controversiam esse, testimonium septimae manus per se non nisi indicium praebere de secuta vel non secuta copula maritali, certitudinem autem non nisi ex corporum insp[illegible]te habita, et medicorum iudicio proficisci.

Digitized by Google

Tum ex relatis peritorum depositionibus circa mulieris statum tam voce quam scripto traditis oppido liquere ait: 1. statum naturalem Ioannae non fuisse a peritis eodem modo exploratum, mutuo enim sibimet contradicunt, quae de eius status conditione ipsi testantur; 2. iudicium ab ipsis prolatum, circa secutam vel non secutam consummationem matrimonii, fuisse divisum.

Hinc quid sentiendum de iudiciis, quae circa integritatem Ioannae medici periti protulerunt, facile respondit iudicia tanti valere, quanti observationes ex quibus fuerunt derivata. Eo ipso igitur quod nutantes et contradictoriae sunt observationes medicorum in corpore Ioannae peractae, ipsorum quoque iudicium uti incertum et nullius roboris habendum erit. Nullo pacto proinde in specie nostra Summus Pontifex sibi efformare posset certitudinem illam moralem de inconsummatione matrimonii, quae absolute necessaria est, ut potestate prorsus singulari dispensandi a matrimonio rato et non consummato uti valeat. Dum ex una parte gravissima praesumptio pro consummatione matrimonii ex facto ipso diuturnae cohabitationis et condormitionis exurgit, ex alia, ad probandam integritatem Oratricis, impotentia viri neque affertur neque afferri potest: iudicialis inquisitio pluribus ac substantialibus vitiis obnoxia est, inspectiones denique peritorum neque legitimae, neque accuratae, neque conformes saltem in iis, quae maximi momenti sunt, deprehenduntur.

Deinde defensor nonnullas peregit animadversiones contra argumentum oratoris, quod nempe umbratilis, non vera esset discrepantia inter cognitores aiens: non esse pervertendam et immutandam naturam quaestionis, quae in praesentiarum agitur. Quaestio est an certissime, ceu oportet, constet matrimonium non fuisse consummatum. Iam haec quaestio toto coelo distat ab alia, an certissime constet matrimonium fuisse consummatum. Quando haec secunda agitur quaestio, qui consummationem non constare contendit, ad aliud non tenetur quam ad explicanda indicia, vel refutanda argumenta

Digitized by Google

quae pro consummatione allegantur; qui autem matrimonium consummatum fuisse asserit, onus habet positive demonstrandi sententiam suam, excludendo omnes alias hypotheses, quae adduci possent ad mulieris deflorationem excludendam. Ex adverso quando prima agitatur quaestio, qui negativam sententiam tuetur eo usque victor existet, quousque minima etiam probabilitas suffragetur mulieris corruptioni; qui vero positivam sententiam defendit, omne punctum non antea feret quam evidentibus rationibus factum carnalis concubitus excluserit. Porro in imploranda a s. Sede dispensatione a matrimonio rato et non consummato, ille qui supremae huius potestatis usum postulat, non negare simpliciter debet matrimonium fuisse consummatum, neque argumenta tantum proferre ex quibus probabilis aut etiam probabilior, vel si vis probabilissima arguatur inconsummatio matrimonii, sed concludentissimas rationes afferre debet, ex quibus certo certius liqueat copulam maritalem nullatenus obtinuisse. Favor enim matrimonii, immo iuris divini reverentia omnino exigit, ut non secus adhibeatur pontificia potestas quam ubi de integritate mulieris dubitare non licet: si quae enim suspicio aut dubitatio adsit in contrarium, quantacumque sit probabilitas quae mulieris virginitati favet, tutior semper pars est eligenda. Hinc factum est, ut quoties S. C. C. in causis matrimonialibus huiusmodi deprehendit simplicem etiam possibilitatem quod copula reapse accidisset, dimissine obstiterit supplicantium precibus et dispensationem negandam censuerit, ut videre est in *Wratislavien.* [illegible] 23 *Ian. 1634. Hispalen. 14 Mar. 1738. Gerunden. 15 Dec. 1772.*

Posita hac doctrina, ut si quaestio esset an Lanna deflorata vere fuerit, concederet et ipse in favorem Lannae validissimum esse virum cognitum, qui pluries fassus est [illegible] Lannae [illegible] non posset et [illegible] posse explicari [illegible] quae in [illegible] sive [illegible] At [illegible] [illegible]

cognitor ab aliis discrepans dicendo: « firmissime... non est dicendum mulierem adhuc esse in statu virginitatis. »

Ex dictis deduxit Vindex, nil roboris accedere assertae virginitati oratricis *ex arbitrio* quod, Iudice viennensi rogante, protulerunt alii duo cognitores. Isti Ioannae corpus minime inspexerunt, sed tantummodo examini subiecerunt relationes et iudicia trium cognitorum iudicialium, et quid sibi verius ex hoc examine visum est asseruerunt in pandito voto.

Denique non rite ad virginitatem in muliere evincendam recurri ad membranae hymenis existentiam, licet hymen sit laceratum: ex quo dici debeat virginitatem non fuisse laesam. Cui argumento Patroni tunc aliqua vis fuisset si medici in textibus allatis docuissent, qualemcumque hymenis etiam fimbrati existentiam, indubium esse virginitatis signum. At medici id nullatenus docuerunt. Immerito igitur ex horum sententia argumentum ducitur pro Ioannae integritate.

Hoc posito, argumentum in adversarium retorquit. Solam hymenis, etsi lacerati ac fimbrati, existentiam esse signum indubium virginitatis tantum a veritate abest ut medici doctissimi, tum antiqui, cum recentes, neque integri hymenis existentiam, notam certam et infallibilem virginitatis esse existiment. Quod docet Zacchias *quaest. Medic. leg. lib. 4 tit. 2 quaest. 2* ex adverso citatus.

Inter recentiores vero plures sunt, qui nedum hoc virginitatis palladium parum faciunt, sed ulterius quoque progressi existimant ad conceptum et generationis effectum nequaquam necessarium esse, ut vir seminalem humorem effundat in interiores feminei organi partes, sed satis esse quod eiusmodi humor ad externam eiusdem organi superficiem seu ad vaginae os vel ingressum effundatur et applicetur. Ita Vallisnieri *Istoria della generazione dell'uomo part. 1 cap. 8 n. 7 et part. 2 cap. 13;* ita in – *Dizionario classico di medicina interna ed esterna* ad vocem – *Impotenza – Venezia 1834.* – Nec non in *Dizionario di Medicina, Chirurgia e Farmacia pratiche – Venezia 1840.* Et ita

Digitized by Google

denique Fleury in opere cui titulus *Traité thérapeutique et clinique d'hydrothérapie; Paris 1866*.

Sed huiusmodi praesidiis non indigere hanc causam cum ex hucusque demonstratis hymenis laceratio in corpore Ioannae potuerit produci ex consummatione matrimonii, ceu credit cognitor discrepans. Hoc unum autem sufficere ut dicatur non constare matrimonium esse adhuc simpliciter ratum et numquam consummatum, ideoque deficere primam ac praecipuam conditionem ut expostulata dispensatio concedatur.

Defensor tandem, quoad causas ab actrice allatas pro dispensatione, ait: licet eae commiserationem ciere possint, numquam tamen suadere valent pro petenda dispensatione, huius fundamento deficiente, quia de inconsummatione minime constat.

Accedere, ait, aliam animadversionem, quae allatarum causarum vim atque efficaciam non parum imminuit. Quidquid enim infelix Ioanna passa est ac patitur ratione coniugii, nil aliud est quam naturale consectarium temeritatis, qua virum acatholicum sibi copulare modis omnibus voluit, contra parentum vota, et quod magis est contra Ecclesiae voluntatem, quae aegre fert « *esse inter catholicos, qui in insano amore turpiter dementati, ab hisce detestabilibus connubiis, quae ipsa sancta Mater Ecclesia perpetuo damnavit, ex animo non abhorrent* » Ben. XIV *in Bulla Matrim.* Iam iniquum non est ut quae imprudenter se gessit, imprudentiae suae poenas luat.

Nec valet, Ioannam expostulasse atque obtinuisse veniam apostolicam ad matrimonium ineundum. Immo venia Ioannae concessa ad matrimonium contrahendum difficiliorem reddere debet novam veniam, qua modo matrimonium illud dissocietur: *incivile enim est ut per novum legis vulnus, id destruatur quod per legis vulnus conciliatum est*. Affertur autem uti causa dubium impotentiae viri saltem consequens. Verum cum ad probandam viri impotentiam nil iudicialiter productum sit, quisque videt in hoc dubio praesu-

Digitized by Google

mendum esse pro viri potentia; et insuper cum agatur de sanctitate vinculi matrimonialis in hoc dubio tutiorem partem esse eligendam.

Damnum materiale illatum bonis mulieris, et timor quod mulier, gratiâ denegatâ, civiles nuptias inire queat, nullius sunt valoris: quia damnum mere temporale numquam habitum est uti causa idonea ad coniugia dissocianda et quia gratiae pontificiae denegandae sunt comminantibus scandala, ut animum Pontificis moveant.

Hisce aliisque praenotatis, propositum fuit enodandum

Dubium

An sit consulendum SSmo pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu.

Resolutio. Sacra Cong. Concilii, re cognita, sub die 9 Augusti 1884, censuit respondere: *Affirmative.*

Ex quibus colliges. I. In iudiciali processu duo formiter esse probanda ad dispensationem concedendam; videlicet quod matrimonium sit ratum et non consummatum; et quod iustae adsint causae.

II. Actorum et testium iuratam confessionem, nec non peritorum relationem maximi esse momenti pro evincenda matrimonii inconsummatione.

III. Peritos vero cognitores habendos esse potius iudicantium instar quam testium, quando est probanda res in qua iudex non est instructus, nec instrui potest; et ideo iudex secundum illorum testimonium sententiam profert.

IV. Quum in iudiciis de gravissimis negotiis praxis recepta fuerit, ut sententiam ferant iudices numero plures; eadem videretur esse sequenda norma quoad peritos cognitores, qui in arte propria uti iudices habendi sunt.

V. In themate iudiciarii periti numero plures pro mulieris integritate suffragium tulerunt; hinc matrimonii inconsummatio probata dici potest actricis, et testium confessione, et cognitorum iudicio: nec iustae defuisse videntur causae ad concedendam dispensationem.

Digitized by Google

UGENTINA

SUSPENSIONIS

Die 9 Augusti 1884.

COMPENDIUM FACTI. Parochus Ecclesiae receptitiae Dioecesis ugentinae cum rescivisset mense Novembris anni 1883, Participantium praesertim instigatione processum contra ipsum in episcopali Curia clanculum confici, quosdam sibi adversos ad deponendum acciri, ac sententiam propediem edituram fore, literas ad Episcopum per apparitorem die 29 memorati mensis misit, quibus eumdem exorabat ut processum institueret quidem, at iuris normas servaret, ne sibi tuendi se potestas deficeret. Praesul autem Archipresbyteri preces nihili ducens die 1 Decembris decretum edidit, quo eumdem ex causis sibi notis, et *ex informata conscientia* a divinis et a paroeciali munere suspendit.

Huius decreti rigore perculsus parochus ad Sacratissimum Principem recursum habuit efflagitans, ut sibi innotescerent causae, quae Episcopum moverunt ad tam gravem poenam infligendam, ac S. C. C. decerneret nedum de Decreti valore, sed in hypothesi qua illud minime sustineretur, etiam de refectione damnorum quae sibi obvenerunt, et hucusque perpetitur.

Rogatus Episcopus pro informatione et voto, ac ut de inflictae suspensionis causis edoceret, respondit: tempore quo recurrens rexit paroeciam illi creditam, ratio eius vitae iuge scandalum fuit in fideles. Neque monita, neque obsecrationes, efficere valuerunt ut a mala via declinaret. Ut autem s. Congregationi causae innotescant, ait, ob quas suspensio a divinis eidem inflicta fuit, compendium ad processus, adversus eumdem incoepti, mitto de scandalis publicis ab eo nuper patratis. In eiusmodi vero compendio notantur facta obscoena singillatim cum quadam muliercula.

Ex testibus vero in primis recensentur quatuor Participantes, et alii tres Presbyteri praefati oppidi, qui sub iu-

Digitized by Google

risiurandi religione asserunt quod Parochus male se gerat cum diversis mulieribus, et praecipue cum Maria: et addiderunt, sese abstinere a pluribus referendis circa inhonestam Parochi vitam, cum haec Curiae penitus innotescant. Etiam Maria deposuit iureiurando, sese actam fuisse a Parocho in viam meretricandi atque multoties cum eodem carnaliter deliquisse. Haec et alia ab aliis testibus confirmata fuerunt.

Quibus habitis iterum Episcopo rescriptum fuit, suspensionem *ex informata conscientia* a divinis et officio haud irrogatam, ex hactenus deductis, videri ad formam Conc. Trid. *Sess. 14 cap. 1 de Reformatione,* nec proinde facile sustineri. Quo vero ad eiusdem Parochi mores et scandala procedat prout de iure.

Disceptatio Synoptica

Decretum sustineri posse videtur. Suspensionis decretum ex informata conscientia, ab Episcopo latum in suo vigore consistere, plura argumenta suadent sive ab extrinseco, sive ab intrinseco illud consideretur. Tridentini enim Patres in *sess. 14 cap. 1 de Reformatione* amplissimam Episcopis potestatem facere videntur, Clericos, tum ab ordinibus iam susceptis, tum *a gradibus et dignitatibus ecclesiasticis* ex quacumque causa, etiam extraiudicialiter, suspendere. Iamvero vocabulum illud *extraiudicialiter* cuiuslibet formae iudicialis necessitatem excludit. Unde in suspensione lata *ex informata conscientia,* non modo monitiones impune sperni ab Episcopo posse communiter sentiunt Barbosa in cap. *Romana de sent. excomm. in 6 num. 5 et seqq.,* Van-Espen *tom. 10 Tract. de recursu cap. 4 §. 4,* Schmalzgrueber *part. 4 tit. 39 num. 30,* Reiffenstuel *eod. tit. num. 28,* Monacelli *formul. legal. part. 3 tit. 2 form. 8 num. 21,* Pignatelli *tom. 10 consult. 10 art. 3:* verum etiam non teneri eumdem causam suspensionis seu delictum ipsi reo manifestare, sed tantum apostolicae Sedi, si suspensus ad eam recursum habuerit, ceu docuit S. C. C. in *Vercellensi die 21 Martii 1643,* relata a Bened. XIV de *Syn.*

Digitized by Google

antea infirma adeo ex frequentibus ac frustraneis viri conatibus, longo quatuor annorum lapsu productis, labefactata est, ut pluribus abhinc annis medicae curae perpetuo subiiciatur. Nemo igitur Ioannam ad ulteriorem adhuc cohabitafionem cogendam esse putabit. Adde etiam quae viennensis Iudex animadvertit : quod scilicet miseram actrix ac tristissimam vitam agit, quod maritus sectae Lutheri studiosus dissolutionem matrimonii sui quam facillime impetrare atque ad alias nuptias transire potest.

Postremo notandum tantam hodie animi aversionem ac dissociationem patere, ut nulla pacis conciliandae spes oriri possit. Quod unum, etsi cetera deficerent, omnino dispensationem requireret: De Luca *de matr. disc. 9 num. 8;* Lancellotti *penes* Ursayam *tom. 3 par. 2 disc. 21 not. 62;* Clericat. *de sacr. matr. dec. 15 sub num. 45;* Corradi *in prax. dispens. lib. 8 cap. 7 num. 33.*

At nemo veram inter coniuges concordiam perdurasse putabit cum mulier inanibus quotidie conatibus vexaretur, cum in dies corporis cruciatus augerentur et valetudo deficeret, cum illam exanimaret prodiga viri temeritas in alea in qua patrimonium ita profligavit, ut illam – *bonis artibus ac scientiis instructam... in familiis primis cognitam* – in egestatem coniecerit.

Quae cum ita sint, animorum aversio inter coniuges in foedere, quod sine mutua benevolentia non consistit, urgentissimam ac validissimam dispensationi causam praebet. Pignatell. *tom. 1 cons. 148 num. 9.* Imo vero quam citius fieri potest dispensationi consulendum esse tradit Coscius *de sep. thori lib. 3 cap. 2 num. 117 seq.* iis verbis. « Ad » quae removenda mala quam citius fieri potest non videtur » instruendum iudicium pro dissolvendo matrimonio per » viam rigorosae iustitiae, quae flamma litis et temporis » longitudo magis odium auget et animi magis exasperan» tur, sed petenda est a Summo Pontifice dispensatio per » viam gratiae, qui ob hanc causam proclivior esse debet » ad huius dispensationis concessionem. »

Digitized by Google

Animadversiones vindicis s. vinculi. Praemonuit solemnitates iuridicas in pluribus fuisse ad unguem servatas in Curia viennensi. Sed quod mulieris inspectio medicis potius quam obstetricibus demandata fuerit aegre conciliari, ait cum *Instructione* S. C. C. anni 1840; et ad Curiam transmissa; iuxta quam usus balnei, ad mulierum virginitatem rite dignoscendam, formiter praescriptus fuit. Hinc ex magna temeritate, qua opinionem suam medici imponere ausi sunt Curiae episcopali, asserentes balneum esse superfluum et nihil ad declarandum statum proficere, et ex magna debilitate qua Curia ipsa eorum opinioni adhaesit, gravior profecto iniuria S. C. Cong. est irrogata, quae tam salubria in causis matrimonialibus dignoscendis sancivit. Tanti namque interest ut regulae praescriptae religiose serventur, quanti interest ut iuridice ac legitimo modo probetur quod probandum est ad dispensationem assequendam.

Praeterea cum loco obstetricum medici usurpati essent a Curia viennensi, quorum ope status naturalis Oratricis dignosceretur, omnis ratio suadebat ut eaedem omnino leges a medicis inspicientibus servarentur, quae accurate pro obstetricibus definiuntur a S. C. Instructione. Porro; inter alia, hoc iniungitur ut post balneum « *adstantibus semper et praesentibus Matrona et obstetricibus, statim ne ullum spatium, aut momentum temporis mulieri detur, quo ad arctandum vas ullo medicamento, aut aliqua fraude uti queat, ad ipsius corporis inspectionem a singulis seorsim deveniendum erit.* » Hac extante peremptoria instructione, pronum erat Curiae viennensi, cum adhibere maluisset medicos, curare ut omnes una simul adstarent inspectioni a singulis peragendae. Attamen cautela huiusmodi contempta omnino fuit; seorsim enim unus post alium medici accesserunt ad corpus Ioannae inspiciendum.

Nec satis. Cum maxime salebrosa et periculis plena sit inspectio mulieris quae se virginem iactat, cumque honestatis gratiâ impossibilis esset praesentia iudicis in inspectione peragenda, cautum est, ut difficillimi huius negotii executio

Digitized by Google

concrederetur honestae matronae, quae ecclesiasticam auctoritatem veluti repraesentaret, et praeses existeret ut omnia accurate ac sine dolo servarentur, quae servanda praecipiuntur. Matrona haec, prout traditur in laudata Instructione, a iudice ipso est deputanda; ad eius domum est traducenda mulier quae debet inspici; insuper matronae incumbit onus iugiter praestandi personalem adsistentiam, sive quando mulier immergitur atque permanet in balneo aquae tepentis, sive quando eiusdem corporis inspectio peragitur. Tandem post examen obstetricum et peritorum, examen subire debebit quoque matrona quoad praestitam toto balnei et recognitionis tempore adsistentiam.

Iam vero incredibili temeritate, ait, omnia haec contempta fuerunt in iudiciali recognitione; matronae enim, quae inspectioni adstaret et de inspectione referret, ne mentio quidem fit in relatione expletae inspectionis in corpore mulieris. Respuendam omnino igitur esse, conclusit, inspectionem huiusmodi, utpote expletam contra canones, et omnibus illis adminiculis atque solemnitatibus destitutam, ex quibus dependet iudicialis valor ad fidem faciendam.

Quoad matrimonii inconsummationem, non diffitetur testimonium septimae manus plene suffragari assertioni mulieris, quae se virginem dicit; at in casu parvi momenti ait esse huiusmodi testimonium; 1. enim ex consanguineis qui auditi sunt, alii iam ab initio reprobaverant nuptias Ioannae, alii eidem suaserunt ut iudicium hoc institueret; omnes vero nil magis in votis habent quam, ut infelix hoc vinculum dissocietur: 2. Testes septimae manus nullum prorsus factum aut iudicium praebent, ex quo oriatur saltem opinio matrimonium fuisse inconsummatum, sed allegant solummodo viri gracilitatem, vel ex supposita mulieris integritate argumentantur ad matrimonii inconsummationem. 3. Extra controversiam esse, testimonium septimae manus per se non nisi indicium praebere de secuta vel non secuta copula maritali, certitudinem autem non nisi ex corporum inspectione, rite habita, et medicorum iudicio proficisci.

Digitized by Google

Tum ex relatis peritorum depositionibus circa mulieris statum tam voce quam scripto traditis oppido liquere ait: 1. statum naturalem Ioannae non fuisse a peritis eodem modo exploratum, mutuo enim sibimet contradicunt, quae de eius status conditione ipsi testantur; 2. iudicium ab ipsis prolatum, circa secutam vel non secutam consummationem matrimonii, fuisse divisum.

Hinc quid sentiendum de iudiciis, quae circa integritatem Ioannae medici periti protulerunt, facile respondit iudicia tanti valere, quanti observationes ex quibus fuerunt derivata. Eo ipso igitur quod nutantes et contradictoriae sunt observationes medicorum in corpore Ioannae peractae, ipsorum quoque iudicium uti incertum et nullius roboris habendum erit. Nullo pacto proinde in specie nostra Summus Pontifex sibi efformare posset certitudinem illam moralem de inconsummatione matrimonii, quae absolute necessaria est, ut potestate prorsus singulari dispensandi a matrimonio rato et non consummato uti valeat. Dum ex una parte gravissima praesumptio pro consummatione matrimonii ex facto ipso diuturnae cohabitationis et condormitionis exurgit, ex alia, ad probandam integritatem Oratricis, impotentia viri neque affertur neque afferri potest: iudicialis inquisitio pluribus ac substantialibus vitiis obnoxia est, inspectiones denique peritorum neque legitimae, neque accuratae, neque conformes saltem in iis, quae maximi momenti sunt, deprehenduntur.

Deinde defensor nonnullas peregit animadversiones contra argumentum oratoris, quod nempe umbratilis, non vera esset discrepantia inter cognitores aiens: non esse pervertendam et immutandam naturam quaestionis, quae in praesentiarum agitur. Quaestio est an certissime, ceu oportet, constet matrimonium non fuisse consummatum. Iam haec quaestio toto coelo distat ab alia, an certissime constet matrimonium fuisse consummatum. Quando haec secunda agitur quaestio, qui consummationem non constare contendit, ad aliud non tenetur quam ad explicanda indicia, vel refutanda argumenta

Digitized by Google

quae pro consummatione allegantur; qui autem matrimonium consummatum fuisse asserit, onus habet positive demonstrandi sententiam suam excludendo omnes alias hypotheses, quae adduci possent ad mulieris deflorationem excludendam. Ex adverso quando prima agitatur quaestio, qui negativam sententiam tuetur eo usque victor existet, quousque minima etiam probabilitas suffragetur mulieris corruptioni; qui vero positivam sententiam defendit, omne punctum non antea feret quam evidentibus rationibus factum carnalis concubitus excluserit. Porro in imploranda a s. Sede dispensatione a matrimonio rato et non consummato, ille qui supremae huius potestatis usum postulat, non negare simpliciter debet matrimonium fuisse consummatum, neque argumenta tantum proferre ex quibus probabilis aut etiam probabilior, vel si vis probabilissima arguatur inconsummatio matrimonii, sed concludentissimas rationes afferre debet, ex quibus certo certius liqueat copulam maritalem nullatenns obtinuisse. Favor enim matrimonii, immo iuris divini reverentia omnino exigit, ut non secus adhibeatur pontificia potestas quam ubi de integritate mulieris dubitare non licet: si quae enim suspicio aut dubitatio adsit in contrarium, quantacumque sit probabilitas quae mulieris virginitati favet, tutior semper pars est eligenda. Hinc factum est, ut quoties S. C. C. in causis matrimonialibus huiusmodi deprehendit simplicem etiam possibilitatem quod copula reapse accidisset, firmissime obstiterit supplicantium precibus et dispensationem negandam censuerit, ut videre est in *Wormatien. matrimonii 23 Ian. 1634, Hispalen. 14 Mar. 1738, Chien. 15 Dec. 1792.*

Posita hac doctrina, ait, si quaestio esset an Ioanna deflorata vere fuerit, concederet et ipse in favorem Ioannae validissimum esse votum cognitoris, qui pluries fassus est corruptionem Ioannae *certo* asseri non posse; et optime posse explicari alterationes quae in eius genitalibus occurrunt sive ex ingenito defectu, sive alia superveniente causa distincta ab opere maritali. At quaestio non haec, sed alia est, scilicet an certo Ioanna deflorata non fuerit; cui quaestioni respondit

Digitized by Google

cognitor ab aliis discrepans dicendo: « firmissime... non est dicendum mulierem adhuc esse in statu virginitatis. »

Ex dictis deduxit Vindex, nil roboris accedere assertae virginitati oratricis *ex arbitrio* quod, Iudice viennensi rogante, protulerunt alii duo cognitores. Isti Ioannae corpus minime inspexerunt, sed tantummodo examini subiecerunt relationes et iudicia trium cognitorum iudicialium, et quid sibi verius ex hoc examine visum est asseruerunt in pandito voto.

Denique non rite ad virginitatem in muliere evincendam recurri ad membranae hymenis existentiam, licet hymen sit laceratum: ex quo dici debeat virginitatem non fuisse laesam. Cui argumento Patroni tunc aliqua vis fuisset si medici in textibus allatis docuissent, qualemcumque hymenis etiam fimbrati existentiam, indubium esse virginitatis signum. At medici id nullatenus docuerunt. Immerito igitur ex horum sententia argumentum ducitur pro Ioannae integritate.

Hoc posito, argumentum in adversarium retorquit. Solam hymenis, etsi lacerati ac fimbrati, existentiam esse signum indubium virginitatis tantum a veritate abest ut medici doctissimi, tum antiqui, cum recentes, neque integri hymenis existentiam, notam certam et infallibilem virginitatis esse existiment. Quod docet Zacchias *quaest. Medic. leg. lib. 4 tit. 2 quaest. 2* ex adverso citatus.

Inter recentiores vero plures sunt, qui nedum hoc virginitatis palladium parum faciunt, sed ulterius quoque progressi existimant ad conceptum et generationis effectum nequaquam necessarium esse, ut vir seminalem humorem effundat in interiores feminei organi partes, sed satis esse quod eiusmodi humor ad externam eiusdem organi superficiem seu ad vaginae os vel ingressum effundatur et applicetur. Ita Vallisnieri *Istoria della generazione dell'uomo part. 1 cap. 8 n. 7 et part. 2 cap. 13;* ita in – *Dizionario classico di medicina interna ed esterna* ad vocem – *Impotenza – Venezia 1834*. – Nec non in *Dizionario di Medicina, Chirurgia e Farmacia pratiche – Venezia 1840*. Et ita

Digitized by Google

Dioec. lib. 12 cap. 8 num. 4. Cum itaque Praesul ex informata conscientia suspensionem irrogaverit, ex canonicae formae defectu, decretum nullatenus subverti posse videtur.

Verum etsi quascumque monitiones Episcopus omittere iure potuisset, tamen haud destitit, anteacto tempore, amantissimi patris munere erga Parochum fungi, pluries eumdem exhortando, ut vitae rationem suae dignitati congruentem duceret; at perpendens bonitatis officia in ingratum filium nihil proficere, imo potius despici, ad iustitiae tandem remedia devenire satius existimavit.

Nec quidquam officit contra decreti valorem, quod crimina de quibus Parochus insimulatur sint notoria, et publica, atque ideo iudiciali ordine cognosci, minime vero extraordinariis remediis coerceri debuissent. In primis enim non omnes conveniunt auctores, quaenam delicta occulta, quaenam publica censenda sint: deinde fieri non posse videtur ut omnia prorsus delicta a Parocho admissa ita sint vulgata, ut ne unum quidem occultum adhuc maneat. Atqui unum tantum crimen occultum satis foret, ut suspensio vel prout poena, vel prout censura ex informata conscientia infligi posset. Ad rem Pignatelli *tom. 9 cons. 8 num. 5* inquit: « Quatenus censurae prolatae super pluribus delictis non » sustinentur super unoquoque eorum, satis tamen est, quod » ex uno tantum comprobarentur, cum unumquodque suffi- » ciens sit ad illas incurrendas. »

Insuper clausula illa - *ex quacumque causa* - utpote universalis, nedum occulta, sed publica quoque crimina comprehendit; Barbosa in *Diction. usu frequent. Dictio - Quicumquè* - de qua dicit, *omnia includens, et nihil excludens,* et S. C. C in *Lucionen. Suspensionis et Appellationis diei 8 Aprilis 1848,* ubi pluribus allatis auctoritatibus statuitur, publica etiam delicta non excludi a praefati capitis dispositione. Imo arguendo a maiori ad minus, si huiusmodi facultas comprehendit crimen occultum, quod profecto ante Tridentinum Concilium poena mulctari non poterat, eo magis publicum comprehendere debet, quod certe

Digitized by Google

ex ipsa sua notorietate, nulla ratione negari potest, ac proinde defensionem non admittit. Ideoque eadem S. C. in *Perusina Remotionis Vicarii curati 26 Septembris 1795*, in *Leopolien. Suspensionis 27 Februarii 1875* et aliis pluribus, suspensionem ex informata conscientia sustinendam esse respondit, quamvis super delictis testium examen fuerit praemissum, quod ostendit delicta plus minusve notoria evasissse.

Minus autem obstat ius, quo unusquisque ex ipsa naturali lege pollet sese defendendi. Quandoquidem hoc ius non denegatur, sed ad sedandas iras populi qui a Parocho scandala passus est, atque ne res magis evulgaretur, necessarium omnino erat, ut Parochus a spiritualis ministerii exercitio statim abstineret: omnis enim dilatio poenae quaedam Praesulis conniventia reputata fuisset. Eius vero defensioni interclusa via non est, cum recursus ad apostolicam Sedem pateat, cui Episcopus rationem reddere tenetur, et indifferens esse debet pro accusato a quo tribunali sit iudicandus, dummodo aequitas et iustitia servetur.

Perpendendum siquidem est huiusmodi actus non ad contentiosam, sed politicam et correctionalem iurisdictionem pertinere, cuius exercitium Episcopi arbitrio et prudentiae remissum est. Nihil enim magis contrarium et noxium in spirituali Dioecesis regimine, quam scandalum; hinc prudens est relinquere ecclesiastico Magistratui arbitrium agendi pro delictis vel in forma iudiciali, vel correctionali iuxta rerum adiuncta, uti tradunt Barbosa *cap. 1 de Offic. et potest. Episc.*, Gonzalez *cap. 28 de Offic. et potest. n. 2 et 8*, Berard. *part. 2 dissert. 3 cap. 5 de suspens. censur.*

Hoc idem autem retinendum esse videtur si ab intrinseco decretum expendatur. Sane explorati iuris est, Clericos turpem vitam agentes, et scandalose viventes si moniti non resipuerint, spiritualibus poenis coercendos esse. Trident. Conc. *sess. 21 cap. 6 de Reform.* cui dispositioni omnes plane Canonistae concinunt. Dubitari vero non licet de concludenti criminum probatione. Regula enim iuris est, qua docemur in qualibet causa, ad legitimam probationem ple-

Digitized by Google

namque fidem faciendam, satis esse duos testes probatae famae omnique exceptione maiores nisi expresse per legem plures in aliqua causa desiderentur *L. Ubi numerus ff. De test. et attest. Can. Si teste* §. *Ubi numerus quaest. 3 Cap. Licet universis 13 de test. et attest.* Reiffenst. *lib. 2 tit. 20 eod. tit.* §. *8 n. 331.* In casu vero nedum bini testes, sed undecim auditi sunt, qui iurisiurandi religione praemissa, de turpi et scandalosa Parochi agendi ratione, modo cum una, modo cum altera muliere, et praesertim cum Maria deposuerunt. Quod si contra nonnullorum testimonium exceptio fortasse moveri posset, adest tamen unanimis septem Presbyterorum depositio, quam infirmare nullo pacto licet. Haec autem una ad concludentem criminum probationem efformandam procul dubio sufficere videtur.

Hinc evanescit omnino exceptio ab Oratore deducta, qua insinuare studuit, testes inimicitiâ implacabili ductos erga suum clientem tam nefanda deposuisse. Praetermissis enim aliis testibus, suspicari nullo pacto licet quod praefati septem Presbyteri adeo suae salutis fuerint immemores, ut nec deterriti divini interminatione iudicii, voluerint periurium admittere, ac innocenti maximum detrimentum inferre. Cum itaque res ita se haberent, videtur Episcopum sapienter egisse huiusmodi remedium adhibendo ad graviora scandala vitanda.

Constito autem de suspensionis decreti validitate, omnino supervacaneum apparet de damnorum et expensarum refectione quaestionem instituere. Sane exploratissimum in utroque iure est, eum damna et expensas perferre debere, qui sua culpa et damnis ac expensis locum dederit. Cum itaque, ex hactenus discussis, satis appareat suspensionis decretum in suo vigore consistere, sponte consequitur parochi petitionem quoad expensarum refectionem reiiciendam prorsus esse.

Decretum sustineri non posse videtur. Defensor Archipresbyteri controversiam aggrediens pluribus demonstrare nisus est, suspensionem *ex informata conscientia* latam minime sustineri. Observavit enim prae primis quod, omisso

Digitized by Google

parumper num vera sint crimina, quibus Archipresbyter insimulatur, cum a Tridentina *sess. 13 cap. 1, et sess. 25 cap. 14 de Refor.* statutae fuerint normae, quibus contra delinquentes procedendum sit, ad extraordinaria remedia minime recurrendum, nisi singulares adsint circumstantiae, alioquin una dispositio cum alia pugnaret, quod absonum prorsus est. Proinde cum in *sess. 14 cap. 1 de Reform.* remedium omnino extraordinarium statuatur, ut recte Episcopus eo uti valeat, tria praesertim concurrant oportet; quod nempe delictum sit occultum, quod iudici de eodem certitudo insit, quod demum impossibilitas, sin minus maxima difficultas adsit processum ad iuris tramites conficiendi. Sane ob occultum crimen tantum huiusmodi suspensionem infligi posse, nedum ex eiusdem Trid. Conc. verbis eruitur, sed etiam ex authentica interpretatione data a s. C. C. in *Alerien. 28 Novembris 1657 lib. 21 decret. p. 134.* Idipsum comprobatur ex *Lib. 7 Decret. pag. 89,* ubi huiusmodi decisio legitur: « Congreg. Conc. censuit *cap. 1 sess. 14 de Re-* » *form.* habere locum in suspensionibus et prohibitionibus, » tam temporaneis, quam perpetuis, et temporalem prohi- » bitionem dici eam ubi ex delicto occulto extraiudicialiter » procedit Episcopus, ad suum beneplacitum prohibendo vel » suspendendo. »

Praeterea Doctores fere omnes huic sententiae adstipulantur; Barbosa in *Ius Can. lib. 1 in Cap. Ad aures n. 4.* Pirhing in *Ius Can. tom. 1 tract. 11 sect. 1 n. 15.* Pignat. *tom. 1 Consult. 261 n. 1.* Monacell. *Formul. leg. tom. 1 art. 13 form. 3 num. 29.* Inter recentiores vero sat est adducere cl. Lucidi *de visit.* sacrorum Liminum qui in *part. 1 sect. 8 num. 273* ait: « Cavere tamen quis- » que debet Episcopus, ne quod publicum et notorium iam » est, perinde ac esset occultum, falso sibi animo reputans, » suspensionem ex informata conscientia decernat: huiusmo- » di enim decretum minime sustineretur. »

Tandem ex constanti S. C. C. praxi constat, quod cum instituendi processus ad iuris tramites impossibilitas non

Digitized by Google

adfuit, semper illud confici iussit, suspensionem ex informata conscientia latam infirmando, uti patet ex pluribus resolutionibus, quas inter satis sit referre illas *Boianen. Suspensionis diei 9 Martii* et *27 Iunii 1774, s. Agathae Gothorum Suspensionis diei 26 Februarii 1853,* et nuperrimam *Bosnien.* et *Sirmien. 20 Decembris 1873.* Atque huic postremae resolutioni adhaerendum esse imperavit Episcopis S. C. EE. et RR. in Instructione, quam eisdem dedit die 11 Iunii 1880, ad processus conficiendos hisce praesertim temporibus, quibus nonnullas solemnitates opus est omittere. In *art. 9* declarat permanere in suo robore remedium extraiudiciale ex informata conscientia, iuxta interpretationem datam in *Bosnien.* et *Sirmien. 20 Decembris 1873.* (1) Quibus positis, subdit Orator, ne una quidem ex tribus memoratis conditionibus in suspensione ab Ordinario lata verificatur. Siquidem crimen de quo Archipresbyter accusatus fuit, non occultum sed publicum ac notorium omnibus esse, ex accusatorum depositione depromitur. Proinde cum ex adversariorum testimonio constet, crimen publicum fuisse, sponte consequitur, Episcopum minime potuisse ad suspensionem ex informata conscientia procedere, ac proinde illam quovis robore destitui.

Nec obiiciatur, praeter publica crimina quoddam aliud occultum extare. Nam requisitus Episcopus a S. C. C. ut de inflictae suspensionis causis referret, nihil aliud exhibuit praeter ea quae in informi clandestina accusatione continentur. At si crimen aliquod occultum sibi notum fuisset, illud profecto S. C. C. pandidisset, quae eidem rescripsit, causas iam allatas minime sufficere.

Deficit praeterea et alterum requisitum, impossibilitas nempe canonicum processum contra Archipresbyterum instituendi. Hoc autem ipse Praesul admisisse videtur, cum huius rei ne verbum quidem fecerit. Adeoque etiam ex hoc capite

(1) Habes hanc Instructionem Vol. XIII, 324. Quaestio vero Bosnien. et Sirmien. relata fuit Vol. VII, 569.

Digitized by Google

suspensionis decretum infirmandum foret, uti in allatis resolutionibus S. C. C. declaravit.

De tertio requisito, de delicti nempe certitudine Patronus disserens, ad trutinam accusatione revocata, ait, Episcopum minime latuisse, Participantes odio Archipresbyterum prosequi, quia hic praebendae partem eisdem cedere renuerat. Quod suspicionem saltem ei iniicere debuisset, Participantes potius simultate quam veritatis amore ductos contra Archipresbyterum deposuisse praesertim cum uno ore, eodemque temporis momento testimonium dixerint. Cordatus quisque statim intellexisset, eos prius adversus Archipresbyterum in unum convenisse. Cum autem testes, praesertim in criminali causa, ex exceptione licet minima, a ferendo testimonio repellantur Constant. *Vot. Dec. tom. 1 vel. 61 n. 18,* in themate, utpote malevoli ac inimici, reiiciendi omnino sunt.

Insuper accusatio prout in actis extat, tantum a veritate abest, ut ictu oculi percipiatur meram calumniam ac mendacium redolere. Et sane, quidquid testes asserunt, a quadam muliercula hausisse dicunt, ideoque eorum omnes depositiones unius testimonio nituntur: at iuxta notissimum adagium *unus testis nullus testis*. Quin imo cum muliercula Maria, ut vile scortum perditisque moribus ab omnibus habeatur, non eam esse omni exceptione maiorem patet. Demum omnibus compertum est, mulierem suam turpitudinem pandentem, nullam mereri fidem, Rota in *Placentina Separationis 5 Iunii 1751* §. *9 coram Bussio* et S. C. C. in *Cracovien. Parochialis 10 Februarii 1770.*

Idipsum scatere edicit, tum quia illata suspensio, utpote nullo praefixo durationis termino, perpetuae aequiparatur, quam inferri ex informata conscientia prohibetur: tum quia Praesul ad eam devenit non amore iustitiae ductus ad infringendam Archipresbyteri renitentiam in Paroecia dimittenda.

Tandem ad damnorum emendationem Episcopum teneri, ait Orator, ad tradita per Schmalzgrueber *lib. 5 part. 3 tit. 31 n. 1:* agitur enim in themate de iniusta poena in-

Digitized by Google

flicta; ex quo facto nascitur actio pro emendatione damnorum. Praelatorum enim excessui tribuendum est cum Episcopus subditos vexet censuris et aliis poenis indebite inflictis.

Cum autem Episcopus parere noluisset S. C. C. mandato, (1) relaxando interea suspensionem et processum ad iuris tramites instituendo, conclusit Orator ut « puniatur Episcopus animadversione congrua, ut poena docente, discant iudices quam grave sit sententiam sine maturitate debita fulminare » uti praescribitur in *Can. Cum medicinalis de sent. excomm. in 6;* et uti S. C. C. die 8 Iulii 1854 rescripsit in *Suessana,* in qua, praeter damnorum emendationem, addidit etiam *Ad mentem;* et mens fuit: « *Supplicandum esse SSmo, ut dignetur monere Episcopum de mitiori usu suae potestatis* ».

His igitur expositis, diluenda proposita fuere

Dubia

I. *An Decretum suspensionis, ex informata conscientia, die 1 Decembris 1883 latae, sustineatur in casu.*

Et quatenus *negative*

II. *An damnorum refectioni locus sit in casu.*

Resolutio. Sacra C. C. re cognita sub die 9 Augusti 1884, censuit respondere. *Ad I Negative et amplius.* (2) *Ad II Negative et amplius.*

(1) Sacra C. C. antequam quaestio disceptaretur plenis comitiis, Episcopo rescripserat, ut procederet prout de more adversus scandala et mores Parochi: noverat enim ex deductis suspensionem haud irrogatam fuisse ad formam *Trid. Sess. 14 cap. 1 de ref.*

(2) Vol. XIV, pag. 299 Append. III innuimus, innixi interpretationi S. C. Concilii, quando Episcopi uti valeant remedio sibi oblato a Tridentino Sess. 14 cap. 1 quod audit *suspensio ex informata conscientia.* Recolantur etiam deductiones relatae pag. 314 eiusdem Voluminis; quia per resolutionem datam in praesenti casu, illae roborantur et sinunt ut nos abstineamus ab aliis peragendis, quae ab eisdem differre nequirent.



Digitized by Google

DUBIA quoad parochos quibus plures commissae fuerint paroeciae etc.

Die 3 Februarii 1884.

Quum Archiepiscopus lancianensis remitteret ad s. Cong. Concilii relationem status suae Dioecesis, sequentes etiam proposuit quaesita resolvenda:

I. *Utrum parochi duas aut plures regentes paroecias, ad duas vel plures Missas pro populo celebrandas diebus in festis teneantur per se aut per alios?*

II. *Et quatenus per se teneantur, an ipsis ad tramites Constitutionis Benedicti XIV* – Declarasti Nobis – *binandi facultas fieri posset.*

III. *An reditus cuiusdam Canonicatus, iuris patronatus laicalis et familiae, qui libellas quotannis sexaginta et octo vix attingat, quod tantummodo adhuc beneficii naturam induat, posset haberi tamquam sufficiens titulus ad sacros et maiores ordines suscipiendos?*

IV. *Quod si non sufficiat, utrum augeri queat bonis patrimonialibus vel aliunde et quousque?*

Quibus dubiis s. Congregatio Concilii die praedicta respondit:

Ad I. Parochum, prout in casu, teneri sive per se sive per alium ad tot Missas celebrandas, quot parochias regit. Ad II. Non esse locum facultati missas iterandi, nisi cum ex Cleri deficientia, alius Sacerdos non adsit, qui parochi loco celebrare et applicare possit. Ad III. Negative. Ad IV. Affirmative usque ad taxae synodalis complementum.



Digitized by Google

VERULANA

FILIATIONIS

Die 9 Augusti 1884.

Compendium facti. Philippus Meucci civilis conditionis Tiburtinae Dioecesis, Verulas in iuvenili adhuc aetate contendit, ibique humaniores literas in Seminario aliquot annis docuit. Interea temporis amore exarsit erga quamdam plebeiae conditionis puellam, cui nomen Aemiliana Passeri, eamque in uxorem ducere peroptavit. Huiusmodi votum ut facilius ad exitum perduceret, omnemque removeret difficultatem, fortasse exurgentem ex dissensu parentum et conditionis disparitate, Verulis aufugit Romam cum Aemiliana, et post paucos dies optatum matrimonium celebravit in parochiali Ecclesia s. Mariae in Via, ceu ex matrimoniorum libro eruitur, sub 24 Septembris anno 1828.

Voti itaque compos factus Philippus et Pontificii Gubernii servitio, uti fertur, deinde mancipatus, Romae una cum uxore permansit usque ad annum 1831. Quo vertente, mulier Verulas sola repetiit; vir autem, utpote motis rebellibus studens, officio privatus extitisset, ac posterius huc illuc commoratus fuisset. Huiusmodi separatione perdurante, et praecise ineunte mense Februario anni 1837, Aemiliana Verulis commorans peperit infantem, quam, patris nomen reticendo, baptizare fecit more spuriorum. Dein in Archihospitali s. Spiritus in Saxia de Urbe exposita fuit praedicta infans, ac deinde sub nomine Caelestis Proietti ad nutriendam tradita, in loco *Civitella* commorata est usque ad tempus, quo nupsit Caietano Palombi, in Urbe residenti a pluribus annis.

Occasione huius matrimonii puella Proietti, cum matris nomen cognovisset, eam quaesivit ac post diligentem inquisitionem invenit. Hinc factum esset, ceu memorata Proietti asserit, ut notitiam quoque habere potuerit de legitimo patre, qui post eversam romanam Rempublicam, anno 1849,

Digitized by Google

a pontificia ditione migravit, et die 24 Iulii 1865 mortuus est Pisis, ubi a nonnullis annis humaniores literas in Universitate tradebat. Quinimo eadem Proietti in actis causae exhibuit praesumpti patris effigiem, sibi a matre, quae et ipsa mortua est anno 1877, missam sub die 29 Aprilis 1865 una cum epistola, in qua ipsa mater certiorem facit filiam, quod pater ab amico cum lacrymis notitiam de filia ipsa exquisierat et an aliquam recepisset educationem.

Numquam tamen de tollenda incertae paternitatis nota parentes solliciti fuerunt, nec ipsa mulier Proietti de illa conquesta est usque ad annum 1881. Quo ad exitum properante, cum capitum census Romae ageretur, nomen assumpsit Constantiae Meucci. Ast census schedulam cognomine Meucci signatam recipere nolens officialis status civilis, nisi praefata incertae paternitatis nota ab ecclesiastica auctoritatè corrigeretur; Urbis Vicariatum prius adivit, ac deinde Episcopum verulanum rogavit ut declararetur filia legitima memorati Philippi Meucci. Et cum huiusmodi preces auditae non fuerint, Sacratissimo Principi res tota delata fuit per ipsum Episcopum verulanum, qui, Oratricis rationibus expositis, adiecit: sese vocavisse canonicum qui baptizaverat oratricem, ut rem declararet, quoad notam illegitimitatis in libro baptizatorum positam. Illum vero respondisse se taliter egisse quia neque obstetrix, neque mater aliquem uti patrem designavit legitimum et spuriorum instar fonti baptismali oblata infans fuerit.

Quamobrem eidem Episcopo mandatum fuit a S. C. C. ut magis accurate inquireret per examen testium et propinquorum super causis denunciatae incertae paternitatis, et super relationibus, quae intercesserunt inter Oratricis parentes, praesertim tempore conceptionis eiusdem.

Episcopus nihil omisit ut aliqua lux fieret in hac re; ast tantum colligere valuit a patruo oratricis, quod durante separatione Philippus numquam se Verulas contulerit, aut ullo modo cum uxore sua convenerit. Imo addidit eum post motus rebelles anni 1831 extra pontificiam ditionem semper

Digitized by Google

degisse; quod tamen iuxta alios verum non est, saltem si agitur de mora numquam interrupta. Hinc praedictus Oratricis patruus censuit eamdem esse illegitimam, quia uti spuria ad baptisma ducta fuit. Verum, prosecutus est, nihil obstat quod oratrix a S. C. C. legitima declaretur; cum ex hac legitimatione nulla iniuria, aut damnum exoriri queat alicui, quia nemo alius extat, praeter patruum, qui possit assentire aut contradicere.

Disceptatio Synoptica

Ea quae legitimationi adversantur. Neminem latet libros parochiales attestantes de iis, quae ad parochi officium pertinent, plenam facere fidem, plenamque conficere probationem, non secus ac instrumenta manu publici Notarii cum debitis iuris solemnitatibus conscripta, dummodo aliunde de opposito non constet. Ita Pax Iordanus *tom. 3 tit. de Fide instrum. n. 48* allegans Rotam *Decis. 321 n. 3 part. 1 noviss.* ubi resolvitur, sufficienter probari mortem alicuius ex parochi libro, in quo mortui adnotantur. Idem dicendum est de ceteris, quae ex officio in praefatis libris conscribuntur, ceu docet Maschardus *de Probat. conclus. 673 num. 1 et seq.* allegans plures alios. Et merito quidem id a DD. retinetur, cum ex auctoritate Conc. Trid. *sess. 24 cap. 1 et 2* parochi industria et fides electa sit ad huiusmodi libros conscribendos.

Porro cum in facto consistat librum baptizatorum testari de incerta Oratricis paternitate, eidem attestationi standum esse videtur, quoadusque contrarium non probetur. Idque potiori ratione retinendum videtur ex eo quod praefatus baptizatorum liber clare designat Oratricis matrem. Haec enim cum matrimonio iuncta esset, Parochum in describenda incertae paternitatis nota cautius egisse praesumendum est, ne infantis honor et educatio in discrimen adduceretur ex parentum iniquitate. Nec verosimiliter dici posse videtur, Parochum deceptum fuisse; designata enim matre, nil profuisset denunciatio incertae paternitatis ob contrariam iuris

Digitized by Google

praesumptionem: et insuper, parva cum sit Verularum civitas, dolus facile detectus fuisset.

Hisce indicia adstipulantur et maximum accedit robur ex testimonio Patrui oratricis. Sane misso etiam lapsu temporis, relative longissimi, quo Oratrix uti spuria semper reputata est, animadvertendum praeterea est, quod Oratrix ipsa non diffitetur, Aemilianam matrem suam iam inde ab anno 1831 vel paullo post Verulas petiisse, ibique sine viro commorasse. Et quamvis deinde asserat, Philippum Meucci Aemilianae virum Romae permansisse, ideoque non tam difficulter cum uxore interdum convenire potuisse; utrum tamen Philippus et Aemiliana revera aliquando convenerint, asserere non audet Oratrix. Verumtamen hoc omnino evincendum erat; Philippi enim absentiâ semel admissâ, illius accessus ad Aemilianam probandus esset, non praesumendus. Ceterum cuicumque praesumptioni viam intercludere videtur Patruus oratricis, qui sub iuramenti fide deposuit, sororem suam Aemilianam, utpote a Philippo derelictam, Verulas rediisse, nec amplius cum eodem convenisse. Huiusmodi testimonium magno in pretio habendum est, cum editum appareat ab eo, qui de omnibus negotium respicientibus apprime informatus existat, quique omnia ingenue pandiderit in obsequium veritatis tantummodo. Et quamvis Episcopus referat quod alii contradicunt Patruo asserenti, Philippum post motus rebelles anni 1831 extra pontificiam ditionem semper degisse; praefatum testimonium nihilominus in eodem firmitatis robore manet; cum nemo asserat Philippum et Aemilianam post annum 1831 se invicem aliquando saltem vidisse.

Nec ullam difficultatem facessere videtur Aemilianae epistola, in qua Philippus enunciatur Oratricis pater ac de eiusdem sorte sollicitus. Misso enim memoratam epistolam nullum praeseferre authenticitatis testimonium, inverosimilis praeterea apparet enunciata Philippi sollicitudo erga Oratricem, cum ipsum adeo immemorem de uxore ac laribus suis extitisse videatur, ut nemo Pisis scivisset illius conditionem ac originem, atque ita in authentico sui obitus testimonio

Digitized by Google

vocari potuisse *coelebs communitatis Pisarum*. Paternitatis vero enunciativa ex eo fortasse repetenda est quod mater nolebat de adulterii labe maculata apparere coram filia sua.

Nihil insuper prodesse videtur iuris praesumptio edicens patrem esse, quem iustae nuptiae demonstrant. Hanc siquidem praesumptionem expresse cohibet Ulpianus in *L. 6 ff. De his qui sui vel alieni iuris sunt*, ubi Iurisconsultus, tradita filii definitione in haec verba: « Filium eum definimus, qui » ex viro et uxore eius nascitur »; casum nostrum ita fingere voluit: « Sed si fingamus abfuisse maritum, verbi gratia » per decennium, reversum anniculum invenisse in domo » sua, placet nobis Iuliani sententia, hunc non esse mariti » filium. Non tamen ferendum Iulianus ait, eum, qui cum » uxore sua assidue moratus nolit filium agnoscere quasi » non suum: sed mihi videtur, quod et Scaevola probat, si » constet maritum aliquandiu cum uxore non concubuisse » infirmitate interveniente, vel alia causa, vel si (alii legunt » *veluti si)* ea valetudine paterfamilias fuerit, ut generare » non posset, hunc, qui in domo natus est, licet vicinis » scientibus, filium non esse. » Et sapienter profecto id traditum est, cum omnis sive hominis sive iuris praesumptio quantumvis violentia physicae ac necessariae cedere debeat veritati. Videtur propterea paternitatem in themate demonstrari haud posse ex nuptiis.

Ea quae legitimationi favent. Ex altera vero parte perpendendum occurrit talem vim inesse praesumptioni, quae patrem ex nuptiis demonstrat, ut ab ea nullatenus recedi queat, nisi concludentissimis argumentis contrarium in facto probetur, et quidem taxative ex viri absentia vel physica impotentia. Cum enim impossibile sit, ut quis certum valeat suum ferre parentem ob veram et absolutam paternitatis probationem, negatam a natura, quae sua inter arcana mirabile posuit humanae generationis momentum; idcirco ad civilem constituendum liberorum statum, et innumeras ac inextricabiles arcendas de paternitate controversias, oportuit ex necessaria familiarum tranquillitate, ut lex semper ma-

Digitized by Google

ximae consuleret rei, et probationem suppleret paternitatis, quam tenebris suis natura celavit. Quapropter prudentiâ summâ Iurisconsultus Paulus postquam erat loquutus de matre, quae *semper certa est, etsi vulgo conceperit,* quoad patrem innixus iuris praesumptioni, illicò tradidit: *pater vero is est, quem nuptiae demonstrant,* ceu legitur in *L. 5 ff. de in ius vocando.* Quam sane iuris praesumptionem ex nuptiis desumptam tenuit idem Iurisconsultus in *L. 12 ff. de Statu hominum,* ubi dixit: « credendum est » eum, qui ex iustis nuptiis septimo mense natus est, iustum » filium esse. » Idipsum praeterea in *L. 19 ff. de Statu hominum* ab Iurisconsulto Celso traditum est in haec verba: « cum legitimae nuptiae factae sunt, patrem liberi » sequuntur, vulgo quaesitus matrem sequitur, » velut is qui patrem demonstrare non potest, ut ait Modestinus in *L. 23 ff. de Statu hominum.* Atque in hanc tandem sententiam conveniunt itidem Imperatores, qui in *L. 14 Cod. de Probat.* ita rescripserunt: « Matrimonio concepti filii » civili iure patri constituuntur. »

Et prudentissime quidem haec statuta videntur, cum id exigat matrimonii sanctitas, societatis bonum et familiarum tranquillitas, quae citra iuris praesumptionem de legitima filiatione sancitam, deplorandum in modum turbaretur. Qua de re apud omnes fere gentes iam a remotissima antiquitate invaluit iuris principium, cuius vi natus ab uxore debeat viri filius haberi, nihilque aliud ad suos legitimos ostendendos natales teneatur ipse probare, quam ex iusto matrimonio se natum esse. Nam, ut sapienter monet Cuiacius *lib. 2 tit. 4 ad L. 4 §. 1: Praetor ait ff. de in ius vocando:* « extra nuptias pater est incertus; inter femineum sexum » matrem scimus, patrem credimus, quia partus sunt testes » et inspectores certi, conceptus nulli sunt arbitri; denique » patris naturalis una tantum demonstratio est, et probatio, » quae sumitur ex nuptiis. »

Porro indubium est, ceu ex facti specie liquet, Oratricem natam esse constante legitimo matrimonio. Onus igitur

Digitized by Google

probationis non Oratrici, sed eiusdem legitimam filiationem neganti incumbit. Ast necessaria huiusmodi probatio in themate exulare videtur, vel sin minus talis non esse, quae praeallegatis iuris principiis utiliter opponi queat.

In primis, ait oratrix, testimonium patrui parum vel nihil attendendum est; quia tempore quo mater domum paternam remeavit, patruus aberat, utpote militiae pontificiae addictus: et post eius reditum in patriam falsa audire potuit quoad mores sororis, quae longe a marito vitam degebat, quaeque partum abscondere coacta fuit. Nam eius maritus exigebat, ut neonata ante baptisma ad Brephotrophium deportaretur; eo consilio ut nemini innotesceret propriam filiam oblatam fuisse apud pium locum. Et ipsum matrimonium Romae celebravit ut in patria sua occultaretur: et in hunc finem Pisis uti coelebs inscribi curavit in regesto Professorum. Ast hoc non obstante, pecuniam uxori mittebat, et quoad filiam certior fieri cupiebat, lacrimans cum ab amico resciret, nullâ imbui nobili arte.

Ab aliis insuper erroribus immune non esse videtur Patrui testimonium. Ipse siquidem narrat, Philippum post motus rebelles anni 1831, extrà pontificiam ditionem semper degisse: quod certum non est et ab aliis negatur, ceu refert Episcopus. Narrat idem Oratrici in baptismate impositum esse nomen *Gratia:* quod a libro baptizatorum contradicitur. Aliaque enarravit quae veritati haud consonant.

Nec subsumere iuvat certam saltem esse Philippi Meucci absentiam, cum Aemiliana Verulis commorasset, Philippus vero, iuxta ipsius Oratricis placitum, in Urbe permansisset, vel latius in ditione pontificia iuxta alios. Licet enim non desint DD., qui argumento *L. 6 ff. de his qui sui vel alieni iuris sunt* ex adverso relatae, tradunt patri tantummodo ius esse allegandi absentiae vel impotentiae exceptionem; hoc tamen praetermisso, videtur obiectam absentiam considerari non posse uti perpetuam ac continuam, vel sin minus uti talem probatam non esse. Addit praeterea Oratrix absentiae causam ac locorum distantiam nihil extraordinarii

Digitized by Google

praeseferre, quod impedire potuisset mutuum coniugum amorem atque accessum. Nam Philippus Meucci rebus studens novis a civili gubernii officio remotus anno 1831 misit uxorem Verulas, ipseque Romae permansit agens linguarum magistrum, ut viveret et aliquam pecuniae vim uxori mitteret. Absentia vero unius coniugis ab altero haud permanens supponenda est, quia facile et breve iter est Roma ad Verulas, et satis fuisset ut coniuges semel convenissent.

Huc porro insistendum omnino videtur; nam inter praesumptiones nedum ea praeferenda est, quae delictum excludit, veluti honestior ac naturae rationali magis consentanea, Sperellus *Decis. 108 Fori Eccles. num. 53,* Farinacius *lib. 3 Praxis crim. q. 85 num. 19,* Mascardus *Concl. 1231 num. 30 et seq.,* verum etiam quae benignior est ac partui seu proli favorabilior, *cap. Estote de reg. Iur.,* Sperellus *Decis. 174 num. 7,* Maschardus *loc. cit. num. 27*. Eo vel magis quod adulterium mulieris nullatenus probatum appareat, cum ab uno oratricis patruo asseratur, cuius testimonium erroribus ceteroquin non caret. Quinimo inverosimile etiam esse subdit Oratrix matrem suam patrasse obiectum adulterium atque ex isto concepisse. Non intelligeretur enim quomodo vir aequo animo tulisset hanc gravissimam iniuriam, cuius probationem ipsa mulier suppeditasset, se Oratricis matrem profitendo: nec intelligeretur insuper quomodo vir de Oratrice, veluti filia sua notitias quaesiisset, eique effigiem suam misisset, ceu eruitur ex uxoris epistola.

Nullam tandem difficultatem erui posse videtur ex denunciatione incertae paternitatis, necnon ex lapsu temporis relative longissimi, quo Oratrix veluti spuria habita est. Siquidem non tam filiis, qui parentum iudicio probati iam sint, lex consulere voluit, quam iis potissimum, qui paternitatis quasi possessione carent, quia non is pater habetur in *L. 5 ff. de in ius vocando,* quem possessio aut agnitio, sed quem nuptiae demonstrant. Quamvis igitur filius non sit in quasi possessione legitimitatis, ubi tamen probet coniugium parentum, suamque nativitatem, nihil ambigendum, quin

Digitized by Google

adeptus iuris proprietatem, quae est cuilibet nominationi ac possessioni praeferenda, Sperellus *Decis. 174 num. 67*, legitimam si valeat in iudicio petitorio vindicare filiationem, quae cum sit res inaestimabilis, exemplo libertatis, eximitur hominum commercio, ac numquam praescribi potest. *L. 3 Cod. de longi temp. praescript.*

Cum igitur illegitima filiatio concludentissimis argumentis probata haud appareat, satis constare videtur de illius legitimitate, quam propitio responso declaratam iri confidit Oratrix. Certum siquidem est posse conformiter praesumptioni iuris ferri sententiam, nisi contraria probatione elidatur. Ita Menochius *de Praesumpt. lib. 1 q. 94 num. 1 et 2* asserens hoc esse certum et clarum. Idque patet ex cap. *Nullus* et Cap. *Quosdam et seq. de Praesumpt.* Nam quod per praesumptionem iuris constat, satis patere dicitur, inquit Abbas in cap. *Ad nostram num. 6 de Empt. et vend.* istud probans ex *L. Licet Imperator ff. de Legat. 1* ubi iuris praesumptio habetur ceu veritas et liquidissima probatio.

Hisce in utramque partem perpensis, enodandum fuit propositum sequens

Dubium

An constet de legitima Oratricis filiatione in casu.

Resolutio. Sacra C. C. re cognita sub die 9 Augusti 1881, censuit respondere: – *Affirmative.*

Ex quibus colliges. I. Cum mirabile momentum generationis inter naturae arcana abdatur, cuique filio impossibile esse certum et proprium evincere parentem per veram et absolutam paternitatis probationem.

II. Legem, ad civile filiorum constituendum statum, et ad innumeras arcendas de paternitate controversias, supplere paternitatis probationem, quam natura abdidit, iuris praesumptione: quia id exposcebat familiarum tranquillitas, matrimonii sanctitas, bonumque societatis.

Digitized by Google

III. Hinc quum directe evinci nequiret legitima filiatio, lex indirecte hanc demonstrationem et probationem desumpsit a nuptiis, statuens iuris principium, apud omnes fere gentes sancitum, quod *pater is est, quem nuptiae demonstrant; credendum est, eum qui ex iustis nuptiis septimo mense natus est, iustum filium esse.*

IV. Quamobrem sufficere, ad proprios ostendendos natales, ut filius, de cuius legitimitate dubium exorsum sit, probet sese natum esse ex iusto matrimonio.

V. Quum adulterium formiter probatum non appareat, inter praesumptiones ea praeferenda est, quae delictum excludit, quaeque apparet honestior, naturae rationali magis consentanea, benignior, ac partui seu proli favorabilior.

VI. In themate neminem ambigere, oratricem natam fuisse constante legitimo matrimonio; et ideo ex iuris praesumptione dubium superesse non posse de eiusdem legitimitate: idque eo fortius quia contraria probatio talis est quae iuris principiis allegatis opponi utiliter non valeat.

EX S. CONGREGATIONE EP. ET REG.

MECHLINIEN. SEU FRATRUM CELLITARUM

QUOAD NATURAM VOTORUM.

Die 28 Septembris 1883.

Compendium facti. Fratrum Alexianorum seu Cellitarum ordinem saeculo decimotertio exeunte originem duxisse historica documenta probant. Laicis tantum constabat, qui tria substantialia vota profitebantur regularibus Ordinibus communia, seque dedicabant infirmis, morbo contagioso laborantibus, adsistendis atque curandis. Plures Cellitarum institutum commendaverunt Pontifices, quos inter Gregorius XI, Bonifacius IX, Eugenius IV, Nicolaus V et Pius II idemque confirmavit Xistus IV, dummodo s. Augustini re-

Digitized by Google

gulam sequeretur. Anno 1506 Papae Iulii II approbationem consequutum est. Clemens XI constitutiones instituti approbavit, et demum anno 1772 Clemens XIV praedecessorum actis inhaerens, litteris in forma brevis incipientibus « *Exponi nobis* » declaravit: *eos qui iuxta Ordinis constitutiones vota et professionem emiserunt, vere religiosos esse.*

Verum cum post Gallicam perduellionem, praeterito exeunte saeculo initam, huiusmodi instituti res apud Belgas valde immutatae fuerint; S. Congregatio Inquisitionis anno, 1869 cuiusnam petitionis occasione non liquet, a S. Episcoporum et Regularium Congregatione quaesivit, quid de Cellitarum votis censeret. Quae S. C. Mechliniensis Archiepiscopi voto requisito, ab eo accepit: ipsum vota Alexianorum seu Cellitarum simplicia, non solemnia censere.

Attamen S. C. Ep. et Regul. ut caute matureque in tanta rei gravitate procederet, unius et alterius Reverendissimorum Consultorum vota exquisivit. Quibus acceptis, et causa proposita in plenariis comitiis diei 26 Septembris 1873 rescriptum fuit « *Dilata et exquiratur votum alterius Consultoris.* » Tantae molis opus commissum est R. P. Tarquinio S. I. quem postea in PP. Cardinalium coetum cooptatum praeceps nimis mors sustulit. Ei successit, pro huiusmodi explendo munere R̃mus Pater N...

Die 1 Aprilis 1881 causa iterum proposita est cum novo postremi R̃mi Consultoris voto. Sed cum Ẽmi Patres adhuc rem difficultatibus implexam viderent, rescripserunt: *Dilata et ad mentem: Mens est quod eidem Patri N... Consultori opus committatur, ut Pontificiis ex documentis Cellitarum historiam conficiat ab origine usque ad Clementem XIV, et a Clemente XIV ad nostra usque tempora.*

Quae cum R̃mus Consultor optime praestitisset, causa tandem resoluta est prout infra.

Disceptatio Synoptica

Trium Consultorum vota ita se habent, ut duo pro reiicienda, tertium pro admittenda votorum solemnitate steterit.

Digitized by Google

QUAE ADDUCEBANTUR PRO SIMPLICIBUS DECERNENDIS VOTIS ARGUMENTA.

In facto ea praemittebantur quae nos iam innuimus, scilicet Ordinem Saeculo XIII exeunte, vel ineunte XIV ortum duxisse: pluribus gratiis atque privilegiis a Romanis Pontificibus ditatum esse: anno 1458 Pium II Cellitis facultatem concessisse solemnia vota profitendi, quin tamen eorum institutum in verum religiosum Ordinem exciperet. Haec confirmasse Xistum IV, imposita Cellitis obligatione s. Augustini regulam observandi. Dein Iulium II institutum approbatione sua decorasse, eidemque Religiosi Ordinis nomen dedisse. Anno 1709 Pontificem Summum Clementem XI Instituti constitutiones approbasse, ac demum anno 1772 a Clemente XIV praedecessorum Bullas fuisse sollemniter confirmatas.

Ast Institutum habuisse eo tempore Superiorem generalem qui *Visitatoris* nomine appellabatur, quique eligebatur in generali Capitulo, quod statis temporibus congregabatur. Provinciales quoque suos habebat, sollemnia vota profitebatur, atque ab Ordinarii iurisdictione erat exemptum. Cum autem laici omnes essent ac manerent qui Instituto nomen dabant, Sacerdotem religiosum eligi consuevisse alteri Ordini adscriptum, a s. Sede approbatum, qui professiones Cellitarum exciperet. Institutum vero usque ad praeteritum saeculum in Gallia, Belgio atque Germania floruisse.

In praesenti, octo tantum conventus Cellitarum in Belgio existere, alios quosdam in Germania. Belgicis conventibus nec Superiorem generalem praeesse, neque provincialem: nam Provincialium ultimum anno 1824 obiisse. Quapropter eorum domos nullo inter se vinculo obstringi, Ordinarioque loci subiectas existere; earumque unamquamque novitios habere, qui Episcopi auctoritate et praesentia ad habitum sumendum regulamque profitendam admittuntur. Quae cum ita sint, iam patere de votorum sollemnitate non esse disputandum. Nam si exempti essent Cellitae, nullo iure ad professionem edendam ab Episcopis admitterentur; *quia si religio sit exempta*

Digitized by Google

a iurisdictione Episcoporum, manifestum est non posse Episcopum auctoritate sua aliquem admittere ad professionem, quia non habet iurisdictionem quae ad hunc actum necessaria est; Suarez *de Relig. T. 7 lib. 6 Cap. 11 num. 3.*

Iuxta informationes ad S. C. missas constare : esse in Dioecesi mechliniensi duplicis speciei Cellitarum domos: alias sitas in urbibus *Diest, Lovanio* et *Tirlemont* quae vetera statuta habent, professionemque iuxta antiquam Cellitarum formulam edunt: quaeque se exemptas arbitrantur, superioremque ad vitam eligunt. Alias existere in civitatibus *Malines, Lierre* et *Anversa,* queis nova statuta imposita sunt ab Eminentissimo Sterckx. Has Archiepiscopo obedientiam praestare, superioremque eligere ad triennium vel quinquennium. Sed omnes pro novitiorum admissione Archiepiscopo preces offerre eiusque rescriptum postulare. Domum loci *Ixelles* fundatam esse a Cardinali Archiepiscopo anno volvente 1862, atque Ordinario subiici.

De *Liegensi* domo testari Episcopum eam in spiritualibus a se unice pendere: seque superioris electionem approbare, votaque excipere. In temporalibus ab anno 1797, subiici laicae Commissioni sub titulo *Commissionis hospitiorum.*

Liegensis domus Superiorem tradere : in generali expulsione praeteriti saeculi Cellitas exturbatos non fuisse, sed habitum tantum nomenque deposuisse. Ast anno 1798 hospitiorum commissionem in domorum bonorumque possessionem ivisse. Et quoniam domos quas ad praesens occupant ex contractu habent, quo cessante et dimitti possent; quamvis paupertatis votum edant, tamen radicale dominium Cellitas retinere, iuraque civilia servare.

Ergo de Liegensibus Cellitis extra quaestionom esse; eos simplicibus tantum votis obstringi. Ceteros iuxta Pii IX iussa, post novitiatum, simplicia vota ad triennium emittere, et hoc post triennium sollemnia. Sunt ne haec vere sollemnia vota? petit Consultor, et respondet:

Digitized by Google

1. Pro professione religiosa requiri mutuum contractum omnimodamque personae traditionem Religioni, *quandoquidem monachus obligatur ad obedientiam Superiori exhibendam, et viceversa religio obligatur Monacho ad alimenta;* Fagnan. in Cap. *Porrectum de regular. num. 19.* Iamvero nullam obligationem contrahere posse erga profitentem religionem, cuius existentia a Municipiorum arbitrio pendet.

2. Requiri ut professio edita sit in religione approbata, cum voto obedientiae, iuxta approbatam regulam. Tradere enim citatum auctorem *Suarez de Relig. lib. 6 cap. 2 n. 23 – Contingere autem potest oblationem et votum fieri in religione, alias quidem approbata, non tamen ut approbata est: idest non ad illum vivendi modum qui approbatus est. Et tunc ille modus vivendi aut coniungendi se illi religioni, non magis sufficit ad professionem, quam si illa religio approbata non esset.* Ergo si modus vivendi et coniungendi se religioni mutatus sit pro Cellitis, eisdem non suffragari veteris pro professione edenda formulae conservationem. Atqui haberi in facto, tres tantum Cellitarum domos ex eorum assertione veteres sequi regulas; ceteras nova statuta ab Emo Sterckx confecta accepisse. Sed neque tres illas plurima regularum vetustarum substantialia servare, ut sunt Visitatoris in generali capitulo electi iurisdictio, periodica capitulorum generalium convocatio, in provincias divisio, superiorum localium electio ad idem tempus uniformiter, Vice-superioris officium haud amplius restitutum, inferiorum officialium munera, de quibus nihil superest, aliaque huiusmodi.

Nec obiiciendum, substantialia tria religionis vota edi adhuc penes Cellitas: nam neque obedientiae, neque paupertatis vota eadem illa esse quae vetus regula imposuerat. Immo, quoad votum paupertatis, Superiorem domus *Lierre* declarare: suos confratres quamvis sollemnia profiteri vota intenderint, tamen nunquam arbitratos esse paupertatis voto obstringi, eo quod ius habeant quoddam peculium possidendi.

Digitized by Google

Hisce addendum esse: quod quamvis Cellitarum vota sacrorum Canonum praescriptionibus essent conformia, nihil proficerent; quia ceu tradit Card. Petra *in Comment. in Const. Ap. nonam Greg. IX tom. 2 num. 9.* « *Non potest » institui religio secundum aliquem vivendi modum communem cum solis substantialibus votis religiosi status, » sine additione aliquarum observantiarum, quibus status » ille ad peculiarem religionem seu vivendi modum determinetur. Quia sicut substantia non potest esse vel » operari sine accidentibus, ita nec religionis status sine » regula et vivendi modo ac ordine: qui quidem nullatenus potest praefiniri a peculiari hominum iudicio* ». Vivendi modum de quo auctor loquitur, a Summo Pontifice Xisto IV et successoribus designari. Cum vero Cellitae vivendi modum habeant ad praesens omnino ab eo diversum quem dedit illis Papa, haud amplius impleri conditionem seu modum praestitutum a Pontificibus sa: me: Iulio II et Clemente XIV qui decreverunt *eos qui iuxta Ordinis* (Cellitarum) *constitutiones vota et professionem emiserunt, vere religiosos esse.*

Praedictis accedere quod nec votorum acceptatio canonice expletur. Cardinalem Petra in Comm. *in Const. XI Eug. III. T. 1 n. 79* haec habere – *Summi Pontifices Greg. IX, Eugenius IV etc. plura contulerunt privilegia fratribus et sororibus Cellitis, sic dictis in utraque Germania, eximendo eos a iurisdictione Ordinariorum, nec non inter cetera concedendo iis facultatem unum ex eorum Ordine in Visitatorem generalem eligendi, qui munus Ordinarii totius Ordinis expleret: recipiendo professiones fratrum et sororum, visitando eorum conventus, ac alia explendo quae vero Capiti et supremo Ordinis Superiori competunt. Cumque iidem sint laici ex eorum institutione, ideo opus fuit consulere, prout fecerunt ipsi Summi Pontifices in eorum Bullis, ut possit talis Visitator eligere aliquem Sacerdotem, qui expleat munera sacerdotalia in suis functionibus, aliquando necessaria, praesertim in profes-*

Digitized by Google

sionibus recipiendis. Qui presbyter eligendus sit ex aliquo Ordine a s. Sede Apostolica approbato, qui simul cum Visitatore omnia expleat isti, uti laico, imcompatibilia. Atqui nec visitatorem amplius haberi, neque sacerdotem ab eo electum qui sollemnia vota excipiat. Unum omnia gerere Ordinarium, cuius iurisdictioni immediate subiiciuntur Cellitae.

Notandum quoque esse, penes acta Curiae Mechliniensis plures haberi matrimoniales dispensationes pro Cellitis, quarum in una clausula adest, *ut matrimonium secretissime celebretur* absque ulla votorum mentione.

Nihil contra proficere nec praescriptionem annorum 70, nec praesentiam Cellitarum qui praeterito saeculo professionem emiserant primis illis professionibus quae in hoc saeculo habitae sunt: quia ab his, ad restaurationem Ordinis quae exinde arguitur, magna interest differentia.

Animadvertebat tandem voti extensor, in Germania Cellitas vota simplicia ad quinquennium primo emittere quae postea iterantur et perpetua fiunt.

Pro votorum sollemnitate argumenta. Consultor reverendissimus cui bina vota, ceu narravimus commissa sunt, nempe alterum die 26 Septembris 1873, alterum die 1 Aprilis 1881; et postremum praecipue, ut accuratissimam quo fieri posset ex Pontificiis documentis Alexianorum Ordinis historiam conficeret, adnotabat praeprimis: hanc *status* quaestionem esse: cum ageretur de privando Cellitarum ordine eo perfectionis statu, cuius in possessionem procul dubio eum Ecclesia agnoverat. Quaestiones autem status maximas esse: prouti si alicuius privati origo vel libertas vel civitas aut vita etiam in discrimen poneretur. In his vero quaestionibus caute nimis esse procedendum: neminem enim absque certa rerum notitia capite minui vel proprio statui eripi debere. Principia iuris generalia quae habent favendum esse libertati et legitimitati, si pro privatis tenenda sunt, eo fortius esse servanda favore religiosi Ordinis, cuius Deo perfecte consecrari nobilitatis stigma est: quem tot Pontificiae Constitutiones

Digitized by Google

privilegiis decoraverunt, meritaque commendant innumera et opera quae etiam in praesenti pro animarum bono perficit.

Prae oculis quoque habendum esse monebat, Cellitarum Ordini adscribi pauperes rudesque, quorum ingenuitati et ignorantiae ignoscendum est, si quando Episcoporum auctoritas eos in errorem duxerit super his quae proprium statum respiciebant. Quamobrem casui applicanda esse generalia illa iuris principia – *rusticis, minoribus, mulieribus, militibus quando agitur de damno vitando subveniendum est Leg. 1 Cod. de iuris et facti ignor. Fagnan. in Cap. 22 de Reg. n. 8 et 10.* Optime namque docere eumdem *Fagnanum d. c. 22 de Regul. num. 10 et seq. – A professione infertur maximum bonum, et quamvis servitus monachalis dicatur districtior corporali servitute, tamen Religiosus servit Ei, cui servire regnare est.*

De Cellitis esse inquirendum, an omne ius ad solemnia emittenda vota amiserint. Nam si talibus in conditionibus versentur in praesenti quae vel votorum naturae omnino opponantur, vel requisitis quae ab Ecclesia pro eorum validitate statuta sunt; omne ius ad vota solemnia profitenda eos amisisse tenendum erit. Si e contra haud evidenter probabitur, actualem Cellitarum statum nihil habere quod votorum sollemnium naturae aut conditionibus repugnet, haud esse tenendum Cellitarum Ordinem cecidisse ab eo Religionis statu cum votis sollemnibus qui ius ipsi Ordini quaesitum constituit.

Vota Solemnia immediatam, omnimodam, absolutam profitentis Religioni professae deditionem secumferre *S. Thom. 2. 2. qu. 87 17* et *qu. 189 art. 2 ad 2* intentionem plene deliberatam, plenamque vota emittentis cognitionem libertatemque exigere; *s. Thom. 2. 2. qu. 88 art. 1.* Modum vota emittendi publicum esse oportere, cum *status mutationem* importet. Ecclesiae pertinere publicationis leges statuere quae in praesenti sunt. 1. votorum professio in manibus personae legitima auctoritate pollentis 2. nonnisi post

Digitized by Google

annum integrum novitiatus explenda 3. iuxta regulam a S. Sede approbatam 4. cum onere comuniter vivendi.

De intentione sollemnia vota emittendi in Cellitis haud esse dubitandum, cum plerique superiores domorum Cellitarum testati fuerint, religiosos sibi subiectos firmum tenere: se vota sollemnia professos fuisse. Unum L. Dioecesis Antistitem affirmare intentionem Cellitarum in sua Dioecesi commorantium esse, ab anno 1849, simplicia tantum vota emittendi. Hic vero quaeri posse quomodonam tam gravis status mutatio in Ordine religioso pura Ordinarii auctoritate fieri potuerit. Et quoniam huiusmodi mutatio nonnisi s. Sedis auctoritate expleri poterat, nimis dubitandum esse, an saltem in foro externo L. Cellitae sollemnibus votis obstringantur.

Traditionem omnimodam absolutamque deficere si votum continentiae tale consideretur, ut *per seipsum* dispensari valeat. De dispensationibus Cellitis domorum A. et M. concessis testari Archiepiscopum M. Verum adiicere nihil in huiusmodi dispensationibus de votorum natura contineri. Ast in dispensationibus ipsis clausulam legi – *ut matrimonium secretissime celebretur* – qua voti sollemnis existentia supponi videtur. Neque esse omittendum, dispensationes concedi potuisse cum iam dubium exortum fuerat circa ipsam votorum sollemnitatem; dubium autem illis proficere qui dispensationem *ex plenitudine potestatis* invocaverunt.

Nec votum paupertatis excludere factum, quod attenta temporum iniquitate et civilium legum praescriptionibus *radicale*, quod vocant, rerum suarum dominium servent Cellitae. Etenim huiusmodi dominium paupertati non contradicere, ceu per eamdem S. C. Ep. et Reg. traditum est in responsionibus ad quaestiones propositas a Rmo P. Generali Ordinis Predicator. *die 12 Iunii 1858 sub num. 9.* At haec a Cellitis Dioecesis L. tantum opponi: neque ad alias eiusdem Ordinis domos recta ratione extendi permitti.

Accedens deinde voti extensor ad inquirendum de requisitis publicitatis et tutelae quae ab Ecclesia votorum profes-

Digitized by Google

sionibus adiecta sunt, contendebat: huiusmodi requisita adesse in casu 1. Annum novitiatus professionem praecedentem inter Cellitas firmum teneri. 2. Professionem iuxta regulam a s. Sede approbatam 3. cum obligatione vivendi in communitate. De quarto requisito quod est professionis emissio in manibus personae legitimâ *ad hoc* auctoritate pollentis, quae eam acceptet, inquirendum esse utrum professio a Cellitis edita nullitate infecta sit, eo quod coram auctoritate destituta edatur: vel simplex recenseri debeat, quia peragitur in manibus et in nomine Ordinarii.

Itaque ante omnia statuendum esse: professionem sollemnem ideoque de natura sua publicam, fieri debere in manibus auctoritatis publicae, ab eaque excipi. Auctoritatem hanc in Pontifice residere a quo subiecti delegantur, quoadusque vero delegatio, manet: scilicet quoadusque neque suspensa neque interrupta, neque ablata est, eam effectus suos omnes sortiri. Delegationem tandem vel ordinariam vel extraordinariam, explicitam aut tacitam, expressam aut praesumptam esse. Iam, quoniam religiosa professio actus est optimus in se, et coram Ecclesia maxime favorabilis, praesumendum est eam maximo favore dignam esse, et in dubiis pro admittenda iurisdictione ad excipienda vota esse concludendum.

Aliud principium esse: quod omne ens morale vivit suaque iura servat, usquedum ultimum eiusdem membrum supersit. *L. ff.* « *sicut* » *Quod cuiusque universitatis. Glossa in C.* « *Statutum* » *de Electione in 6 Glossa in C.* « *gratum* » *de postul.* Etenim in moralibus corporibus propter ius perpetuitatis, ex membro saepius corpus iterum oriri et reviviscere. Atqui in subiecta materia, non de uno membro agi quod supersit adhuc, sed de octo religiosis domibus, de integra provincia, in qua vitae alitus manet, ardor flagrat, spes bonorum frugum maxima elucescit.

Haud officere quod Cellitae domos proprias non habeant: nam expoliationes a laica auctoritate in Ecclesiae damnum patratas numquam Ecclesia legitimas proclamavit. Quoad Hierarchiae defectum esse distinguendum: aliud enim est quod

Digitized by Google

plenam, ut ante, hierarchiam non habeant, et longe aliud quod nullam hierarchiam servent. Superiores in unaquaque domo non deficere. Anno 1824 adhuc existebat pro omnibus Belgicis domibus unus idemque Provincialis. Si nec Generalem, nec Provincialem nec generalia Capitula habent ad praesens, haud eruendum esse iurisdictione suprema ipsos destitui omnino: sed hanc in Episcopos migrasse.

Obiici tandem Cellitas suas domos iterum aperuisse de Episcoporum consensu tantum, absque apostolico Beneplacito. Ast ex octo huiusmodi domibus, quatuor nunquam desertas fuisse in facto constare. Ceteras vel immediate recuperatas, vel in antiquae locum iterum conditas; vel licet vi impellente venu expositas, in eadem civitate iterum e solo extructas fuisse. Unam tantum eam loci *Ixelles*, recenter fundatam apertamque reperiri. Iamvero nullam paritatem existere inter novi conventus fundationem, et veteris existentis translationem; *Ferraris v. Conventus art. 1 n. 11 12 et 46. Monacelli part. 1 tit. 6 form. 19 num. 4 et seq.* Rationem in eo esse: quia leges quae Conventuum erectionibus conditiones imponunt, utpote rei eminenter favorabilis restrictivae et in se ipsa excellentis, rigide sumendae sunt. Neminem tandem inficias ire, religiosos, absque ulla formalitate, domos unde iniuste deiecti fuerant iterum ingredi posse, quia 1. iniusta persecutio ipsorum iura laedere nequivit: quia 2. novi conventus erectionem veteris restaurationem haud amplectitur.

In altero voto, accuratissima confecta Cellitarum Ordinis historia ex Bullis Pontificiis usque ad Clementem XIV eos positos fuisse sub regula s. Augustini, triaque solemnia vota profiteri consuevisse, eorumdemque votorum professionis confirmationem a Pontificibus Summis obtinuisse demonstravit.

Hisce aliisque praenotatis, psopositum fuit diluendum

Dubium

An et quomodo et pro quibus domibus fratres Cellitae vel Alexiani votis sollemnibus obstringantur in casu?

Digitized by Google

Resolutio. Sacra C. Ep. et Reg. re ample discussâ, sub die 28 Septembris 1883 censuit respondere: *Ad mentem: mens est ut omnibus Congregationis Cellitarum seu Alexianorum domibus, aeque applicentur et extendantur constitutiones correctae et approbatae pro Cellitis Germaniae per decretum S. C. EE. et RR. diei 12 Augusti 1870, in quibus statutum est eorumdem vota simplicia esse, facto verbo cum SSm̃o.*

Ex quibus colliges. I. Pro professione religiosa sollemni requiri, ut ea edatur in religione approbata iuxta approbatam regulam.

II. Ad professionem non sufficere oblationem et votum in religione alias approbata, si oblatio votumque non eo modo fiunt ut religio approbata est.

III. Idem namque esse in religione non approbata vota emitti, ac in religione alias approbata modum oblationem votaque explendi haud servari.

IV. Requiri insuper ad professionis validitatem quod votorum acceptatio canonice expleatur.

V. In casu prae ceteris canonicam votorum acceptationem commissam Sacordoti a Visitatore ordinis eligendo amplius locum non habuisse, ideo modum defecisse oblationem votaque explendi iuxta regulam approbatam.

EX S. RITUUM CONGREGATIONE

DECRETUM

NEAPOLITANA Confirmationis Cultus ab immemorabili tempore praestiti Servo Dei Eustasio Episcopo sancto nuncupato.

Instante Rm̃o Dñ̃o canonico Seraphino Maria Agostini causae supradictae Postulatore constituto, quum Em̃us et Rmus Dominus Cardinalis Raphael Monaco La Valletta causae ipsius Ponens, in

Digitized by Google

ordinario Sacrorum Rituum Congregationis coetu subsignata die ad Vaticanum coadunato, sequens dubium proposuerit: « *An sententia lata a Iudice delegato ab Illmo ac Rmo Dño Archiepiscopo Neapolitano super cultu ab immemorabili tempore praestito praefato Servo Dei, seu super casu excepto à decretis sa. mem. Urbani Papae VIII, sit confirmanda in casu, et ad effectum de quo agitur?* Emi et Rmi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus mature perpensis, auditoque voce et scripto R. P. D. Augustino Caprara, Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuerunt: « *Constare de casu excepto a decretis sa. me. Urbani Papae VIII, seu de cultu immemorabili.* » Die 12 Decembris 1884.

Quibus per infrascriptum Secretarium Sanctissimo Dño Nostro Leoni Papae XIII fideliter relatis, Sanctitas Sua rescriptum Sacrae Congregationis ratum habuit et confirmavit die 18 iisdem mense et anno.

D. Cardinalis BARTOLINIUS S. R. C. *Praefectus.*

L. ✠ S.

Laurentius Salvati S. R. C. *Secretarius.*

DECRETUM

NEAPOLITANA Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Caietani Errico Sacrorum Cordium Congregationis Fundatoris.

SUPER DUBIO « *An sit signanda Commissio Introductionis Causae in casu, et ad effectum de quo agitur?* »

Qui dilectam sponsam suam Ecclesiam ineffabili providentia gubernat Dominus, eam etiam in hac miserrima nostra aetate reddere non cessat matrem illustrium sanctitate filiorum laetantem. Inter hos Dei Servus Caietanus Errico merito adnumeratur. Qui anno 1791 in oppido Secundiliano prope Neapolim honestis parentibus ortus, pietate ac modestia ita ab ineunte aetate excelluit, ut adolescens, iam Sanctus vulgo diceretur. Verum splendor eius sanctimoniae magis eluxit, quum sacerdotali dignitate auctus est. Etenim pro animarum salute eo aestuabat ardore, ut non modo intra sui oppidi septa, verum etiam ad ceteros, quos posset, populos ministerii sui opem conferret, tantaque, divino opitulante spiritu, sermonis efficacia pollebat, ut durissima quaeque corda emolliret. Hisce ministerii operibus perennandis, Congregationi Missionariorum a

Digitized by Google

Sacris Cordibus nuncupatae instituendae, quae tota in procuranda esset animarum salute, contra quamvis humanam spem manum admovit. Eamque sane multis toleratis laboribus, crebrisque difficultatibus feliciter superatis, quas, ut virum Dei a sancto proposito deterreret, inimicus excitaret spiritus, succrescentem aspexit ac late florentem, eique quoad vixit, unanimi sodalium suffragio, praefuit. Anno denique 1860 die 26 Octobris laboribus potius quam annis fractus, circum adstantibus dilectae sibi Congregationis filiis mutuam charitatem praedicans, pretiosam iustorum mortem oppetiit.

Eius porro sanctitatis fama, qua vivens inclaruit, post obitum mirifice aucta est, ac florens hucusque permansit; unde factum est ut ipse tamquam apud Deum mediator a Christifidelibus invocetur, qui plures per illius intercessionem gratias referunt divinitus acceptas.

Hinc ordinaria auctoritate in Curia Ecclesiastica Neapolitana Processus super fama Sanctitatis vitae, Virtutum et Miraculorum ipsius Servi Dei agi posset in Congregatione Sacrorum Rituum ordinaria absque interventu et voto Consultorum, etsi nondum elapso decennio a praesentatione Processus Ordinarii in Actis eiusdem Sacrae Congregationis, neque adhuc ipsius Servi Dei scriptis de more perquisitis atque examinatis, Emus et Rmus Dnus Cardinalis Thomas Maria Martinelli huiusce Causae Relator, ad instantiam Rev. D. Angeli De Maria, Sacerdotis Congregationis Sacrorum Cordium, eiusdem Causae Postulatoris, in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis, subsignata die ad Vaticanum coadunatis, sequens Dubium discutiendum proposuit, nimirum: « *An sit signanda Commissio introductionis Causae in casu, et ad effectum, de quo agitur?* »

Emi porro et Revmi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus accurate perpensis, auditoque voce et scripto R. P. D. Augustino Caprara, Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuerunt: *Affirmative, seu signandam esse Commissionem, si Sanctissimo placuerit*. Die 12 Decembris 1884.

Quibus omnibus Sanctissimo Dño Nostro LEONI PAPAE XIII ab infrascripto Secretario fideliter relatis, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae Congregationis ratum habens propria manu signare dignata est Commissionem introductionis Causae praefati Ven. Servi Dei Caietani Errico, die 18 iisdem Mense et Anno.

D. Cardinalis BARTOLINIUS S. R. C. Praefectus.

L. ✠ S.

Laurentius Salvati S. R. C. *Secretarius*.

Digitized by Google

EX SACRA CONGREGATIONE INDULGENTIARUM

RESCRIPTUM quo conceditur lucrari indulgentias, exercitio viae crucis adnexas, iis qui legitime impediti, et Crucifixum ad hoc benedictum non habentes, pium agant exercitium cum persona, quae una tenet Crucifixum.

BEATISSIME PATER

Fr. Bernardinus a Portu Romatino, Minister generalis totius Ordinis Fratrum Minorum s. Francisci, ad pedes Sanctitatis Tuae provolutus humiliter exponit, saepe saepius fideles, qui exercitium s. Viae Crucis peragere legitimo impedimento prohibentur, etiam impediri, quominus indulgentias Viae Crucis exercitio adnexas lucrifaciant adhibendo Crucifixum ad hunc effectum benedictum, eo quod huiusmodi Crucifixum non possident, sicuti accidit in familiis pauperum, in hospitalibus aliisque huius generis locis piis.

Hinc ut devotio erga passionem D. N. I. C. magis magisque augeatur, neve fideles, imprimis animae in purgatorio detentae, ob expositum Crucifixi defectum, a participatione praedictarum indulgentiarum arceantur, orator enixis precibus supplicat, ut Sanctitas Tua ad Crucifixos Viae Crucis vulgo nuncupatos benigne extendere dignetur indultum a s. m. Pio PP. IX in ordine ad rosarium sub die 22 Ianuarii 1858, Decr. auth. n. 384 (1) concessum, ita,

(1) En decretum, de quo res est: *Die 22 Ianuarii 1858* ORDINIS PRAEDICATORUM. Porrectis his precibus a p. Procuratore Ordinis Praedicatorum huic s. Cong. Indulgentiis sacrisque reliquiis praepositae, EE. PP. in generalibus comitiis apud Vaticanas aedes die 14 Decembris 1857 habitis, propositum fuit dubium dirimendum: « An scilicet consulendum sit SSmo ut concedere dignetur, ut omnes utriusque sexus Christifideles rosarium, vel tertiam saltem eiusdem partem in communi recitantes, lucrentur indulgentias a fel. rec. Benedicto Papa XIII concessas, licet manu non teneant rosarium benedictum, ac sufficere, ut una tantum persona, quaecumque ea sit ex communitate, illud manu teneat, eoque in recitatione de more utatur? » Qui audito prius Consultoris voto, ac rebus mature discussis, responderunt: *Affirmative.*

Facta itaque per me infrascriptum Secretarium SSmo D. N. Pio PP. IX relatione fideli in audientia 22 Ianuarii 1858, Sanctitas Sua precibus eiusdem p. Procuratoris gen. inclinata, nec non votum s. Congregationis approbans benigne annuit, addita tamen expressa conditione, quod fideles omnes, ceteris curis semotis, se componant pro oratione facienda una cum persona quae tenet coronam, ut rosarii indulgentias lucrari queant.

F. CARD. ASQUINIUS *Praef.*

A. COLOMBO *Secretarius.*

Digitized by Google

ut omnes utriusque sexus Christifideles praescripta viginti *Pater, Ave* et *Gloria* in communi recitantes lucrari valeant indulgentias Viae Crucis exercitio adnexas, licet manu non teneant Crucifixum benedictum, ac sufficiat, ut una tantum persona, quaecumque ea sit ex communitate illum manu teneat ceterique omnes, ceteris curis semotis, se componant pro oratione facienda, una cum persona, quae tenet Crucifixum.

Quam gratiam etc.

Sanctissimus Dñus Noster Leo Papa XIII in Audientia habita die 19 Ianuarii 1884 ab infrascripto Secretario Sac. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, benigne annuit pro gratia iuxta petita, ut nimirum ad tramitem Indulti iam concessi pro recitatione SSmi Rosarii Christifideles, de quibus in precibus, si rite se componant pro pio exercitio Viae Crucis peragendo cum persona, quae una tenet Crucifixum, Viae Crucis Indulgentias lucrari queant. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die 19 Ianuarii 1884.

AL. Card. OREGLIA A S. STEPH. Praefectus

Franciscus Della Volpe Secretarius.



Digitized by Google

RESCRIPTUM quo adnexas preces ante et post Missam recitantibus variae conceduntur indulgentiae (1).

Beatissime Pater

D. Adelelmus Foppiano O. S. Benedicti ad Pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, cupiens ut omnes Sacerdotes in dicendis precibus pro Missae celebratione, nonnullas consequantur Indulgentias, humillime implorat ut Sanctitas Vestra benigne concedere dignetur:

I.

(PRECES ANTE MISSAE CELEBRATIONEM)

a) Indulgentiam unius anni pro recitatione, praeter illam quinque Psalmorum - *Quam dilecta* etc. *Benedixisti*, *Dñe,* etc. *Inclina Domine,* etc. *Credidi,* etc. *De profundis,* etc. - cum versiculis, et septem Orationibus adnexis, Orationis s. Ambrosii Ep. singulis hebdomadae diebus assignatae, videlicet:

Oratio s. Ambrosii Episcopi

(per singulos hebdomadae dies distributa)

DIE DOMINICA.

Summe Sacerdos, et vere Pontifex Iesu Christe, qui te obtulisti Deo Patri hostiam puram et immaculatam in ara Crucis pro nobis miseris et peccatoribus, et qui dedisti nobis Carnem tuam ad manducandum et Sanguinem tuum ad bibendum, et posuisti mysterium istud in virtute Spiritus sancti tui, dicens: *Haec quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis:* rogo per eumdem Sanguinem tuum, magnum salutis nostrae pretium, rogo per hanc miram et ineffabilem charitatem, qua nos miseros et indignos sic amare dignatus es, ut lavares nos a peccatis nostris in sanguine tuo: doce me servum tuum indignum, quem inter cetera dona tua etiam ad officium sacerdotale vocare dignatus es, nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiae tuae; doce me, quaeso, per Spiritum sanctum tuum tantum tractare mysterium ea reverentia et honore, ea devotione et timore, quibus oportet et decet.

(1) SSmus Pater expetitas libenti animo concessit indulgentias, ut facilius, harum intuitu, excitarentur Sacerdotes ad earumdem precum recitationem. Ut citius vero, eiusmodi preces, novis ditatae indulgentiis, quaeque in nonnullis ab aliis iam editis differunt, evulgarentur, per nostras ephemerides textum editoribus quoque porrigimus ab eadem s. Congregatione exhibitum.

Digitized by Google

Fac me per gratiam tuam semper illud de tanto mysterio credere et intelligere, sentire et firmiter tenere, dicere et cogitare, quod tibi placet, et expedit animae meae. Intret spiritus tuus bonus in cor meum, qui sonet ibi sine sono, et sine strepitu verborum loquatur omnem veritatem. Profunda quippe sunt nimis, et sacro tecta velamine. Propter magnam clementiam tuam concede mihi Missarum solemnia mundo corde et pura mente celebrare. Libera cor meum ab immundis et nefandis, vanis et noxiis cogitationibus. Muni me beatorum Angelorum pia et fida custodia ac tutela fortissima, ut hostes omnium bonorum confusi discedant. Per virtutem tanti mysterii, et per manum sancti Angeli tui repelle a me et a cunctis servis tuis durissimum superbiae, et cenodoxiae, invidiae et blasphemiae, fornicationis et immunditiae, dubietatis et diffidentiae spiritum. Confundantur, qui nos persequuntur pereant illi, qui nos perdere festinant.

Feria II.

Rex virginum, et amator castitatis et integritatis, caelesti rore benedictionis tuae extingue in corpore meo fomitem ardentis libidinis, ut maneat in me tenor castitatis corporis et animae. Mortifica in membris meis carnis stimulos, omnesque libidinosas commotiones, et da mihi veram et perpetuam castitatem cum ceteris donis tuis, quae tibi placent in veritate; ut sacrificium laudis casto corpore, et mundo corde valeam tibi offerre. Quanta enim cordis contritione et lacrymarum fonte, quanta reverentia et tremore, quanta corporis castitate, et animae puritate istud divinum et caeleste sacrificium est celebrandum, ubi caro tua in veritate sumitur, ubi sanguis tuus in veritate bibitur, ubi ima summis, terrena divinis iunguntur, ubi adest sanctorum Angelorum praesentia, ubi tu es Sacrificium et Sacerdos mirabiliter et ineffabiliter constitutus!

Feria III.

Quis digne hoc mysterium celebrare poterit, nisi tu, Deus omnipotens, offerentem feceris dignum? Scio, Domine, et vere scio, et idipsum pietati tuae confiteor, quia non sum dignus accedere ad tantum mysterium propter nimia peccata mea, et infinitas negligentias meas. Sed scio, et veraciter ex toto corde meo credo, et ore confiteor, quia tu potes me facere dignum, qui solus potes facere mundum de immundo conceptum semine et de peccatoribus iustos et sanctos. Per hanc omnipotentiam tuam te rogo, Deus meus, ut concedas mihi peccatori hoc sacrificium celebrare cum timore et tremore, cum cordis puritate et lacrymarum fonte, cum laetitia spirituali et caelesti gaudio. Sentiat mens mea dulcedinem beatissimae praesentiae tuae, et excubias sanctorum Angelorum tuorum in circuitu meo.

Feria IV.

Ego enim, Domine, memor venerandae Passionis tuae accedo ad altare tuum, licet peccator, ut offeram tibi sacrificium, quod tu insti-

Digitized by Google

tuisti, et offerri praecepisti in commemorationem tui, pro salute nostra. Suscipe illud, quaeso, summe Deus, pro Ecclesia sancta tua, et pro populo, quem acquisivisti sanguine tuo. Et quoniam me peccatorem inter te et eumdem populum tuum medium esse voluisti, licet in me aliquod boni operis testimonium non agnoscas, officium saltem dispensationis creditae non recuses, nec per me indignum, eorum salutis pereat pretium, pro quibus victima salutaris dignatus es esse et redemptio. Profero etiam, Domine, si digneris propitius intueri, tribulationes plebium, pericula populorum, captivorum gemitus, miserias orphanorum, necessitates peregrinorum, inopiam debilium, desperationem languentium, defectus senum, suspiria iuvenum, vota virginum, lamenta viduarum.

Feria V.

Tu enim misereris omnium, Domine, et nihil odisti eorum quae fecisti. Memorare quae sit nostra substantia, quia tu Pater noster es, quia tu Deus noster es, ne irascaris satis, neque multitudinem viscerum tuorum super nos contineas. Non enim in iustificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis. Aufer a nobis iniquitates nostras, et ignem sancti Spiritus in nobis clementer accende. Aufer cor lapideum de carne nostra, et da nobis cor carneum, quod te amet, te diligat, te delectetur, te sequatur, te perfruatur. Oramus, Domine, clementiam tuam, ut sereno vultu familiam tuam, sacri tui nominis officia praestolantem, aspicere digneris; et, ut nullius sit irritum votum, nullius vacua postulatio, tu nobis preces suggere, quas ipse propitius audire, et exaudire delecteris.

Feria VI.

Rogamus etiam te, Domine sancte Pater, et pro spiritibus fidelium defunctorum: ut sit illis salus, sanitas, gaudium et refrigerium, hoc magnum pietatis Sacramentum. Domine Deus meus, sit illis hodie magnum et plenum convivium de te pane vivo, qui de coelo descendisti et das vitam mundo, de tua carne sancta et benedicta, Agni videlicet immaculati, qui tollis peccata mundi, quae de sancto et glorioso Beatae Virginis Mariae utero est assumpta, et de Spiritu sancto concepta ac de illo pietatis fonte, qui per lanceam militis ex tuo sacratissimo latere emanavit; ut ex inde refecti et satiati, refrigerati et consolati exultent in laude et gloria tua. Peto clementiam tuam, Domine, ut descendat super panem tibi sacrificandum plenitudo tuae benedictionis, et sanctificatio tuae divinitatis. Descendat etiam, Domine, illa sancti Spiritus tui invisibilis, incomprehensibilisque maiestas, sicut quondam in patrum hostias descendebat, qui et oblationes nostras Corpus et Sanguinem tuum efficiat, et me indignum sacerdotem doceat tantum tractare mysterium cum cordis puritate et lacrymarum devotione, cum reverentia et tremore, ita ut placide ac benigne suscipias sacrificium de manibus meis ad salutem omnium tam vivorum quam defunctorum.

Digitized by Google

SABBATO

Rogo etiam te, Domine, per ipsum sacrosanctum mysterium Corporis et Sanguinis tui, quo quotidie in Ecclesia tua pascimur et potamur, abluimur et sanctificamur, atque unius summae divinitatis participes efficimur: da mihi virtutes tuas sanctas, quibus repletus, bonâ conscientiâ ad Altare tuum accedam, ita ut haec caelestia Sacramenta efficiantur mihi salus et vita. Tu enim dixisti ore tuo sancto et benedicto: *Panis, quem ego dabo, caró mea est pro mundi vita: Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi: Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum.* Panis dulcissime, sana palatum cordis mei, ut sentiam suavitatem amoris tui. Sana illud ab omni languore, ut nullam, praeter te, sentiam dulcedinem. Panis candidissime, habens omne delectamentum, et omnem saporem, qui nos semper reficis, et numquam in te deficis: comedat te cor meum, et dulcedine saporis tui repleantur viscera animae meae. Manducat te Angelus ore pleno; manducet te peregrinus homo pro modulo suo, ne deficere possit in via, tali recreatus viatico. Panis sancte, panis vive, panis munde, qui descendisti de caelo, et das vitam mundo, veni in cor meum, et munda me ab omni inquinamento carnis et spiritus. Intra in animam meam, sana et munda me interius et exterius. Esto tutamen, et continua salus animae et corporis mei. Repelle a me insidiantes mihi hostes; recedant procul a praesentia potentiae tuae, ut foris et intus per te munitus, recto tramite ad tuum regnum perveniat: ubi non in mysteriis, sicut in hoc tempore agitur, sed facie ad faciem te videbimus, cum tradideris regnum Deo et Patri, et eris Deus omnia in omnibus. Tunc enim me de te satiabis satietate mirifica, ita ut nec esuriam, nec sitiam in aeternum. Qui cum eodem Deo Patre, et Spiritu sancto vivis et regnas per omnia saecula saeculorum. Amen.

b) Indulgentiam centum dierum pro recitatione seq. Orationis s. Ambrosii Ep.

Oratio s. Ambrosii Episcopi

Ad mensam dulcissimi convivii tui, pie Domine Iesu Christe, ego peccator de propriis meritis nihil praesumens, sed de tua confidens misericordia et bonitate, accedere vereor et contremisco. Nam cor et corpus habeo multis criminibus maculatum, mentem et linguam non caute custoditam. Ergo, o pia Deitas, o tremenda Maiestas, ego miser inter angustias deprehensus, ad te fontem misericordiae recurro, ad te festino sanandus, sub tuam protectionem fugio: et quem iudicem sustinere nequeo, Salvatorem habere suspiro. Tibi, Domine, plagas meas ostendo; tibi verecundiam meam detego. Scio peccata mea multa et magna, pro quibus timeo. Spero in misericordias tuas, quarum non est numerus. Respice ergo in me oculis misericordiae tuae, Domine Iesu Christe, Rex aeterne, Deus et homo, crucifixus propter hominem. Exaudi me sperantem in te, miserere mei pleni miseriis et peccatis, tu qui fontem miserationis num-

Digitized by Google

quam manare cessabis. Salve, salutaris victima, pro me et omni humano genere in patibulo crucis oblata. Salve nobilis, et pretiose Sanguis de vulneribus crucifixi Domini mei Iesu Christi profluens, et peccata totius mundi abluens. Recordare, Domine, creaturae tuae, quam tuo Sanguine redemisti. Poenitet me peccasse, cupio emendare quod feci. Aufer ergo a me, clementissime Pater, omnes iniquitates et peccata mea; ut purificatus mente et corpore, digne degustare merear sancta sanctorum; et concede, ut haec sancta praelibatio Corporis et Sanguinis tui, quam ego indignus sumere intendo, sit peccatorum meorum remissio, sit delictorum perfecta purgatio, sit turpium cogitationum effugatio, ac bonorum sensuum regeneratio, operumque tibi placentium salubris efficacia, animae quoque et corporis contra inimicorum meorum insidias firmissima tuitio. Amen.

c) Indulgentiam centum dierum pro recitatione seq. Orationis s. Thomae Aquinatis.

Oratio s. Thomae Aquinatis

Omnipotens sempiterne Deus, ecce accedo ad sacramentum unigeniti Filii tui Domini nostri Iesu Christi; accedo tamquam infirmus ad medicum vitae, immundus ad fontem misericordiae, caecus ad lumen claritatis aeternae, pauper et egenus ad Dominum caeli et terrae. Rogo ergo immensae largitatis tuae abundantiam, quatenus meam curare digneris infirmitatem, lavare foeditatem, illuminare caecitatem, ditare paupertatem, vestire nuditatem; ut panem Angelorum, Regem regum, et Dominum dominantium tanta suscipiam reverentia et humilitate, tanta contritione et devotione, tanta puritate et fide, tali proposito et intentione, sicut expedit saluti animae meae. Da mihi, quaeso, dominici Corporis et sanguinis non solum suscipere sacramentum, sed etiam rem et virtutem sacramenti. O mitissime Deus, da mihi Corpus unigeniti Filii tui Domini nostri Iesu Christi, quod traxit de Virgine Maria, sic suscipere ut corpori suo mystico merear incorporari, et inter eius membra connumerari. O amantissime Pater, concede mihi dilectum filium tuum, quem nunc velatum in via suscipere propono, revelata tandem facie perpetuo contemplari. Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

d) Indulgentiam centum dierum pro recitatione seq. Orationis ad omnes Angelos et Sanctos.

Oratio ad Omnes Angelos et Sanctos

Angeli, Archangeli, Throni, Dominationes, Principatus, Potestates, Virtutes caelorum, Cherubim, atque Seraphim, omnes Sancti, et Sanctae Dei, praesertim Patroni mei, intercedere dignemini pro me, ut hoc Sacrificium Deo omnipotenti digne valeam offerre ad laudem et gloriam nominis sui, et ad utilitatem meam, totiusque Ecclesiae suae sanctae. Amen.

Digitized by Google

e) Indulgentiam centum dierum pro recitatione sequentis Orationis tantummodo dicendae quando Sacerdos in honorem Sancti, vel Beati Missam celebrat.

Oratio tantummodo dicenda quando Sacerdos in honorem Sancti, vel Beati Missam celebrat.

O Sancte N., ecce ego miser peccator, de tuis meritis confisus, offero nunc sacratissimum Sacramentum Corporis et Sanguinis Domini nostri Iesu Christi pro tuo honore et gloria. Precor te humiliter et devote, ut pro me intercedere digneris, ut tantum Sacrificium digne et acceptabiliter offerre valeam, ut eum tecum, et cum omnibus electis eius aeternaliter laudare, atque cum eo regnare valeam. Qui vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

II.

(PRECES POST MISSAE CELEBRATIONEM)

a) Indulgentiam unius anni pro recitatione, praeter illam consueti Cantici – *Benedicite,* etc. et Psalmi – *Laudate,* etc. cum versiculis et tribus Orationibus adnexis, duarum sequentium Orationum, quarum altera s. Thomae, altera vero s. Bonaventurae.

Oratio s. Thomae Aquinatis

Gratias tibi ago, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, qui me peccatorem indignum famulum tuum, nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiae tuae satiare dignatus es pretioso Corpore et Sanguine Filii tui Domini nostri Iesu Christi. Et precor ut haec sancta communio non sit mihi reatus ad poenam, sed intercessio salutaris ad veniam, sit mihi armatura fidei, et scutum bonae voluntatis. Sit vitiorum meorum evacuatio, concupiscentiae et libidinis exterminatio, caritatis et patientiae, humilitatis et obedientiae, omniumque virtutum augmentatio: contra insidias inimicorum omnium tam visibilium quam invisibilium firma defensio; motuum meorum, tam carnalium, quam spiritualium perfecta quietatio, in te uno ac vero Deo firma adhaesio, atque finis mei felix consummatio. Et precor te, ut ad illud ineffabile convivium me peccatorem perducere digneris, ubi tu cum Filio tuo et Spiritu sancto sanctis tuis es lux vera, satietas plena, gaudium sempiternum, iucunditas consummata, et felicitas perfecta. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

Oratio s. Bonaventurae

Transfige, dulcissime Domine Iesu, medullas et viscera animae meae suavissimo ac saluberrimo amoris tui vulnere, vera serenaque et apostolica sanctissima caritate, ut langueat et liquefiat anima mea solo semper

Digitized by Google

amore et desiderio tui, te concupiscat, et deficiat in atria tua, cupiat dissolvi, et esse tecum. Da, ut anima mea te esuriat panem angelorum, refectionem animarum sanctarum, panem nostrum quotidianum, supersubstantialem habentem omnem dulcedinem et saporem, et omne delectamentum suavitatis; te, in quem desiderant Angeli prospicere, semper esuriat et comedat cor meum, et dulcedine saporis tui repleantur viscera animae meae: te semper sitiat fontem vitae, fontem sapientiae et scientiae, fontem aeterni luminis, torrentem voluptatis, ubertatem domus Dei: te semper ambiat, te quaerat, te inveniat, ad te tendat, ad te perveniat, te meditetur, te loquatur, et omnia operetur in laudem et gloriam nominis tui cum humilitate et discretione, cum dilectione et delectatione, cum facilitate et affectu, cum perseverantia usque in finem; et tu sis solus semper spes mea, tota fiducia mea, divitiae meae, delectatio mea, iucunditas mea, gaudium meum, quies et tranquillitas mea, pax mea, suavitas mea, odor meus, dulcedo mea, cibus meus, refectio mea, refugium meum, auxilium meum, sapientia mea, portio mea, possessio mea, thesaurus meus, in quo fixa et firma et immobiliter semper sit radicata mens mea, et cor meum. Amen.

b) Indulgentiam centum dierum pro recitatione sequentis Rithmi s. Thomae.

Rithmus s. Thomae Aquinatis ad sacram Eucharistiam

Adoro te devote, latens Deitas,
Quae sub his figuris vere latitas;
Tibi se cor meum totum subiicit,
Quia te contemplans, totum deficit.
Visus, tactus, gustus in te fallitur,
Sed auditu solo tuto creditur.
Credo quidquid dixit Dei filius.
Nihil hoc verbo veritatis verius.
In Cruce latebat sola Deitas,
At hic latet simul et humanitas:
Ambo tamen credens, atque confitens,
Peto quod petivit latro poenitens.
Plagas, sicut Thomas, non intueor,
Deum tamen meum te confiteor,
Fac me tibi semper magis credere,
In te spem habere, te diligere.
O memoriale mortis Domini,
Panis vivus, vitam praestans homini:
Praesta meae menti de te vivere;
Et te illi semper dulce sapere.
Pie pellicane Iesu Domine,
Me immundum, munda tuo sanguine:
Cuius una stilla salvum facere
Totum mundum quit ab omni scelere.

Digitized by Google

Iesu, quem velatum nunc aspicio,
Oro, fiat illud, quod tam sitio,
Ut te revelata cernens facie,
Visu sim beatus tuae gloriae. Amen.

c). Indulgentiam centum dierum pro recitatione Orationis s. Alphonsi Mariae de Ligorio Episcopi singulis hebdomadae diebus assignatae, ut infra..

Orationes s. Alphonsi Mariae de Ligorio Episcopi pro singulis hebdomadae diebus.

DIE DOMINICA

Amantissime Iesu, Redemptor, et Deus, adoro te praesentem in pectore meo sub speciebus panis et vini, quibus factus es cibus et potus animae meae. Sit infinite benedictus adventus tuus ad animam meam, Deus meus, et pro tanto beneficio tibi ex intimo corde gratias ago, et doleo eo quod digne tibi grates rependere non valeo. Et quasnam dignas gratiarum actiones habere posset humilis villicus, si rustica in domo sua ab ipso suo rege se visitatum videret, nisi ad illius pedes se procumbere, et tacito admirari et laudare tantam dignationem? Procido ergo coram te, o Rex divine, o Iesu dulcissime, teque adoro ex abysso vilitatis meae. Coniungo adorationem meam adorationi, quam tibi praestitit beatissima Virgo Maria quando in uterum suum sacrosanctum te recepit, et quo ipsa te amavit amore, eodem te prosequi vellem. O Redemptor amabilis, tu hodie verbis meis obediens, de caelo in manus meas descendisti: et ego? eheu! quoties praeceptis tuis inobediendo, te, ingrato animo, sprevi, et gratiam et amorem tuum reieci! O bone Iesu, meorum veniam delictorum iam te mihi tribuisse confido; quod si culpa mea, nondum mihi pepercisti, modo, quaeso, ignosce mihi, o Bonitas infinita, nam te offendisse toto corde me poenitet. Utinam, o Iesu, te semper amavissem! A die saltem quo primam missam celebravi, unice pro te amore flagrare debuissem. Tu ex millibus me in sacerdotem et amicum tuum elegisti, quid ultra facere debuisti, ut a me diligereris? Sed gratias ago tibi quia tempus mihi praestas agendi, quod facere omisi. Ex toto corde meo te amare volo. Minime, nullum affectum in corde meo admittere volo nisi pro te, qui me tantis beneficiis ad te redamandum obstrinxisti. *Deus meus et omnia.* O Deus meus, quid mihi divitiae! quid honores! quid mundi voluptates! tu omnia mihi es. Tu solus eris deinceps unicum bonum, unicus amor meus. Dicam tibi cum sancto Paulino: *Sibi habeant divitias suas divites, regna sua reges; mihi Christus gloria et regnum est.* Fruantur reges, ac divites terrae, regnis suis, suisque divitiis, tu, o bone Iesu, divitiae meae et regnum meum mihi solus eris. O Pater aeterne, per amorem huius Filii tui, quem hodie tibi obtuli, et in cor meum recepi, da quaeso, mihi sanctam perseverantiam in gratia tua, et donum tui sancti amoris. Tibi etiam commendo pro-

Digitized by Google

pinquos meos, amicos et inimicos; animas item purgatorii, omnesque peccatores.

O Mater mea, Maria sanctissima, impetra mihi sanctam perseverantiam et Iesu Christi amorem.

Feria II.

O Bonitas infinita! O caritas infinita! Deus mihi se totum dedit, factus est totus meus! Anima mea, convoca omnes affectus tuos, teque intime coniunge Domino tuo, qui dedita opera venit ad te, ut coniungatur tibi et redametur a te.

O Redemptor amabilis, amplector te, amor et vita mea me tibi coniungo, noli me despicere. Hei mihi! quodam tempore vitae meae te reieci ex anima mea, et me separavi a te; sed in posterum vitam meam millies ponere potius volo, quam iterum amittere te, summum Bonum meum. Obliviscere, Domine, omnium iniuriarum, quibus te affeci, et mihi miseratus ignosce; toto corde me illarum poenitet, et prae dolore mori vellem. Quamvis autem in te peccaverim, mihi praecipis ut amem te: *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo.* Oh, Domine mi, quis ego sum ut a me diligi cupias? Quoniam hoc desideras, amore te prosequi volo. Tu pro me mortem subire voluisti, et carnes tuas in cibum mihi dedisti, ego omnia relinquo, omnibus valedico, et te solum, amantissime Salvator, amplector. *Quis me separabit a caritate Christi?* O Redemptor amabilis, et quem alium diligere volo, nisi te, qui es infinita bonitas, et infinito amore dignus? *Quid mihi est in coelo? et a te quid volui super terram? Deus cordis mei, et pars mea Deus in aeternum.* Profecto quidem, Deus meus, et ubinam sive in coelo, sive in terra bonum te maius invenire possum, vel qui magis quam tu me dilexerit? *Adveniat regnum tuum.* Oh! bone Iesu, sume, precor, hoc mane totius cordis mei dominium, illud ego tibi totum praebeo. Tu illud semper ac totum posside, et omnes affectus, qui non sunt ad te, ab eo repelle. Te solum in partem meam, et in meas divitias eligo: *Deus cordis mei, et pars mea, Deus, in aeternum.* Da, ut semper illud s. Ignatii a Loyola in ore habeam, et petam: *Amorem tui solum cum gratia tua mihi dones, et dives sum satis.* Da mihi amorem et gratiam tuam, fac videlicet ut amem te, et amer a te, et dives sum satis, nec amplius ultra desidero, nec aliud quaero. Verumtamen tu scis infirmitatem meam, et quam saepe tibi infidelis extiterim; adiuva ergo me gratia tua, nec umquam permittas me separari ab amore tuo sancto. *Ne permittas me separari a te.* Hoc nunc tibi dico, semperque dicere volo, et idipsum, tribue, ut repetere tibi semper queam: *Ne permittas, ne permittas me separari a te.*

O Virgo sanctissima, spes mea, Maria, impetra mihi a Deo hanc duplicem gratiam: sanctam perseverantiam et sanctum amorem; nihil amplius a te peto.

Digitized by Google

Feria III.

Ah! Domine mi, quomodo potui te multoties offendere, sciens quod peccando tibi summe displicebam? Per merita, quaeso, passionis tuae ignosce mihi, et vinculo amoris tui me tibi obstringe; non te separet a me fetor culparum mearum. Fac ut magis ac magis tuam bonitatem et amorem, qui tibi debetur, et caritatem, qua me dilexisti, semper agnoscam.

Cupio, bone Iesu, me totum pro te devovere, qui temetipsum pro me in sacrificium offerre voluisti. Tu innumeris caritatis argumentis me tibi obstrinxisti; ne, quaeso, permittas me umquam separari a te. Amo te, Deus meus, teque semper diligere volo. Et quomodo a te disiunctus, et sine gratia tua vivere potero, cum amorem tuum cognoverim? – Gratias ago tibi quia me pertulisti quando sine gratia tua vivebam, et quia tempus adhuc mihi praestas amandi te. Si tunc mihi superventus esset interitus, te amplius amare non possem. Quoniam vero adhuc te diligere possum, omnibus viribus te amare volo, dulcissime Iesu, tibique in omnibus placere peropto. Diligo te, o Bonitas infinita, amo te plusquam me; et quia amo te, dono tibi corpus meum, animam meam, ac totam voluntatem meam. Fac, Domine, et dispone de me iuxta beneplacitum tuum, in omnibus me tibi subiicio. Dummodo mihi concedas ut semper diligam te, nihil aliud posco. Terrena bona da volentibus illa; non aliud ego desidero, nihilque peto, nisi perseverantiam in gratia tua, et sanctum amorem tuum.

Innixus ego, o Pater aeterne, Filii tui promissis: *Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis* (*Ioann.* XVI, 23), in nomine Iesu Christi peto a te sanctam perseverantiam, et gratiam amandi te ex toto corde meo, perfecte faciendo deinceps voluntatem tuam. O Iesu, tu pro me victima factus es, et mihi teipsum dedisti, ut tradam tibi meipsum, tibique immolem voluntatem meam, inquis enim: *Praebe, fili mi, cor tuum mihi* (*Prov.* XXIII, 26). Ecce cor meum, Domine, ecce cor meum, et animam meam, quam tibi dono, et omnino pro te devoveo. Verum, tu scis, Domine, infirmitatem meam: succurre mihi; ne permittas me hanc voluntatem meam a te recipere ad peccandum in te. Minime: noli hoc permittere; da ut semper diligam te, fac ut amem te quantum Sacerdos te diligere debet; et quemadmodum Filius tuus in cruce moriens dicere potuit: *Consummatum est,* ita in morte mea dicere valeam, quod ex hac die mandata tua custodivi. Praesta, ut in omnibus tentationibus, et periculis in te peccandi semper ad te recurram, et auxilium tuum per merita Iesu Christi implorare non omittam.

O Maria sanctissima, quae omnia potes apud Deum, impetra mihi hanc gratiam, ut in tentationibus semper ad Deum, et ad te confugiam.

Feria IV.

Oh! Iesu mi, video quanta operatus et passus es, ut mihi necessitatem imponeres amandi te, et ego tam ingratum me tibi probavi? Quo-

Digitized by Google

ties ob vilem delectationem et desiderium nequam, tuam gratiam commutavi, et amisi te, o Deus animae meae! Creaturarum beneficia et gratâ memoriâ sum prosequutus, tibi soli me ingratum praebui. Ignosce mihi, Deus meus; doleo eiusmodi ingrati animi crimen, et toto corde moereo, et veniam a te spero cum sis infinita bonitas. Si tu bonitas infinita non esses, mihi desperandum foret, nec amplius misericordiam tuam implorare auderem.

Tibi sint grates, amor meus, quia ad infernum, quem promerui, non me damnasti, et tanto tempore me sustinuisti. Sola quidem patientia tua in me, Deus meus, ad amandum te trahere me deberet. Quis umquam me tolerare potuisset, nisi tu, qui es infinitae misericordiae Deus? Iamdiu est, ex quo invitas me ad amandum te; nolo amplius resistere amori tuo; ecce me tibi totum dedo. Sufficit quantum in te peccavi, nunc te diligere volo. Amo te, o summum Bonum meum diligo te, o Bonitas infinita, amo te, Deus meus, qui es infinito amore dignus, et semper repetere volo in tempore et in aeternitate: amo te, amo te. – O Deus, et quot annos amisi, in quibus te diligere et in amore tuo progredi potuissem, et eos insumpsi ad peccandum in te! At sanguis tuus, o Iesu, spes mea est. Numquam, spero, te amare cessabo. Ignoro quantum mihi vivendum superest; residuum tamen vitae meae sive breve sive longum sit, illud tibi totum consecro. Ad hunc finem hactenus expectasti me. Volo quippe tibi complacere, volo te, amantissime Dñe, semper amare, teque solum diligere volo. Quid mihi deliciae! Quid divitiae! Quid honores! Tu solus, Deus meus, tu solus, solus es, et semper eris amor meus, et omnia. Sed nihil possum, nisi tu adiuves me gratiâ tuâ. Vulnera quaeso cor meum, inflamma illud sancto amore tuo, tibique totum coniunge, et ita coniunge, ut a te numquam separari possit. Tu amare promisisti qui te diligit: *Ego diligentes me diligo (Prov.* VIII, 17). Nunc amo te: parce audaciae meae, ama tu etiam me, et ne permittas me quidquam facere, quod impediat quominus diligas me: *Qui non diligit manet in morte* (I. *Ioann.* III. 14). Libera me ab ista morte, qua impediar quominus amem te. Fac ut semper diligam te, ut semper tu queas amare me; et sic dilectio nostra aeterna sit, nec inter me et te amplius dissolvatur. Hoc praesta, Pater aeterne, per amorem Iesu Christi. Hoc ipsum concede, iucundissime Iesu, per merita tua, in quibus me semper te amaturum, et te semper me dilecturum confido.

O Maria, Mater Dei, et mater mea, tu etiam deprecare Iesum pro me.

Feria V.

O Deus infinitae maiestatis, en proditor ad pedes tuos, qui tam graviter in te deliquit! Tu multoties pepercisti peccatis meis, et ego, spretis beneficiis, et praesidiis, quibus me donasti, iterum te iniuriis affeci. Ceteri peccaverunt in tenebris ego autem in luce. Sed audi vocem huius filii tui, quem modo tibi obtuli, et qui nunc est in pectore meo, ipse pro me misericordiam et veniam apud te implorat. Parce mihi, o Bonitas infinita, per amorem Iesu Christi, quia te offendisse toto corde me poenitet.

Digitized by Google

Scio quod tu Iesu Christi amore peccatoribus te placare delecteris: *Complacuit per eum reconciliare omnia in ipsum* (*Coloss.* I, 19, 29). Per amorem igitur Iesu Christi, placa te etiam mihi. *Ne proiicias me a facie tua* quamvis id merear; parce mihi, et muta cor meum. *Cor mundum crea in me Deus.* Hoc age ob honorem saltem tuum quoniam elegisti me in Sacerdotem et ministrum ad offerendum tibi ipsum Filium tuum. Fac me vivere sicut decet sacerdotem. Da cor mihi, quo te sacerdos amare debet. Extingue, precor, et destrue in me tui amoris igne omnes terrenos affectus. Fac ut gratum deinceps me tibi probem pro tantis beneficiis mihi collatis, et pro tanto amore, quo amasti me. Si olim amicitiam tuam sprevi, nunc eam magis aestimo quam cuncta mundi regna, et beneplacitum tuum omnibus divitiis ac coeli terraeque antepono. - O Pater mi, per Iesu Christi amorem separa me ab omnibus rebus. Tu vis ut sacerdotes tui ab omnibus, quae in mundo sunt, omnino segregati sint, ac tibi soli, et operibus gloriae tuae vivant. *Segregate mihi Saulum et Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos* (*Act.* XIII, 2). Scio quod etiam id a me requiris, et hoc facere propono, sed tu adiuva me gratiâ tuâ. Trahe me totum ad te. In laboribus et in adversis mihi patientiam et voluntatis conformationem tribue. Da ut per amorem tuum meipsum mortificem. Concede mihi spiritum verae humilitatis, quo gaudeam me abiectum et imperfectum reputari. *Doce me facere voluntatem tuam,* et quod inde a me requiris indica mihi, id enim exequi volo. Recipe, Deus meus, ad amandum te peccatorem, qui in praeteritum nimis in te peccavit, sed nunc vere te diligere vult, et esse tuus. O Deus aeterne, spero te amaturum in aeternum. Et ideo volo etiam in hac vita te multum amare, ut multum te amare valeam in aeternitate. - Et quia amo te, ab omnibus te cognosci et amari desidero. Et ideo, Domine, quoniam fecisti me sacerdotem tuum, fac ut pro te laborem, et saluti animarum incumbam. Haec omnia spero per merita, o Christe Iesu, et per tuam intercessionem, o mater mea Maria.

Feria VI.

O Iesu! et quomodo potuisti me ex millibus in sacerdotem tuum eligere? Me, qui toties tibi terga verti, et pro nihilo gratiam tuam sprevi? Amantissime Dómine mi, doleo ex tota anima mea de peccatis meis. Dicito mihi, remisisti ne peccata mea? Spero quidem. Fuisti quippe Redemptor meus non semel tantum, sed quoties mihi pepercisti. Ah, Salvator mi, numquam te offendissem! Fac, obsecro, me sentire quod Magdalenae dixisti: *Remittuntur tibi peccata tua.* Fac ut sentiam me in gratiam tuam iam esse receptum donans mihi magnum dolorem de peccatis meis – *In manus tuas commendo spiritum meum; redemisti me Domine Deus veritatis.* Oh! divinissime Pastor, tu de coelo descendisti ad inveniendum me, perditam ovem, et pro me quotidie super altare descendis; posuisti vitam tuam ut salvum me faceres, ne derelinquas me. In manus tuas commendo animam meam, suscipe clementer eam, et ne permittas umquam separari a te. – Tu pro me totum Sangui-

Digitized by Google

nem tuum fudisti; *Te ergo quaesumus, tuis famulis subveni, quos pretioso Sanguine redemisti.* Nunc es advocatus meus, non vero iudex; veniam pro me apud Patrem tuum implora; obtine mihi lumen et virtutem amandi te ex tota anima mea. Da residuum vitae meae sic transire, ut quum te iudicem aspexero, mihi te placatum videam.

Regna, quaeso, amore tuo in corde meo, fac ut sim totus tuus; et ideo, Salvator amabilis recorda mihi semper amorem, quo me dilexisti, et quanta operatus et passus es, ut me salvares, et amareris a me. Ad hoc me sacerdotem fecisti, ut nihil diligam praeter te. – Iesu mi, volo quippe tibi complacere; ego diligo te, et nihil aliud diligere volo praeter te. – Fac me humilem et patientem in laboribus huius vitae, mansuetum in humiliationibus, a terrenis deliciis abhorrentem, et a creaturis abstractum, et praesta ut a corde meo eiiciam omnes affectus, qui non sunt ad te. Haec omnia a te imploro, et spero per merita passionis tuae. O Iesu iucundissime, amabilis Iesu, *o bone Iesu exaudi me.*

O mater mea, et spes mea, Maria, tu quoque exaudi me, et ora Iesum pro me.

SABBATO

Loquere, Domine, quia audit servus tuus (I *Reg.* III, 10).

O Iesu amantissime, tu venisti etiam hoc mane ad visitandam animam meam, ex intimo corde tibi gratias ago. Quoniam venisti ad me, loquere, quaeso, et dicito mihi quid velis a me quia omnia facere volo. Non mereo quod ultra mihi loquaris, eo quod vocem tuam audire persaepe recusavi, qua me vocabas ad amorem tuum, et ingratus tibi terga verti. Verum de peccatis meis iam poenitentiam egi, nunc iterum me illorum poenitet, et veniam a te iam obtinuisse confido. Dic ergo mihi quid me vis facere, sum enim paratus ad omnia. – Utinam, Deus meus, te semper amassem. Hei mihi! quot annos amisi! At Sanguis tuus, et promissiones tuae spem mihi afferunt reparandi tempus amissum, te solum deinceps amando, tibique placendo – Amo te, Redemptor meus, amo te, Deus meus, ad nihil aspiro nisi ad amandum te ex toto corde meo, et ad vitam ipsam ponendam pro amore tui, qui amore mei mortem subire voluisti. *Amore amoris tui,* dicam tibi cum s. Francisco, *moriar, qui amore amoris mei dignatus es mori.* Tu, Iesu, mihi totum teipsum dedisti; dedisti tuum Sanguinem, vitam, omnes sudores tuos, omnia merita tua, plus dare non habuisti; ego me totum tibi dono; dono tibi omnes delectationes meas, omnes saeculi delicias, corpus meum, animam, voluntatem; plus tibi dare non habeo; si plus haberem, plus tibi darem. Iucundissime Iesu, tu mihi sufficis – Fac tamen, Domine, ut sim tibi fidelis; ne permittas me, mutata voluntate, derelinquere te. Spero per merita passionis tuae, Salvator mi, id mihi numquam obventurum. Tu dixisti: *Nullus speravit in Domino, et confusus est* (*Eccl.* II, 11). Tota igitur fiducia dicere possum et ego: *In te, Domine, speravi, non confundar in aeternum.* Spero, o Deus animae meae, et semper volo sperare numquam confusionem passurum videndi me separatum a te.

Digitized by Google

Scio quod tu Iesu Christi amore peccatoribus te placare delecteris: *Complacuit per eum reconciliare omnia in ipsum* (*Coloss.* I, 19, 29). Per amorem igitur Iesu Christi, placa te etiam mihi. *Ne proiicias me a facie tua* quamvis id merear; parce mihi, et muta cor meum. *Cor mundum crea in me Deus.* Hoc age ob honorem saltem tuum quoniam elegisti me in Sacerdotem et ministrum ad offerendum tibi ipsum Filium tuum. Fac me vivere sicut decet sacerdotem. Da cor mihi, quo te sacerdos amare debet. Extingue, precor, et destrue in me tui amoris igne omnes terrenos affectus. Fac ut gratum deinceps me tibi probem pro tantis beneficiis mihi collatis, et pro tanto amore, quo amasti me. Si olim amicitiam tuam sprevi, nunc eam magis aestimo quam cuncta mundi regna, et beneplacitum tuum omnibus divitiis ac coeli terraeque antepono. - O Pater mi, per Iesu Christi amorem separa me ab omnibus rebus. Tu vis ut sacerdotes tui ab omnibus, quae in mundo sunt, omnino segregati sint, ac tibi soli, et operibus gloriae tuae vivant. *Segregate mihi Saulum et Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos* (*Act.* XIII, 2). Scio quod etiam id a me requiris, et hoc facere propono, sed tu adiuva me gratiâ tuâ. Trahe me totum ad te. In laboribus et in adversis mihi patientiam et voluntatis conformationem tribue. Da ut per amorem tuum meipsum mortificem. Concede mihi spiritum verae humilitatis, quo gaudeam me abiectum et imperfectum reputari. *Doce me facere voluntatem tuam,* et quod inde a me requiris indica mihi, id enim exequi volo. Recipe, Deus meus, ad amandum te peccatorem, qui in praeteritum nimis in te peccavit, sed nunc vere te diligere vult, et esse tuus. O Deus aeterne, spero te amaturum in aeternum. Et ideo volo etiam in hac vita te multum amare, ut multum te amare valeam in aeternitate. - Et quia amo te, ab omnibus te cognosci et amari desidero. Et ideo, Domine, quoniam fecisti me sacerdotem tuum, fac ut pro te laborem, et saluti animarum incumbam. Haec omnia spero per merita, o Christe Iesu, et per tuam intercessionem, o mater mea Maria.

Feria VI.

O Iesu! et quomodo potuisti me ex millibus in sacerdotem tuum eligere? Me, qui toties tibi terga verti, et pro nihilo gratiam tuam sprevi? Amantissime Dòmine mi, doleo ex tota anima mea de peccatis meis. Dicito mihi, remisisti ne peccata mea? Spero quidem. Fuisti quippe Redemptor meus non semel tantum, sed quoties mihi pepercisti. Ah, Salvator mi, numquam te offendissem! Fac, obsecro, me sentire quod Magdalenae dixisti: *Remittuntur tibi peccata tua.* Fac ut sentiam me in gratiam tuam iam esse receptum donans mihi magnum dolorem de peccatis meis - *In manus tuas commendo spiritum meum; redemisti me Domine Deus veritatis.* Oh! divinissime Pastor, tu de coelo descendisti ad inveniendum me, perditam ovem, et pro me quotidie super altare descendis; posuisti vitam tuam ut salvum me faceres, ne derelinquas me. In manus tuas commendo animam meam, suscipe clementer eam, et ne permittas umquam separari a te. - Tu pro me totum Sangui-

Digitized by Google

nem tuum fudisti; *Te ergo quaesumus, tuis famulis subveni, quos pretioso Sanguine redemisti.* Nunc es advocatus meus, non vero iudex; veniam pro me apud Patrem tuum implora; obtine mihi lumen et virtutem amandi te ex tota anima mea. Da residuum vitae meae sic transire, ut quum te iudicem aspexero, mihi te placatum videam.

Regna, quaeso, amore tuo in corde meo, fac ut sim totus tuus; et ideo, Salvator amabilis recorda mihi semper amorem, quo me dilexisti, et quanta operatus et passus es, ut me salvares, et amareris a me. Ad hoc me sacerdotem fecisti, ut nihil diligam praeter te. – Iesu mi, volo quippe tibi complacere; ego diligo te, et nihil aliud diligere volo praeter te. – Fac me humilem et patientem in laboribus huius vitae, mansuetum in humiliationibus, a terrenis deliciis abhorrentem, et a creaturis abstractum, et praesta ut a corde meo eiiciam omnes affectus, qui non sunt ad te. Haec omnia a te imploro, et spero per merita passionis tuae. O Iesu iucundissime, amabilis Iesu, *o bone Iesu exaudi me.*

O mater mea, et spes mea, Maria, tu quoque exaudi me, et ora Iesum pro me.

SABBATO

Loquere, Domine, quia audit servus tuus (I *Reg.* III, 10).

O Iesu amantissime, tu venisti etiam hoc mane ad visitandam animam meam, ex intimo corde tibi gratias ago. Quoniam venisti ad me, loquere, quaeso, et dicito mihi quid velis a me quia omnia facere volo. Non mereo quod ultra mihi loquaris, eo quod vocem tuam audire persaepe recusavi, qua me vocabas ad amorem tuum, et ingratus tibi terga verti. Verum de peccatis meis iam poenitentiam egi, nunc iterum me illorum poenitet, et veniam a te iam obtinuisse confido. Dic ergo mihi quid me vis facere, sum enim paratus ad omnia. – Utinam, Deus meus, te semper amassem. Hei mihi! quot annos amisi! At Sanguis tuus, et promissiones tuae spem mihi afferunt reparandi tempus amissum, te solum deinceps amando, tibique placendo – Amo te, Redemptor meus, amo te, Deus meus, ad nihil aspiro nisi ad amandum te ex toto corde meo, et ad vitam ipsam ponendam pro amore tui, qui amore mei mortem subire voluisti. *Amore amoris tui,* dicam tibi cum s. Francisco, *moriar, qui amore amoris mei dignatus es mori.* Tu, Iesu, mihi totum teipsum dedisti; dedisti tuum Sanguinem, vitam, omnes sudores tuos, omnia merita tua, plus dare non habuisti; ego me totum tibi dono; dono tibi omnes delectationes meas, omnes saeculi delicias, corpus meum, animam, voluntatem; plus tibi dare non habeo; si plus haberem, plus tibi darem. Iucundissime Iesu, tu mihi sufficis – Fac tamen, Domine, ut sim tibi fidelis; ne permittas me, mutata voluntate, derelinquere te. Spero per merita passionis tuae, Salvator mi, id mihi numquam obventurum. Tu dixisti: *Nullus speravit in Domino, et confusus est* (*Eccl.* II, 11). Tota igitur fiducia dicere possum et ego: *In te, Domine, speravi, non confundar in aeternum.* Spero, o Deus animae meae, et semper volo sperare numquam confusionem passurum videndi me separatum a te.

Digitized by Google

In te, Domine, speravi, non confundar in aeternum – Deus meus, tu omnipotens es, effice me sanctum. Fac ut multum diligam te, fac ut nihil praetermittam, quod redundet in gloriam tuam, et omnia vincam ut tibi complaceam. Me beatum, si omnia perdam, ut solum te, et amorem tuum inveniam! Ad hunc finem vitam tribuisti mihi, fac ut eam operibus gloriae tuae omnino impendam. Non mereor beneficia, sed poenas; ideo deprecor te, ut punias me sicut vis, dummodo gratiam tuam non auferas a me. Sine mensura amasti me, o charitas infinita, o infinita Bonitas, sic amo et amabo te. O voluntas Dei! tu es amor meus. O Iesu mi! tu mortuus es pro me, utinam ego etiam mori possem pro te, et morte mea efficere ut omnes ament te. O Bonitas infinita, et infinite amabilis! ego te maximi facio, et super omnia diligo te.

O Maria! trahe me ad Deum; da mihi fiduciam in te, et fac ut semper ad te confugiam; intercessione tua sanctum me reddere debes: ita spero.

d) Indulgentiam centum dierum pro recitatione seq. Orationis ad B. V. M.

Oratio ad B. V. Mariam

O Maria, Virgo et Mater sanctissima, ecce suscepi dilectissimum Filium tuum, quem immaculato utero tuo concepisti, genuisti, lactasti, atque suavissimis amplexibus strinxisti. Ecce, cuius aspectu laetabaris, et omnibus deliciis replebaris, illum ipsum tibi humiliter et amanter repraesento, et offero tuis brachiis constringendum, tuo corde amandum sanctissimaeque Trinitati in supremum latriae cultum pro tui ipsius honore et gloria, et pro meis, totiusque mundi necessitatibus offerendum. Rogo ergo te, piissima Mater, impetra mihi veniam omnium peccatorum meorum, uberemque gratiam ipsi deinceps fidelius serviendi, ac denique gratiam finalem, ut eum tecum laudare possim per omnia saecula saeculorum. Amen.

Implorat idem humilis orator, ut quilibet Sacerdos qui quotidie unius mensis spatio, omnes et singulas preces et orationes praedictas recitaverit, Plenariam Indulgentiam, semel in eodem mense, die ad arbitrium eligenda, consequi valeat.

Ut de Gratia, etc.

SSmus Dnus Noster Leo Papa XIII in Audientia habita die 20 Decembris 1884, ab infrascripto Secretario Sac. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, benigne annuit pro gratia in omnibus, iuxta preces. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex Secretaria eiusdem Sac. Congregationis die 20 Decembris 1884.

AL. CARD. OREGLIA A S. STEPHANO *Praefectus*.

FRANCISCUS DELLA VOLPE *Secretarius*.



Digitized by Google

LITTERAE SS. D. N. LEONIS XIII ad Sinarum Imperatorem; quibus idem exoratur ne catholicos Missionarios aliqua consequatur pernicies ex bellicis dimicationibus cum Gallica Natione.

Imperator Maxime

Commotum nuper bellum in quibusdam Imperii Tui regionibus impellit Nos ut benignitatem et clementiam Tuam demereri studiis officiisque Nostris nitamur, ne qua forte in religionem catholicam pernicies ex dimicationibus bellicis consequatur. In quo quidem et fungimur officio debito, cum Nostrum sit rem catholicam ubique terrarum, quantum possumus, tueri: et exempla sequimur Decessorum Nostrorum, qui Missionariis ex Europa multitudinique christianae potentes Principes maiores Tuos non semel exoravere. Illud vero magnam Nos in spem erigit, quod hoc etiam tempore propensae in christianos voluntatis Tuae non defuerunt testimonia: intelleximus enim, ad primos belli motus, decretum esse auctoritate Tua ne violarentur christiani, neu quid ipsis ex Gallica gente Missionariis iniuriae fieret. Qua in re aequitatem, maxime Princeps, humanitatemque Tuam nemo non agnoverit. Eo vel magis, quod quotquot ex Europa sacerdotes in florentissimo Imperio Tuo, Evangelii caussa, versantur, a Romanis Pontificibus mittuntur, a quibus ipsis et munia, et mandata, et omnem accipiunt auctoritatem. Neque una dumtaxat e gente iidem eligi solent; plurimi hoc tempore numerantur ex Italia, ex Belgio, Hollandia, Hispania, Germania, qui amplissimae ditionis Tuae decem provincias excolunt. Sacerdotes vero cum e Societate Iesu, tum e Congregatione Missionum, qui aliis in provinciis elaborant, ex diversissimis gentibus collecti sunt. Idque plane cum natura congruit religionis christianae, quae, non uni populo sed omnibus nata, homines universos, nullo nec loci discrimine nec generis, fraterna inter se necessitudine coniungit.

Eorum autem, qui in Evangelio elaborant, ipsis rebus publicis valde salutaris est opera. Nam a politicis negotiis abstinere iussi, toti in eo esse debent, ut sapientiam Iesu Christi disseminent ac tueantur. Illa vero praecipua doctrinae christianae praecepta sunt, Deum timere, et omnibus in rebus iustitiam integre inviolateque servare; unde consequitur, subesse magistratibus oportere, parere

Digitized by Google

legibus, honorem Regi habere non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam: quibus virtutibus nihil profecto est aptius ad multitudinem in officio continendam, conservandamque publicam securitatem.

Revera catholica ex Europa sacerdotes, qui in potentissimo Sinarum imperio aliquot iam saecula apostolicum munus insistunt, tantum abest ut potestati publicae rebusque civilibus quicquam attulerint incommodi, ut plurimas utilitates, omnium consensu, pepererint: idque sane assecuti sunt primum christiana morum disciplina provehenda, deinde propagatione litterarum reliquarumque artium, quibus gentium humanitas continetur. — Quoniam vero eadem mens idemque iis est propositum, qui nunc Sinenses ad instituta christiana erudiunt, dubitare non potes, quin eos ipsos pari voluntate fideque nomini et maiestati Tuae semper obsequentes experiare.

Nos igitur, potentissime Imperator, de significationibus benevolentiae in illos Tuae gratias Tibi plurimas et agimus et habemus: simulque Te, pro ea qua praestas clementia, vehementer obtestamur, ut in praesentibus rerum vicibus eos benignitate Tua complectaris firmissimoque patrocinio tegas, nihil ut detrimenti capiant, et tuta in munere suo libertate, beneficio Tuo, sine ulla offensione fruantur.

Interim, Deum caelorum terrarumque dominum obsecramus, ut Te, Princeps clarissime, uberrimis bonitatis suae muneribus perpetuo prosperare velit.

Datum Romae apud S. Petrum die 1 februarii 1885. Pontificatus Nostri anno VII.

LEO PP. XIII.



Digitized by Google

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS

De Consistorio habito die 27 Martii 1885.

SSmus Pater hoc in Consistorio, brevi habitâ Allocutione, sequentes proposuit Ecclesias:

METROPOLITANAM ECCLESIAM TOLETAN. vacan. per obitum clar. me. Ioannis Ignatii S. R. E. dum viveret presbyteri Cardinalis Moreno, postremi illius Archipraesulis, extra romanam curiam defuncti, favore Emi ac Rmi Domini Zephirini eiusdem S. R. E. Presbyteri Cardinalis Gonzalez et Diaz Tunon, Ordinis Praedicatorum, Archiepiscopi Hispalensis, ad praesentationem serenissimi Regis Catholici.

METROPOLITANAM ECCLESIAM HISPALEN. vacan. per translationem Emi ac Rmi Domini Zephyrini S. R. E. Cardinalis Gonzalez et Diaz Tunon, Ordinis Praedicatorum, ad Sedem Toletanam, favore R. P. D. Benvenuti Monzon et Martin, Archipraesulis Granatensis, ad praesentationem serenissimi Regis Catholici.

METROPOLITANAM ECCLESIAM GRANATEN. vacan. per translationem R. P. D. Benvenuti Monzon et Martin ad Sedem Hispalensem, favore R. P. D. Josephi Moreno et Mazon, Patriarchae Indiarum occidentalium, ad praesentationem serenissimi Regis Catholici.

METROPOLITANAM ECCLESIAM CAMERACEN. vacan. per obitum bo. me. Alfridi Duquesnay, ultimi illius Archiepiscopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Francisci Eduardi Hasley, Havenionensis Archiepiscopi, ad nominationem perillustris Viri Iulii Grevy Gallicae Reipublicae Praesidis.

TITULAREM ECCLESIAM ARCHIEPISCOPALEM ADEN. vacan. per obitum bo. me. Dominici Cavallini Spadoni, ultimi illius Archiepiscopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Conradini Cavriani, Episcopi dimissionarii Cenetensis.

METROPOLITANAM ECCLESIAM AVENIONEN. vacan. per translationem R. P. D. Francisci Eduardi Hasley ad Sedem Metropolitanam Cameracensem, favore R. P. D. Aloisii, Iosephi, Mariae, Angeli Vigne, Episcopi Diniensis, ad nominationem perillustris Viri Iulii Grevy Gallicae Reipublicae Praesidis.

Digitized by Google

Titularem Ecclesiam Archiepiscopalem Acridan. vacan. per obitum bo. me. Alexandri Balgy, postremi illius Archiepiscopi, apud romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Placidi Petacci, Episcopi dimissionarii Tiburtinae Sedis.

Cathedralem Ecclesiam Limburgen. vacan. per obitum bo. me. Petri Iosephi Blum, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti: favore R. D. Christiani Roos, Praesbyteri dioeceseos Limburgensis, a RR. DD. Capitulo et Canonicis ipsiusmet Ecclesiae electi seu postulati. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in oppido Camp dioeceseos Limburgensis progenitus et in quinquagesimo septimo aetatis suae anno constitutus est. Sacellanum ac Secretarium agens episcopalem, Vicarius extitit penes suam dioecesanam Ecclesiam Cathedralem. Seminarii Clericalis Professor atque Rector adlectus, inter eiusdem Examinatores pro morali theologia adnumeratus, atque ea in Cathedrali Canonicus-Parochus hucusque renunciatus est.

Metropolitanam Ecclesiam Tarentin. vacan. per obitum bo. me. Iosephi Rotundo, ultimi illius Archipraesulis, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Petri Alphonsi Iorio, Episcopi Laquedoniensis.

Ecclesiam Matriten. et Compluten. ab archidioecesi Toletana seiuncta, atque iuxta Literas Apostolicas « *Ad Vicariam* » datas nonis Septembris 1851 nuper a SANCTITATE SUA ad Cathedralis honorem evectam, et a primaeva sua erectione vacantem, favore R. P. D. Narcisi, Martinez-Vallejo et Yzquierdo, Antistitis Salamantini et Civitatensis ad praesentationem Serenissimi Regis Catholici.

Titularem Ecclesiam Episcopalem Oropen. sub Archiepiscopo Seleuciense, vacan. per successionem R. P. D. Sigismundi ex Comitibus Brandolini Rota ad Sedem Cenetensem, favore R. P. Donati Velluti-Zati e Ducibus s. Clementis, Episcopi dimissionarii Pistoriensis ac Pratensis.

Cathedrales Ecclesias Pistorien. ac Praten. invicem perpetuo canonice unitas, vacan. per dimissionem a R. P. D. Donato Velluti Zati e ducibus s. Clementis ultro, libenterque in manibus SANCTITATIS SUAE peractam et ab EADEM admissam, suspenso tamen dimissionis effectu ad possessionem usque sui Successoris, favore R. P. D. Marcelli Mazzanti Episcopi Collensis.

Cathedralem Ecclesiam Tiburtin. vacan. per dimissionem a R. P. D. Placido Petacci ultro, libenterque in manibus SANCTITATIS SUAE peractam, et ab EADEM admissam, suspenso tamen dimissionis effectu ad pos-

Digitized by Google

sessionem usque sui Successoris, favore R. P. D. Coelestini del Frate, Episcopi titularis Imeriensis.

Catedralem ecclesiam Salamantin. vacan. per translationem R. P. D. Narcisi Martinez Yzquierdo ad neo-erectam Sedem Cathedralem Matridensem, favore R. P. D. Thomae Càmara et Castro, ex Ordine Eremitarum S. Augustini, Episcopi titularis Traianopolitani, ad praesentationem Serenissimi Regis Catholici.

Catedralem Ecclesiam Cuneen. vacan. per obitum bo. me. Andreae Formica, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Theodori Ernesti Mariae ex Comitibus Valfrè di Bonzo, Presbyteri archidioeceseos Taurinensis. Qui ex legitimis, catholicis, nobilibusque parentibus in oppido Caburri Taurinensis archidioeceseos primogenitus ac in secundo supra trigesimum aetatis suae anno constitutus est. Presbyteratus ordine ac tum in sacra theologia, tum penes Pontificium seminarium Romanum in iure canonico dudum doctorali laurea donatus, Alumnis nobilis Academiae Ecclesiasticae Romae adiunctus, Congregationi negotiis ecclesiasticis extraordinariis praepositae addictus ac inter SANCTITATIS SUAE Domesticos Praesules adnumeratus, ac penes Rempublicam de Costarica Apostolicus delegatus adlectus est.

Cathedralem Ecclesiam Collen. vacan. per translationem R. P. D. Marcelli Mazzanti ad sibi invicem unitas Sedes Pistoriensem ac Pratensem, favore R. D. Aloisii Traversi, Presbyteri dioeceseos Aretinae. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in oppido, quod dicitur *Bibbiena* dioeceseos Aretinae progenitus, et in sexagesimo aetatis suae anno constitutus, in patrio loco Capellanum aliquando agens, penes Aretii seminarium vice-Rectoris, Directoris spiritualis, ac theologiae moralis et ecclesiasticae historiae Magistri muneribus perfunctus est. Canonicus Aretinus adlectus inter Curiae pro-Synodales Examinatores adscitus, et hucusque Parochus loci, cui vulgo nomen *Socana* eiusdem dioeceseos renunciatus est.

Cathedralem Ecclesiam Laquedonien. vacan. per translationem R. P. D. Petri Alphonsi Jorio ad Metropolitanam Sedem Tarentinam, favore R. D. Ioannis Baptistae Mariae Diamare, Presbyteri Neapolitani, praedefuncti Neapolitani Archipraesulis a Secretis, et Seminarii Urbani vice-Rectoris munere perfunctus, Superior communitatis de Recessu et gynaecei a s. Raphaele nuncupati adlectus, Congregationibus ad missiones peragendas adscriptus, atque inter socios pro Academiis literariis ac signanter Tiberina connumeratus est.

Digitized by Google

Cathedralem Ecclesiam Divionen. vacan. per obitum bo. me. Francisci Victoris Rivet, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Ioannis Petri Bernardi Castillon, Presbyteri Tolosanae Archidioeceseos, ad nominationem perillustris Viri Iulii Grevy Gallicae Reipublicae Praesidis. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in oppido, cui vulgo nomen *Merville* Tolosonae archidioeceseos progenitus et in quinquagesimo septimo aetatis suae anno constitutus, in pluribus Tolosanae Archidioeceseos Ecclesiis Parochi perfunctus munere, ipsa in Metropolitana Canonicus-Archipresbyter hucusque renunciatus est.

Cathedralem Ecclesiam Lincen. vacan. per obitum bo. me. Francisci Iosephi Rudigier, ultimi illius Episcopi, extra romanam Curiam defuncti, favore R. P. D. Ernesti Müller, Presbyteri dioeceseos Brunensis, ad nominationem sacrae Caesareae Maiestatis Francisci Josephi I. Austriae Imperatoris, Bohemiae et Hungariae Regis Apostolici. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in vico, cui vulgo nomen *Irritz*, Brunensis dioeceseos progenitus, et in tertio supra sexagesimum aetatis suae anno constitutus, in sacra theologia dudum doctorali laureâ donatus, Metropolitanae Ecclesiae ad s. Stephanum Viennae Canonicus hucusque renunciatus, Archiepiscopalis seminarii clericalis Rector adlectus, theologiae moralis penes universitatem Vindobonensem professoris munere perfunctus, inter SANCTITATIS SUAE Domesticos Praesules adnumeratus est.

Cathedralem Ecclesiam Stanislaopolitanam ritus Graeco-Rutheni, a primaeva erectione sua vacantem, favore R. D. Iuliani Pelesz, Presbyteri Premisliensis Dioeceseos, ad nominationem Sacrae Caesareae Maiestatis Francisci Iosephi I. Austriae Imperatoris, Bohemiae et Hungariae Regis Apostolici. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in pago, cui vulgo nomen *Smerekowiec*, Dioeceseos Premisliensis progenitus et quadragesimum secundum aetatis suae annum supergressus, in sacra theologia dudum auctus doctorali laureâ est. Consiliarius ac referens Metropolitani Consistorii, Examinator pro-Synodalis, atque illius Capituli Archidiaconus et Decanus hucusque renunciatus est.

Cathedralem Ecclesiam Agenen. vac. per translationem R. P. D. Ioannis Fonteneau ad Metropolitanam Sedem Albiensem, favore R. D. Caroli Evaristi Iosephi Coeuret-Varin, Presbyteri Burdigalensis, ad nominationem perillustris Viri Iulii

Digitized by Google

Grevy, Gallicae Reipublicae Praesidis. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Burdigalae progenitus et quadragesimum sextum aetatis suae annum supergressus, in urbe patria Vicarium paroecialem agens ad Beatissim. Virginem Mariam, atque pro Agennensi dioecesi Vicarius in spiritualibus Generalis hucusque renunciatus est.

Cathedralem Ecclesiam Cenomanen. vacan. per obitum bo. me. Hectoris Alberti Chaulet d'Outremont, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Guillelmi Iosephi Labourè, Presbyteri dioeceseos Atrebatensis, ad nominationem perillustris Viri Iulii Grevy Gallicae Reipublicae Praesidis. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in loco, cui vulgo nomen *Achiet-le-Petit* dioeceseos Atrebatensis progenitus et in qnadragesimo quarto aetatis suae anno constitutus, parvi atrebatensis seminarii Superioris munere perfunctus, eiusdem dioeceseos Vicarius in spiritualibus generalis hucusque renunciatus est.

Cathedralem Ecclesiam Virdunen. vacan. per obitum bo. me. Augustini Hacquard, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Ioannis Francisci Natalis Gonindard Presbyteri lugdunensis Archidioeceseos ad nominationem perillustris Viri Iulii Grevy Gallicae Reipubblicae Praesidis. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in oppido, cui vulgare nomen *Perreux*, prope civitatem vulgo dictam *Roanne*, Archidioeceseos lugdunensis progenitus et quadragesimum quintum aetatis suae annum supergressus, sacro dudum donatus Presbyteratus ordine, in ecclesiasticis peragendis functionibus naviter emicuit, atque Lugduni Institutionis nuncupatae *les Chartreux* Director hucusque renunciatus est.

Cathedralem Ecclesiam Guadalupen. seu Imae Telluris ex Antillis in America, vacan. per translationem R. P. D. Francisci Beniamini Iosephi Blanger ad sedem Lemovicensem, favore R. D. Friderici Henrici Oury Presbyteri dioeceseos Blesensis, ad nominationem perillustris Viri Iulii Grevy, Praesidis Reipublicae Gallicae. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in urbe, cui vulgo nomen *Vendôme* Blesensis dioeceseos progenitus et in tertio supra quadragesimum aetatis suae anno constitutus; sacro dudum auctus Presbyteratus ordine ad functiones ecclesiasticas peragendas sedulo incubuit. In paroecia dioecesis Cenomanensis Vicarium agens, Capellani navalis Gallicae Classis hucusque munere perfunctus est.

Cathedralem Ecclesiam Le-

Digitized by Google

GIONEN. vacan. per translationem R. P. D. Saturnini Fernandex de Castro ad Sedem Metropolitanam Burgensem, favore R. D. Francisci Xaverii Caminero et Muñoz, Presbyteri Palentinae Dioeceseos, ad presentationem Serenissimi Regis Catholici. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in loco, cui vulgo nomen *Cervatos de la Cueza* Palentinae Dioeceseos progenitus et in quinquagesimo quinto aetatis suae anno constitutus; in philosophia, et in sacra theologia dudum doctorali laurea donatus, et Archipresbyter ruralis in *Rioseco* suae dioecesis aliquando, inter socios Regalis Academiae pro scientiis moralibus et politicis adscitus est.

CATHEDRALEM ECCLESIAM LUCEN. vacan. per obitum bo. me. Iosephi de los Rios et Lamadrid, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. Fr. Gregorii Mariae Aguiire et Garcia, Seraphici Ordinis s. Francisci Ovetensis dioeceseos, ad praesentationem Serenissimi Regis Catholici. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in Villa nuncupata *de la Pola de Gordon*, Ovetensis dioeceseos, progenitus et quinquagesimum aetatis suae annum supergressus, inter Seraphici Ordinis s. Francisci alumnos adscitus, Presbyteratum et academicos suae religionis gradus assequutus, ad functiones ecclesiasticas obeundas, praesertim Dei verbum praedicando, sedulum impendit animum, atque in suo Ordine Rectoris, vel Custodis seu Guardiani munere perfunctus est.

CATHEDRALEM ECCLESIAM MEDELLEN. ditionis Statuum foederatorum Columbiae in America Meridionali, vacân. per obitum bo. me. Iosephi Ignatii Montoya, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Bernardi Herrera Restrepo, S. Fidei de Bogota, seu Neogranatensis. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Bogotae progenitus et in quadragesimo primo aetatis suae anno constitutus, penes Romanam universitatem sacrae theologiae laurea dudum donatus, Archidioecesano in seminario facultatis theologicae praelectiones tradens, eiusdem seminarii Rector, et patriae Metropolitanae Canonicus ad praesens usque renunciatus est.

CATHEDRALEM ECCLESIAM PORTUS VETERIS Aequatoriana in dictione, vacan. per dimissionem a R. P. D. Aloisio de Tola ultro, libenterque in manibus SANCTITATIS SUAE peractam, et ab EADEM admissam, favore R. D. Petri Schumacher e Congregatione Missionis, Presbyteri Coloniensis Archidioeceseos, ad praesentationem, vigore Indulti Apostolici, perillustris Viri Aequa-

Digitized by Google

torianae Reipublicae Praesidis. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in loco, cui vulgo nomen *Kerpen* Coloniensis Archidioeceseos progenitus et quadragesimum septimum aetatis suae annum supergressus, inter Socios Congregationis Missionis s. Vincentii a Paulo adnumeratus, ad ecclesiasticas obeundas functiones, sacras praesertim missiones tradendo, sedulum applicuit animum. Capellanum aliquando agens Chiliensi in urbe, maiori in seminario Quitensi sacrae theologiae, iurisque canonici Professoris munere perfunctus, Rector ibidem hucusque renunciatus est.

Cathedralem Ecclesiam de Queretaro in Mexicana Confoederatione, vacan. per obitum bo. me. Raymandi Camacho, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti; favore R. D. Raphaelis Camacho, Presbyteri Archidioeceseos de Guadalaxara. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in vico *Etzatlan* nuncupato Archidioeceseos de Guadalaxara progenitus, et in quinquagesimo nono aetatis suae anno constitutus; seminarii Rector, scholarum Praefectus, atque inibi Gubernator archidioecesanus, seu Vicarius generalis renunciatus, penes metropolitanam de Guadalaxara canonicali officio Poenitentiarii perfunctus est.

Titularem Ecclesiam Episcopalem Evarien. sub Archiepiscopo Damasceno vacan. per obitum bo. me. Thomae Raymundi Hyland, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Ioannis Nepomuceni Zobl, presbyteri Brixinensis dioeceseos. Qui etiam deputatus fuit in Auxiliarem R. P. D. Simonis Aichner. Antistitis Brixinensis. Ioannes Nepomucenus Zobl ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in pago, cui vulgo nomen *Schattwald* dioeceseos Brixinensis progenitus et sexegesimum tertium aetatis suae annum supergressus, Brixinensi in clericali seminario historiae ecclesiasticae ac Patrologiae Professor, et studiorum Praefectus constitutus, Examinator pro-Synodalis, Consiliarius ac Praeses iudicii matrimonialis, et ecclesiastici Assessor, Consiliarius quoque ecclesiasticus illa in episcopali Curia renunciatus est. Cathedralis Brixinensis Canonicus prius, illaque sede vacante, Vicarius Capitularis, et hactenus Vicarius in spiritualibus generalis pro Vorarlbergensi provincia electus, atque novissime ad dignitatem Scholastici ipsius Capituli Brixinensis evectus est.

Cathedralem Ecclesiam Jaren. seu s. Elisabeth in insulis Philippinis, vacan. per obitum bo. me. Mariani Cuartero et Medina, ultimi illius Episcopi, ex-

Digitized by Google

tra romanam curiam defuncti; favore R. P. Fr. Leandri Arruè a s. Nicolao Tolentinate, Presbyteri dioeceseos Tirasonensis et Ordinis Eremitarum Excalceatorum s. Augustini, ad praesentationem Serenissimi Regis Catholici. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in nova Bilbili (*Calatayud*) dioeceseos Tirasonensis progenitus et quadragesimum octavum aetatis suae annum supergressus, Philippinis in insulis animarum administrans curam, sui Ordinis Prior atque Provincialis renunciatus est.

Metropolitanam Ecclesiam Leopolien. ritus graeco-rutheni cum ei adnexo titulo Archiepiscopalis Ecclesiae Halicien. vacan. per translationem R. P. D. Iosephi Sembratowicz ad titularem Ecclesiam Archiepiscopalem Theodosiensem, favore R. P. D. Silvestri Sembratowicz titularis Episcopi Iuliopolitani, ad nominationem Sacrae Caesareae Maiestatis Francisci Iosephi I. Austriae Imperatoris, Bohemiae et Hungariae Regis Apostolici.

Metropolitanam Ecclesiam Leopolien. Latini ritus, vacan. per obitum bo. me. Francisci Xaverii Wierzchleyshi, ultimi illius Archipraesulis, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Severini Morawski, titularis Episcopi Trapezopolitani, ad nominationem Sacrae Caesareae Maiestatis Francisci Iosephi Primi, Austriae Imperatoris, Bohemiae et Hungariae Regis Apostolici.

Cathedralem Ecclesiam Dinien. vacan. per translationem R. P. D. Aloisii Iosephi, Mariae Angeli Vigne ad Metropolitanam Sedem Avenionensem, favore R. D. Francisci Alfridi Fleuri-Hottot, Presbyteri dioeceseos Versaliensis, ad nominationem perillustris Viri Iulii Grevy, Gallicae Reipublicae Praesidis. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in urbe vulgo nuncupata *Saint Germain en Laye* Versaliensis Dioeceseos progenitus et in quarto super quinquagesimum aetatis suae anno constitutus, plures per annos in paroeciali Ecclesia, cui vulgo nomen *Sèvres*, Versaliensis Dioecesis, animarum curam exercens, eiusdem dioeceseos Vicarius in spiritualibus generalis hucusque renunciatus est.

Per Breve autem Pontificium sequentes collatae fuerunt Ecclesiae:

Ecclesia Titularis Episcopalis Amathen. sub Patriarcha Hierosolimitano, vacan. per assignationem Tituli s. Anastasiae factam Emo ac Rmo Domino Carolo S. R. E. presbytero Cardinali Laurenzi, R. P. D. Francisco Cassetta, Presbytero Romano. Qui

Digitized by Google

ex legitimis, catholis, honestisque parentibus Romae progenitus ac tertium supra quadragesimum aetatis suae annum supergressus; Presbyteratus ordine ac tum in sacra theologia, tum in utroque iure dudum doctorali laurea donatus, Censor emeritus academiae theologicae atque liturgicae, Pontificalis Domus Antistes Urbanus renunciatus, ac tum a Consiliis sacrae Congregationis Christiano nomini propagando praepositae, tum a relationibus iudiciis recognoscendis constitutus est.

Ecclesia Archiepiscopalis titularis Pelusii R. P. D. Iosepho Sadoc Alemani, dimissionario Ecclesiae s. Francisci de California.

Ecclesia Archiepiscopalis titularis Tamiathen. R. P. D. Eugenio Lachat, e Congregatione pretiosissimi Sanguinis, dimissionario Ecclesiae Basileen.

Ecclesia Metropolitana Corcyren. R. P. D. Evangelistae Boni e Minoribus Capuccinis, translato a Sedibus unitis Zacynthien. et Cefalonien.

Ecclesia Cathedralis Chien. R. P. D. Fideli Abbati e Minoribus Reformatis, translato ex Ecclesia titulari Gerrhae.

Ecclesia Episcopalis titularis Troien. R. P. D. Moisi Ambervojan e Mechitharistis Viennae.

Ecclesia Episcopalis titularis Myriophiten. R. D. Ioanni Baptistae Sarthou e Congregatione Missionis, delegato in Vicarium Apostolicum Tche-ly in Sinis.

Ecclesia Episcopalis titularis Tamassii R. D. Petro Burgade, electo in Vicarium Apostolicum de Arizzona.

Ecclesia Episcopalis titularis Apollonien. R. D. Alphonso Glorieux, electo in Vicarium Apostolicum de Idaho.

Ecclesia Episcopalis titularis Tricomien. R. D. Nicolao Mariae Pagani e Societate Iesu, deputato in Vicarium Apostolicum e Mangalore.

Ecclesia Episcopalis titularis Ceramen. R. P. Stephano Reville, ex Ordine Eremitarum s. Augustini, deputato in coadiutorem cum futura successione Episcopi Sandhurstensis.

Ecclesia Episcopalis titularis Melii. R. D. Ioanni Butt, deputato in auxiliarem Episcopi Soutwarcensis.

Ecclesia Episcopalis titularis Phacusae R. D. Carolo Testa, vicario generali curiae Costantinopolitanae.

Ecclesia Episcopalis titularis Philippopolitan. sub Archiepiscopo Bostrensi, vacan. per obitum bo. me. Felicis Ridel, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, R. D. Iosepho Thomae de Mazarrasa, Presbytero Santanderiensis dioeceseos. Qui etiam deputatus fuit in Apostolicum administratorem Collegiatae Ecclesiae Civitatensis, *Ciudad Rodrigo* vulgo nuncupatae, et Cathedrali Salamantinae unitae.

Digitized by Google

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

IACIEN.

LEGITIMATIONIS

Die 9 Augusti 1884.

Per summaria precum.

Compendium facti. Iaciensis Antistes retulit S. C. Congregationi: Petrum Musmeci matrimonium clandestinum cum muliere suae Dioecesis inivisse; sed brevi inter eosdem turbatâ animorum concordiâ, virum a Curia Episcopali petiisse eiusmodi matrimonii nullitatis declarationem. Interea tamen temporis virum eumdem per *civilem contractum* Rosae Grasso sese iunxisse, a qua filiam suscepit; quae uti filia eorumdem illegitima baptizata fuit; Curiam episcopalem posterius pro validitate matrimonii tulisse sententiam. Verum vitâ functa muliere, concubinos a Sede apostolica expetitam obtinuisse dispensationem super impedimentum *criminis*, promanans ex adulterio, cum futuri matrimonii promissione: sed denegatam eisdem fuisse legitimationem filiae, susceptae ante mortem uxoris. Nunc autem hanc filiae legitimationem enixe efflagitare, quum legitimo copulentur vinculo. Preces Episcopus commendavit.

Disceptatio Synoptica.

Preces excipiendae videntur. Porro extra omnem dubitationis aleam positum est, quoscumque illegitimos natalibus in ecclesiastica societate restitui valere a Summo Pontifice, sicuti in civili societate a supremo eiusdem moderatore: Cap. *per venerabilem 13. Qui filii sint legitimi*. Explorata pariter est s. Sedis benignitas in huiusmodi gratiis indulgendis, ceu liquet tum ex tenore facultatum, quae, teste Reiffenstuel in tit. *Qui filii sint legitimi num. 55,*

Digitized by Google

hac quoque in re tribui solent praesertim Legatis Apostolicis; tum ex praxi ss. Tribunalium fori gratiosi, concedendi videlicet in eodem matrimonialium dispensationum contextu legitimationem prolis, antea procreatae; tum demum ex S. C. C. more legitimandi ad sacros Ordines et ad ecclesiastica beneficia ex foedo genitos commercio. Id innumera ostendunt exempla, sed brevitatis gratia unum tantummodo et alterum ex nuperrimis recoli potest. Ita enimvero in *Gratianopolitana 19 Ianuarii 1884* S. C. C. praefatam gratiam largita est cuidam Clerico ex coniugato et soluta procreato: ita pariter in *Zamoren. 14 Iunii 1884* eamdem gratiam consequutus est Iosephus Ayuso ex adulterina simul ac incestuosa progenitus unione, qui clericalem militiam amplecti cupiebat. (1)

Quibus ita se habentibus, preces in themate longe facilius S. C. C. benignitatem sibi conciliare videntur. Atque in primis cum de puellula agatur, quae nullo iure ordines recipere valet vel ecclesiastica beneficia consequi, eo ipso gratia coarctatur ad auferendum tantummodo illegitimitatis opprobrium, et eo ipso insuper evanescunt difficultates, quae in casu legitimationis ad sacros ordines et ad ecclesiastica beneficia passim afferri solent. Si quae superessent difficultates, evanescere itidem videntur ex eo quod inter praefatae puellulae parentes verum ac legitimum matrimonium modo consistat. Hoc enim posito, expetita legitimatio aequior ac rationabilior evadit, retrotrahendo videlicet iuridicum matrimonii effectum ad tempus, quo puellula genita est, sicuti iuris ministerio fit quando parentes, tempore illegitimae procreationis, habiles erant ad nuptias contrahendas.

Pro gratiae concessione militat praeterea bonum puellulae, quae secus, ex parentum iniquitate, illegitimitatis opprobrium perpetuo ferre deberet: militat favorabile Episcopi votum, quod a S. C. C. magno in pretio iugiter haberi solet: militat tandem s. Sedis benignitas, quam puel-

(1) *Gratianopolitana* prostat relata Vol. XVI, 461, *Zamoren.* vero hoc Vol. XVII, 203.

Digitized by Google

lulae parentes iam experti sunt per consequutionem dispensationis ab impedimentis provenientibus ex crimine et ex quarto consanguinitatis gradu, tertium attingente.

Preces respuendae videntur. Verumtamen adeo turpis videtur praefatae puellulae origo, ut parum vel nihil proficiant rationum momenta superius allata. In casu enim non habetur solummodo incestuosum atque adulterinum contubernium, sed insuper huiusmodi contubernium initum fuisse sub data matrimonii fide, imo et celebratione actus, qui vulgo dicitur matrimonium civile, interveniente. Porro neminem latet S. M. Ecclesiam odio semper habuisse nedum civilem pseudo-matrimonii ritum, qui nonnisi debitis cautelis et conditionibus permittitur ad gravissima mala vitanda; sed insuper detestatam iugiter fuisse, ut, qui legitimo matrimonio iuncti sunt, adulterinos amores foverent sub data futuri matrimonii fide. Mirum proinde non est, quod expetitam legitimationem puellulae in praefato contubernio conceptae atque susceptae consequi haud potuerint istius parentes una cum dispensatione ab impedimentis consanguinitatis et criminis. Et cum in hodiernis precibus nihil novi adductum sit, nulla ratio superesse videtur, qua recedendum sit a priori legitimationis denegatione.

Hisce praehabitis, quaesitum est quomodo oratorum preces essent dimittendae.

Resolutio. Sacra C. Concilii, re cognitâ sub die 9 Augusti 1884, censuit respondere: *Lectum* (1).

FLORENTINA

REDUCTIONIS PENSIONIS

Die 9 Augusti 1884.

Compendium facti. Quamquam adhuc in florenti aetate sacerdos Arrighetti parochus loci *Monteripaldi*, tamen ob morbi gravitatem, quo afflictabatur, anno 1878 ex medicorum

(1) Idest preces lectae fuerunt, sed non exauditae.

Digitized by Google

consilio paroeciam resignavit, petens ab Apostolica Sede sibi reservari pensionem 500 libellarum de paroeciae reditibus. Archiepiscopus preces commendans adiecit, redditus illius paroeciae summam pertingere libell. 2080, impletis oneribus, et sine incertis. Quibus auditis R. Pontifex pensionem expetitam concessit.

Ad vacantem vero paroeciam gubernandam electus fuit sacerdos Benelli, qui imposito oneri per aliquot annos ultro satisfecit. Dein vero se gravatum putans anno 1882 petiit, ut pensio illa ad aequam reduceretur summam; idque eo fortius quia Arrighetti iam convalescere incoepisset, et aliquod emolumentum iam perciperet a suscepto nuper officio.

Super his precibus Archipraesul rogatus rescripsit: computationem redituum dictae paroeciae in libellis 2080 nimiam profecto fuisse, ideoque sibi aequum videri ut petitio sacerdotis Benelli pro reductione excipiatur. Retulit insuper, presbyterum Arrighetti aliquo fungi officio apud Conventum Monialium illius Dioecesis.

Tunc petita et obtenta fuit a SSmo facultas *de aperitionis oris arbitrio adversus rescriptum diei 27 Maii 1878* ut plenis comitiis quaestio disceptari posset. (1)

Disceptatio synoptica

Defensio presbyteri Arrighetti. Huius patronus quoad primum dubium paucis sese expedivit aiens, pensionem concessam fuisse a S. Congregatione Concilii, ast numquam intrare arbitrium pro aperitione oris, nisi actor evidenter ostendat, reum vera occultasse, vel falsum asseruisse in substantialibus, in iis scilicet quae disponentis mentem in unam, potius vel alteram sententiam inducere debuerunt; – Rota *in Tiburtina iur. nominandi sup. aper. or. 8 Febr. 1830 §. 3 coram Bofondi; in Centumcellarum*

(1) Advocati partium haud convenerunt in concinnatione dubiorum; quia patronus parochi Benelli urgebat quaestionem usque ad pensionis extinctionem, patronus vero Arrighetti mordicus obsistebat. Hinc ex officio dubia concinnata fuerunt super pensionis reductione, ceu primo petiit parochus Benelli.

Digitized by Google

immissionis sup. aperit. oris 18 april. 1842 §. 4 cor. Marini; in Romana aperit. oris 3 decem. 1841 §. 3 cor. De Silvestri etc. – Quod magni ponderis in casu esse ait quoad probationem. Quippe nil aliud actor Benelli exhibere potuit, quam quae ipse asseruit: et nonnullas peritorum relationes parochialibus libris appositas, quas sibi ipse comparavit. Arrighetti contra tum praesumptioni iuris inniti, ait, tum rescripti validitati, tum Florentinae Curiae decreto, quae cuncta vidit atque inspexit antequam ei pensionem tribueret.

Hisce praemissis prosecutus est patronus: non Ecclesiae tantum, sed humanitatis et charitatis leges prohibent ne parochus qui diligenter ac studiose officio suo functus est, si in adversam valetudinem incidat, in egestatem coniici possit. Hoc discrimen Ecclesia avertere voluit, ac propterea statuit – « Neque resignatio admittatur, nisi constito quod » aliunde vivere *commode* possit: et aliter facta resignatio » nulla sit; » *Trident. Cap. II sess. 21 de Ref.* Scilicet parochus qui necessitate suadente, beneficium suum resignat, vel alii paroeciae praeponi debet, vel saltem beneficium obtinere *aequivalentis valoris; s. Pius V. in constit. Quanta Ecclesia; Parisii de resign. benef. lib. 6 q. 2 §. 1. 2; S. C. Concilii in Lancianen. 9 februarii 1726.* –

Hoc semper doctores tradiderunt et in iudiciis confirmatum fuit, per S. C. C. praeter alias quamplurimas, in quaestione *Herbipolen. parochialis 22 Decembris 1860 etc.* Unde fit ut huiusmodi pensio beneficii loco succedat; *Parisii de resign. benef. lib. 6 qu. 2 num. 12.* Praeterea qui post huiusmodi assignationem in paroecia regenda succedit et beneficium pensione gravatum *accepto habet*, pensionem ipsam omnino solvere debet, quia acceptatio quasi contractui aequiparatur.

Duo tamen opposuit parochus Benelli scilicet: 1. quod concessa est pensio – *dummodo eam ecclesiae reditus perferre valeant* – atque hodie, ait, perferre non valent. 2. quod parochus Arrighetti ius ad pensionem amisit, quia haec illi

Digitized by Google

tributa fuit – *donec aliter non provideatur* – atque hodie provisum dicit. Et quoad reditus ecclesiae, hos parochus Benelli 1109 libellas non excedere dixit. Quod ut assequeretur, suum quemdam cognitorem adivit, qui retulit paroeciae praedium vix reditum parere libellarum 540, ac reditus universos vix 1109 libellas attingere. Mox vero maiora molitus est parochus, ac, licet haec docuisset peritus quem sibi ipse elegerat, novam tamen synopsim introitus et exitus sua manu exaratam in medium attulit. In hac expensas 1284 libellarum summam attingere tradidit: paroeciam incertis emolumentis omnino deficere: reditus igitur deductis expensis vix ad libellas 943 esse computandos.

Hic primo illud occurrit, Benellio non licere contra iudicium cognitoris *a se electi* insurgere. Atqui si huic fides adhibenda esset, integram pensionem solvere deberet parochus Benelli quia – *si parochialis valeat ultra centum ducatos, pensio constitui solet pro quantitate quae excedit dictam summam – Parisii loc. cit. num. 24.* – Ille enim, pensione soluta, 609 libellas sive centum et quinquaginta ducatos sibi adhuc haberet.

Sed ne cognitori quidem fides haberi potest: nam Archiepiscopus ipse qui nuper censuit reductionem pensionis faciendam esse ait, tamen summam redituum exhibitam a cognitore parochi exageratam esse.

Quoad emolumenta incerta animadversum fuit quod ipse Antistes falsi Benellium redarguit; dum ex libris parochialibus constet, eamdem in singulis annis attingere libellas ducentas. Liquet ideo falsum asseruisse Benelli quoad Ecclesiae reditus, ceu falsum asseruit in expensis enucleandis, quas 1284 libellas quotannis attingere asseruit. Atque addidit etiam multos esse sumptus instaurationis quam hodie necessitas requirit. Haec forsan dicere potuisset orator Arrighetti cum ad paroeciam regendam adlectus est. Ille enim plurimas instaurationes perfecit, sacra supellectilia comparavit, atque omnia sarta tecta parocho successori suo tradidit. Ex

Digitized by Google

quo conclusit tot hodie ac tantas expensas adesse improbabile prorsus videri.

Fac etiam ex negligenti bonorum gestione ecclesiae reditus esse imminutos. Sed primo adeo profecto imminuti esse non possunt ut 1131 libellae hodie deficiant. Praeterea, si parochus Benelli paroeciae res male gessit, sibi imputet: aequum enim non esset onus culpae suae innocentibus imponere. Ceterum praesumi omnino non potest Florentinam Curiam pensionem parocho inconsulto tribuisse: imo vero ex ipsius decreto percipitur, eam omnia diligenter inspexisse, parochiales libros vidisse, reditus et expensas enucleasse. Haec omnia falsa esse ostendat oportet parochus Benelli antequam reductionem petat: quia res nullo modo probatas asserere, vel peritias ostendere ad opportunitatem confectas, nihil aliud est quam lucri studium profiteri, non veritatem.

Ulterius progressus orator, ait: Benelli meminit quod pensio est solvenda donec aliter non provideatur pensionatus. Quum vero hodie pensionatus hic Capellanum agat monialium, et pensione fruatur, quam ei fiscus saecularis solvit ob beneficium s. Clementis, ideo pensio de qua lis est, non est amplius solvenda.

Contrariae huic animadversioni respondit orator Arrighetti, quod moniales nil aliud ei praebent quam habitationem et huiusmodi victum qui ad illius valetudinem non convenit. *Stipendium* vero *nullum* praebent, ne illud quidem quod eleemosynae titulo, pro missarum celebratione tribui solet. Quoad vero beneficium s. Clementis a fisco suppressum, ait, quod deductis missarum oneribus, libellae 23 tantum supersunt pro rectore.

Tametsi proinde hactenus se disputasse, ait orator, ac si vere beneficio frueretur: sed reapse non fruitur. Redditus enim, qui antea maiores erant, anno 1870 definiti sunt libellis 138. Sed paulo post fiscus solutionem denegavit. Mox demum, hoc scilicet anno, pensio illi iterum addicta fuit, habitu tamen, non actu, quia usque ad hodiernam diem ne una quidem libella parocho soluta est.

Digitized by Google

Haec omnia iustitiam attinent. Sed aequitas etiam et charitas attendi debent. Parochus Benelli regendam ab initio paroeciam suscepit, cum emolumentis et oneribus quae invenit, quae percepit ac percipit. Hodie vero emolumentis frui, onera dimittere vellet. Orator contra vitam suam ecclesiae dicavit: paroeciam in meliorem statum adduxit: instauravit ac sacra supellectili ditavit. Quae omnia in pretio profecto habenda sunt.

Ac frustra obiici ait de reductione tantum disputari. Pensio enim 500 libellas attingit, quae ad praecipuas vitae necessitates aegre sufficiunt. Tametsi longe alia mens Ecclesiae fuit, quae statuit aegrotanti parocho pensionem vel beneficium esse tribuendum aequivalentis valoris. *S. C. Concilii in Herbipolen. parochialis 22 Decembris 1860; in Limburgen. permutationis paroeciae 27 iunii et 19 decembris 1857 etc.*

Defensio parochi Benelli. Paucis praemissis (1) advocatus, ait, rescriptum diei 27 Maii 1878 esse subreptitium et obreptitium; quia Ordinarius retulit summo Pontifici paroeciam habere libellas 2080 praeter incerta emolumenta, quod omnino falsum est. Et re quidem vera, iuxta depositionem parochi Benelli, introitus paroeciae *Monteripaldi* conficeret summam lib. 2218; exitus conscenderet ad summam lib. 1284; unde nil aliud parocho reliquum foret quam lib. 943, ex quibus, si pensio detrahenda esset, residuae non haberentur nisi lib. 443.

Ad eamdem conclusionem esset deveniendum si consulatur supputatio rationum quam Peritus a Curia deputatus sub iuramenti fide confecit. Siquidem, iuxta ipsum, praedium, quod est pars praecipua bonorum immobilium paroeciae *Monteripaldi*, daret annuas libellas 807; quae rediguntur ad 512, detractis oneribus. Cui summae si cumulentur re-

(1) Doluit praeprimis orator de modo, quo alterum dubium ex officio concinnatum fuerit. Nam, ait ille, *ampliare* et *variare* licet supplicem libellum ante litis contestationem: et ideo ampliando primam instantiam, licebat quaestionem agere de cessatione pensionis potius quam de eiusdem reductione. Litis contestatio fit quando advocati conveniunt coram Auditore ad efformanda dubia.

Digitized by Google

ditus provenientes a publico debito, ab affrancatione cuiusdam annuae praestationis a Florentino municipio, et a quodam *luogo di monte,* detracta unice taxa *di ricchezza mobile,* summa totalis redituum attingeret lib. 2079. Verumtamen iuxta eumdem peritum huiusmodi proventus pluribus oneribus gravarentur, quae conficerent exitum lib. 969, et relinquerent liberum proventum lib. 1109. Sed animadvertit, idem peritus a patrono citatus, in hac summa non includi quasdam praestationes, ex quibus efformaretur summa lib. 396 a proventibus paroeciae adhuc detrahenda.

Hisce omnibus relatis, ad rem Patronus observavit, in themate tres dari peritias: 1m adversarii qui omnes redditus, depuratos quoque a pensione, dicit conscendere ad summam lib. 1472: 2m parochi Benelli qui affirmavit reditus depuratos attingere tantummodo libellas 443: 3m vero Periti, qui statuit reditus liberos esse lib. 1109, et si subtrahendae adhuc sint lib. 396, quae insumuntur propter emolumenta et distributiones quasdam, iam reditus descenderent ad libellas 713.

Porro haec supputatio utpote facta a viro perito, iudicialiter et ex mandato s. C. C., necnon sub iurisiurandi vinculo; quae insuper media incedit inter duas adversariorum, maximam meretur fidem. Imo iuxta Fierlio *in theoria Saliceti in l. 2 Cod. De rescind. vendit.* « irretractabilis » est, nec datur locus *Peritiori* quoties non affertur nec » afferri potest clara et evidens iniustitia vel saltem gravis » iniustitiae fumus. » Porro si reditus liberi paroeciae *Monteripaldi* sunt constabiliendi in lib. 713, iam falsum evidenter est id quod S. Pontifici relatum fuit anno 1878; ampliati enim tunc fuissent reditus praeter veritatem; ac proinde preces illae *obreptionis* essent redarguendae.

Sed et *subreptionis*. Observavit enim Patronus, S. P. Pium VI in concordato anni 1775 cum Leopoldo Tusciae Magno Duce pactum esse, se, binis factis tantummodo exceptionibus, pensiones in Ducatus paroecias minime fore impositurum. Et addit idem Patronus, non constare, sibi

Digitized by Google

saltem, hasce Apostolicas litteras fuisse adhuc revocatas. Sed tunc, ut pensiones valide imponantur, et ut evitetur subreptio, duo necessario requiri, videlicet sive in precibus sive in Pontificio Rescripto mentionem fieri de Concordato anni 1775. Atqui parochus Arrighetti et florentinus Praesul in suis precibus de hac re omnino siluerunt. Imo et Pontificium Rescriptum huius rei non meminit. Itaque subreptio in themate, ut ait patronus, luce meridiana clarior apparet.

Neque regerere iuvat, S. Pontificem Concordati existentiam cognovisse; et tamen huic derogare voluisse: siquidem, ut habet Reiffenstuel *de rescript. n. 200.* « rescriptum » quodcumque gratiae vel ad beneficia impetratum contra » consuetudinem sive statutum particulare cuiuspiam Eccle- » siae, seu loci non valet, nisi fiat mentio eiusdem saltem » per clausulam generalem derogatoriam etc. »

Ad alia gradum faciens orator evincere studuit sacerdotem Arrighetti satis superque esse provisum. Ex capellania s. Clementis annuas libellas 158 consequitur, quas ipse constanter percepit ex quo tempore paroeciam dimisit. Victum et habitationem habet apud quasdam moniales dictas *de Spiritu Sancto.* Operam suam praebet parocho loci in quo moratur, a quo aliquid emolumenti, tercentarum saltem libellarum iuxta taxam Pianam, equidem obtenturus erit praeter Missam quotidianam, ex qua aliquod habebit subsidium.

Qua de re concludere necesse est, ait Patronus, ut Pensio statuta favore sacerdotis Arrighetti aut tollatur, aut saltem ad aequiorem summam reducatur. Ea enim constituta fuit cum hac clausula *donec aliter sacerdos Arrighetti provideatur.* Tandem sustinuit orator, pensione 500 libellarum gravari non posse paroeciam illam; quia pensio debet esse moderata praecipue quoad paroecias; Schmalzgrueber *lib. 3 Decret. tit. 12 n. 3.* Imo ex sententia eiusdem Schmalzgrueber *cit. loc.* cum pensio tertiam partem redituum excedere non debeat, *alias si excesserit, iusta non censebitur;* iam et iniusta dicenda foret pensio 500 libellarum imposita

Digitized by Google

super paroecia Monteripaldi, quae iuxta periti computationem depuratos reditus habet in libellis 713 solummodo.

Sed praeterea recolendum est, ait patronus, parochialia beneficia iuxta Concilium Tridentinum pensionibus onerari non posse nisi saltem 100 scutata pro parocho sint salva. Quae cum ita sint, et cum hodie, contra id quod accidebat tempore Tridentini Concilii, 100 scuta honestae parochi sustentationi aegre sufficiant, eo quod pecuniae valor imminutus est prae rerum pretio; iam praefata summa 713 libellarum parocho loci *Monteripaldi* libera relinquenda esse videtur. Quod si dicatur, in summa 713 libellarum incerta computata non esse, respondet Patronus cum Schmalzgrueber iam *cit. n. 17:* « Non censetur pensio imposita super reditibus incertis, nisi id exprimatur. »

Itaque conclusit vel pensio tollenda est, vel reducenda ad lib. 71. Haec enim, iuxta patronum, constituerent tertiam partem redituum liberorum ex integra summa 713 libellarum; attento videlicet quod ex hac summa detrahi deberent 100 scutata.

Quibus aliisque praenotatis proposita fuerunt enodanda

Dubia.

I. *An intret arbitrium aperitionis oris in casu.*

II. *An et quomodo sit locus reductioni pensionis in casu.*

Resolutio. Sacra C. Concilii, re cognitâ, sub die 9 Augusti 1884 censuit respondere: – *Ad I Negative. Ad II Affirmative pro rata redituum beneficii, realiter a beneficiato percipiendorum.*

Ex quibus colliges. I. Pensiones, praecipue quoad paroecias, tum ex Tridentino, tum ex Decreto *Cum nuperrimis* ita imponendas esse, ut salva maneat parocho congrua 100 scutatorum.

II. Ex canonistis si pensio superet tertiam redituum partem, *iusta non censebitur.*

Digitized by Google

III. In themate pensio libellarum 500 videtur hos excessisse limites; ideo Emis Iudicibus visa est reducenda pro rata redituum quos *realiter* parochus a paroecia retrahit iuxta peritiam a perito factam sub iuramenti fide (1).

MONTISALTI

REMOTIONIS NIHIL TRANSEAT SEU APERITIONIS ORIS

Die 6 Septembris 1884.

Compendium facti. Antistes cupiens animarum bono consulere, petiit ab Apostolica Sede, ut Archipresbytero infirmo, absque convalescendi spe, aliquis constitueretur coadiutor cum iure successionis. Et uti talem designavit sacerdotem Antonium, qui ab aliquot mensibus illius vicarium agebat; et orabat ut ipse nominaretur absque concursu, post approbationem in privato examine dandam, et cum pensione 500 libellarum ex beneficii reditu. SSmus autem in audientia diei 11 Februarii 1884 « *Episcopi oratoris precibus benigne indulsit, iuxta petita, per literas Apostolicas sub plumbo* etc. » Sed dum apostolica Dataria in expedienda Bulla moras nectebat, accusationes plures apud S. C. C. delatae sunt contra sacerdotem Antonium, quibus ille paroecia indignus tum scientiae, tum indolis, tum vitae ratione renunciabatur; eique tamen Curia favere dicebatur.

Tunc cuidam Praesuli ex fiduciario mandato commissum fuit, ut accuratissimas informationes sumeret de vita ac moribus praefati sacerdotis; et quum brevi illius responsio sacerdoti eidem certe favorabilis pervenisset, quaelibet difficultas explanata esse videbatur. Sed non ita: quia die 12 Maii advocatus quidam Romanae Curiae, cuiusnam mandato ex actis non constat, allegans epistolam Vicarii generalis bononiensis in qua sacerdos Antonius turpium accusabatur,

(1) Confer Vol. XVI, pag. 27, Vol. XV, pag. 456, Vol. XIV, 20, 239.

Digitized by Google

nihil transeat provocavit in Apostolica Dataria super provisione Coadiutoriae. (1)

Re SSmo significata, ipse die 23 Iunii ad S. C. C. dignatus est quaestionem diiudicandam remittere « *cum omnibus facultatibus necessariis et opportunis, et cum clausula de aperitionis oris arbitrio, adversus rescriptum diei 11 Februarii 1884.* »

Disceptatio Synoptica.

Quae stant adversus sacerdotem Antonium. Tum quoad mores, tum quoad scientiam talia relata fuerunt, quae si ad literam essent accipienda, nemo profecto inficias iret, sacerdotem Antonium pastorali ministerio indignum existere. Siquidem in eligendis ad dignitates et ecclesiastica officia requiritur sufficiens scientia, mensuranda iuxta qualitatem officii et beneficii; Fagnanus in c. *Cum in cunctis n. 144;* Garcias *part. 7 De benefic. c. 7 num. 43;* Engel *tit. de aetat. et qualit. praef.;* praesertim vero *Constitutio* Alexandri III in Lateranensi, quae incipit *Quia nonnulli,* et alia Gregorii X in Lugdunensi Concilio, quae incipit *Licet canon;* utraque innovata et confirmata in *cap. 3 sess. 7 de reform.* C. Tridentini. Et cum parochorum sit praedicare, sacra eloquia et salutis monita explanare, pueros fidei rudimenta docere – *sess. 5 de reform. c. 2; et sess. 24 de reform. c. 4* – atque ipsorum etiam sit vim et usum Sacramentorum explicare, eademque fidelibus suis administrare – *sess. 23 de reform. c. 1.* – iam ad tam sublime ministerium is capax aut dignus non censebitur qui rudis adeo sit ingenii, ut ipsa morali scientia ieiunus existat, prout ex allegatis testimoniis asseritur esse Sacerdos Antonius.

Haec de doctrina: de moribus autem deteriora sunt quae

(1) Sciendum est quod iste Sacerdos, permissu sui Episcopi functus fuit munere capellani Curati in Dioecesi Bononiensi. Accusatus de turpi scandalo, in Dioecesim Adriensem se contulit, ubi pluribus parochis successive in pastorali ministerio subsidiarias opes praestitit. Denique in Dioecesim propriam revocatus, in vicarium infirmi Archipresbyteri deputatus fuit.

Digitized by Google

allegata fuerunt a pluribus testibus. Sed effrons, et tamen ceteris certius, est crimen scandali eidem impacti anno 1871; nec non probati per depositiones quatuor testium. Itaque dubitari non posse videtur et de existentia scandali, et de eius auctore. Etenim duo testes idonei et concordes plenam semper in iudicio fidem faciunt, praeter quam in casu exceptionali, qui non verificatur in themate. DD. ad tit. *de test. et attest. 31, L. 2 Decret.* Observandum ulterius est, non modo pro utraque attestatione, delicti nempe et rei, binos concordes testes haberi; sed etiam omnium depositiones se mutuo iuvare; quo in casu depositiones dicuntur esse *cumulativae* seu *adminiculativae,* et firmioris fiunt auctoritatis, ceu habet Vecchiotti, *vol. 2 cap.* III, §. 39.

Discedens at vero Sacerdos Antonius a Bononiensi dioecesi et in Adriensem se recipiens rectius haud egit, si standum sit epistolae Vicarii generalis adriensis datae, ceu videtur, Canonico M. die 24 Aprilis 1884 et ad S. C. C. demum transmissae. Neque demum meliorem vitam duxisse ipse videtur in dioecesi Montisalti, ubi etiam de turpibus criminatus est, sive demum ea commiserit antequam Bononiam proficisceretur, sive posterius in aliquo momentaneo regressu.

Itaque ex hisce omnibus concludendum forsitan foret, sacerdotem Antonium moribus corruptum esse, imo, quod peius est, habitum quoque delinquendi induisse, cum absque emendatione, per plures annos, usque modo, tristia ubique turpitudinum reliquisse exempla dicatur.

Iamvero cohaerenter ad haec ratiocinantes, quaenam habeatur conclusio facile quisque intelligit. Siquidem animarum pastorem oportet sine crimine esse, irreprehensibilem esse, et testimonium habere bonum ab iis qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat, iuxta Apostoli verba. Et Ecclesia sedulam semper navavit operam, ut de sanctis pastoribus grex fidelium provideretur, ceu innumerae leges propter hoc ab ea latae testantur *tit. 5, 11, 12, et 14 lib. 1 Decret. et DD. ibi,* et praesertim lex concursus pro paroe-

Digitized by Google

ciis statuta. Et solerti vigilantia constanter curavit, ne indignis scientiâ, aut moribus aditus ad dignitates pateret, aut pastoralia munera committerentur. Adeo ut principii instar habeatur regula a Gregorio X tradita in Conc. Lugdunensi Const. *Licet canon.:* « Nullum ad regimen parochialis Ec- » clesiae assumatur, nisi sit idoneus moribus, scientiâ et » aetate: » quam regulam ampliavit C. Trid. in *c. 3 sess. VII* adiiciens: « *Aliter autem facta collatio sive provisio omni-* » *no irritetur.* » Itaque iuxta haec cunctandum non esse videretur in nominatione sacerdotis Antonii infirmanda.

Neque opponi verosimiliter potest, in themate intercessisse r. Pontificis rescriptum. Nihil enim certius et vulgatius in iure est quam hoc, ut adversus summi Principis rescriptum tum aperitionis oris locus quippe fiat, cum aliquid omittatur vel reticeatur, quo cognito, Princeps vel nullo modo vel difficilius rescriptum concessisset *cap. 19 et 20 De Rescriptis*, Gonzalez *in haec loca*, s. Rota in *Terracinen. seu Setina Aperit. oris 12 Ianuarii 1819 coram Odescalchi* §. *3*. Neque refert si ex ignorantia vel ex fraude aliquis falsum insinuaverit vel verum reticuerit. S. Rota *Decis. 496 num. 2 et 3 coram Riminaldo.* Sufficit enim quod obreptio vel subreptio incidat in causam substantialem seu motivam rescripti, ut habent DD. ad *tit. De rescriptis cit.*

Atqui in themate SSmo insinuatum est sacerdotem Antonium dignum esse paroeciâ, dum hoc iuxta allegata testimonia falsum esse videtur: et haec falsa insinuatio cadit in causam substantialem seu motivam rescripti: ut facile cuique patet. Nil igitur vetare videtur quominus arbitrium Aperitionis oris admittatur contra Pontificium rescriptum diei 11 Februarii 1884, et subsequenter etiam provisio praefati sacerdotis irritetur.

Quae favent sacerdoti Antonio. Altera sed vero ex parte eiusmodi sunt documenta quae vitam, mores ac doctrinam huius sacerdotis commendant, ut testimonia, ex adverso allata, propemodum elidi et quacumque auctoritate

Digitized by Google

destitui viderentur. Si enim de scientia fiat sermo, Ordinarius Montisalti testatur, sacerdotem hunc cursum Theologiae dogmaticae et moralis *cum laude* absolvisse; ceu etiam innuunt testimonia professorum, in archivio existentia, et exhibita quoties ad sacros ordines promotus fuit sacerdos ille.

Quinimo in examinibus eiusmodi votorum pluralitatem semper obtinuit. Rector insuper Seminarii amplis commendavit verbis Vicario capitulari bononiensi eumdem Sacerdotem Bononiam proficiscentem aiens: satis illum profecisse quum studio incumberet theologiae morali et dogmaticae, optimis vero uti moribus et aliis exemplo fuisse. Interea in puncto scientiae ulterius recolere iuvabit sacerdotem Antonium in aliis quoque disciplinis versatum videri: et ita per aliquot annos Coeremoniarii munus in Cathedrali Montisalti obiisse, ac posterius latinam grammaticam in Seminario oppidi *Cento* docuisse. Et observari debet quod magisterium non furtim aut pro suo lubitu suscepit, sed praevio examine et quia vocatus ab Ordinario bononiensi.

Quae cum ita sint, iam minimi faciendae viderentur attestationes contrariae. Si enim aliquis examinator eum semel insufficientem invenerit, uti relatum fuit, hoc asseritur de actu, sed non evincit de habitu ac capacitate. Si autem aliqui eum contemptui habuerunt, iam iuxta dicta pluribus in honore fuit, quorum testimonium apprime praeferendum videtur, quia universalius est, innititur et cohaeret factis, ac tandem non est suspectum, ceu forsan testimonium adversariorum, ut infra dicetur.

Quoad eius vitam et mores tria eius favore constitui posse videntur: 1. crimina quibus insimulatur esse iamdiu praeterita; 2. calumniosa magis videri quam vera: 3. utcumque vera, ex pluribus iam annis laudabilem ac omnibus probatam vitam duxisse.

Porro primum facile expediri posse videtur. Etenim crimen scandali in oppido *Cento* commissum praevertit annum 1871. Conatus seductionis erga puellam L. patratus

Digitized by Google

fuisset ante 8, aut 10, aut etiam 15 annos iuxta varias depositiones. Conatus erga Euphrasiam ascenderet ad decem annos ante. Relatio cum Di Stefano, quae vile scortum erat si tamen vera est, antiqua esse oportet, cum haec mulier iamdiu Firmum petierit.

Porro, aequitate ipsa suadente, sacerdos Antonius puniri non deberet propter haec peccata iamdiu commissa, constito praesertim quod eorum se vere poenituerit, atque emendaverit: nemo enim « *in eo debet despici quod fuit, quia iam incipit esse quod non fuit* » iuxta *can. Ferrum dist. 50.* Et poena quidem esset remotio a consequutione beneficii, iuxta Gratianum in *4 dist. 25 num. 1* – ibi – « Poena canonica est. . . quae prohibet vel arcet punitum » ab aliquo gradu ecclesiastico, qui alias sibi liceret. » Ceterum canones qui a paroeciis et dignitatibus arcendos esse iubent indignos, numquam inter tales recensuerunt, qui cum semel peccaverint, deinde satis superque per plures annos conversionis exhibuerint argumenta – intellige quidem, nisi infamiam aut huiusmodi incurrerint; quod in themate procul dubio non evenit – Ferraris *v. electio* §. *3 per totum.*

Sed ulterius ista ipsa crimina calumniose sacerdoti eidem impacta videntur ceu evictum fuit revocando ad exactam trutinam unumquodque crimen cum adiunctis, et testimoniis quibus exhibitum fuit. Insuper inter aliquos testes et Sacerdotem Antonium simultates extabant; hinc iam suspecta efficitur horum contra illum facta depositio. Siquidem in causis criminalibus quaelibet inimicitia, etiam levis, testem repellit « ne iratus nocere cupiat vel laesus se ulcisci velit, » ut legitur in *can. Accusatores et testes 3 q. 5* – vel ei de fide tantum diminuitur, quantum patitur qualitas inimicitiae, uti habet Farinacius *q. 53 n. 53 tit. VII de testib.* et cum eo DD. communiter.

Animadversum quoque fuit mendaces deprehendi nonnullos testes: retulerunt enim, inter alia, Antonium officium parochiale reliquisse cum plausu plebis, quando factus fuit magister. Ast contrarium eruitur ex parochi attesta-

Digitized by Google

tione, qui asseruit Sacerdotem illum integram duxisse vitam, qualem decet Sacerdotis esse; ita ut relinqueret desiderium sui in omnibus paroecianis, quibus iugi cura sacramenta ministravit, et ministrare prosecutus est rediens interdum a proxima Civitate ubi grammaticam docebat. Et concinit parochus loci *Stienta* in literis diei 5 Iunii 1884. Quum vero accusantes sacerdotem Antonium videantur mentiti esse aliquando in eius damnum; exurgit quod convictus de mendacio non amplius auditur iuxta *l. quoties 21 §. fin. ff. de noxali.*

Quoad turpia, quorum criminatus fuit a Sacerdote M. observatum fuit praeprimis quod tamquam suspectus traduci posset accusator. Omisso enim quod eius vita iuxta Episcopum spectabilis plurimum non sit; meminisse iuvabit eum a vice fungenda Archipresbyteri remotum fuisse, et in eius locum subrogatum vidisse accusatum, cum bonorum quidem plausu, sed cum maxima eius offensione; amabat enim et honorem et bona beneficii cum spe successionis sibi servare: pronum igitur erat ut huic sacerdoti penitus adversaretur.

Ceterum ex ipso processu, hac de re in Curia Montisalti exarato, satis superque constare videretur, magis calumniandi animo, quam veritatis ac iustitiae amore accusationes fuisse irrogatas. Etenim si generaliter quaeratur quomodo accusator ea crimina agnoverit, et cuiusnam impulsu ea intulerit, sub iuramenti fide respondit, se omnia a Primicerio scivisse et ad eumdem remittere probationem.

Quoad alia facta turpia tales fuerunt depositiones, ut haberetur contrarietas testium de eodem actu deponentium, seu repugnantia in eorum dictis, videlicet singularitas testium obstativa. Talis autem nihil probat ut docet factum Danielis XIII. 1. *seqq. et lib.*, et habet Reiffenstuel in *L. 2 Decret. tit. 20 §. IX.*

Itaque criminatio in themate calumnia videretur: qui enim accusat alterum de crimine quod probare non potest, calumniator praesumitur *tit. De calumniat. c. 2;* nam qui alium denuntiare vult, debet paratas habere probationes *L.*

Digitized by Google

Qui accusare c. De edendo: hinc si in probatione deficit, falso et dolose et sic calumniose litem movisse censetur - Glossa in *cit. cap.*

Tertio denique loco, verum ne sit, an non sacerdotem Antonium patravisse praefata crimina, quod quidem controversiae punctum modo omitti etiam posset, id saltem certum videretur, istum sacerdotem, ex pluribus iam annis indubia honestae vitae dedisse argumenta, ceu plurium fide dignorum suffragia testantur. Nam Syndici locorum diversorum in quibus Antonius munere vice parochi functus est, et parochi omnes amplissimis verbis loquuti sunt de laudabili vitae genere deque honestis huius Sacerdotis moribus.

Quoad attestationes Vicarii generalis adriensis et Parochi Fortini, animadversum fuit eos allegatos fuisse a canonico M. et a Sacerdote L. adversariis sacerdotis Antonii. Et ideo documenta ab eisdem prolata suspecta fiunt: *tit. de fide instrum. 22 lib. 2.*

Ita iam sufficienter in vado posita videretur honestas vitae, quam Antonius per plures annos duxisset; sed rem abundantius compleri videtur non modo ex iudicio Ordinarii Montisalti, qui Antonium dignum constanter habuit; non modo ex favorabili Capituli voto, dato tempore non suspecto, die nempe 5 Iulii 1883; sed praecise ex suffragio illius Antistis, cui a S. C. C. reservate commissa fuit inquisitio in vitam istius sacerdotis.

Quae cum ita sint, videlicet, cum iuxta superius dicta, scientiâ sufficienti Antonius videatur praeditus; cum insuper per plures annos omnibus probatam duxerit vitam, prout ex allegatis testibus scatet; cum tandem, relate ad anteactum tempus, neque turpitudinem neque praesertim de delinquendi habitu incriminari certo possit; non est cur ipse indignus paroeciâ dicatur.

Et sic neque esse videtur ratio, cur *Aperitioni oris* locus fiat contra Rescriptum diei 11 Februarii 1884, quo ipse ad Coadiutoriam et successionem in Beneficio vocabatur. Vulgatum enim est contra S. Pontificis decretum con-

Digitized by Google

queri et aperitionem oris concedi non posse nisi ex magna causa - Rota *decis. 471 n. 6 p. 1 Recent.* - et nisi constet ipsum infici labe, et laborare subreptionis aut obreptionis vitio, idque evidentissime probetur - Card. De Luca *De iurisd. discept. 8, num. 6;* Rota *coram Crescentio decis. 11 num. 5* etc. - et hoc, tum ut litigantium calumniis tempestive occurratur, tum quia Princeps non debet aditum liti concedere, quam agnoscit esse iniustam - De Luca *De iudiciis disc. 20, n. 12 et 14* - atque fortius in materia electionis, quia, si standum sit iuris civilis censurae, instar sacrilegii est, illum reputare inhabilem pro quo Princeps rescribit - *L. Disputare C. de crimine sacrilegii.*

Iamvero in themate pro Aperitione oris, allegata unice foret indignitas sacerdotis Antonii; sed cum ea non videatur evicta, imo contrarium potius in vado positum appareat, iam huic petito arbitrio locus fieri posse non videretur.

Hisce itaque praenotatis proposita fuerunt enodanda

Dubia.

I. *An sit locus aperitioni oris in casu.*

Et quatenus affirmative

II. *An et quomodo providendum sit in casu.*

Resolutio. Sacra C. C. re cognita sub die 6 Septembris 1884 censuit respondere: - *Ad I Negative et amplius. Ad II. Provisum in primo.*

Ex quibus colliges. I. Ut conqueri et *aperitionem oris* obtinere liceat adversus Romani Pontificis decreta, oportere ut evidentissime evincatur eadem decreta infici obreptionis aut subreptionis vitio. (1)

II. Adversus R. Pontificis rescriptum in themate, quo sacerdos Antonius ad coadiutoriam vocatur cum futura successione in beneficio, deesse rationem *aperitionis oris,* quia defuit probatio iuridica indignitatis eiusdem sacerdotis.

(1) Recole Vol. XI, 178 et Vol. XVI, 391.

Digitized by Google

III. *Aperitionem oris* rite denegari, non evictâ prius obreptione aut subreptione, ut litigantium calumniis tempestive occurratur, et ut aditus praecludatur liti, quae iniusta agnoscatur.

IV. Dignitatem sacerdotum quoad beneficia curata desumi praecipue ex scientia, honestate vitae, et idoneitate eorumdem relate ad determinatas paroecias quibus praeficiendi sunt.

V. Dignitatem sacerdotis in themate, tum quoad scientiam et morum honestatem, tum quoad idoneitatem relate ad paroeciam, ad quam fuit electus, quamplurimorum testimonio evictam fuisse, et praecipue iudicio Ordinarii qui eumdem elegit et tandem rescripto R. Pontificis.

VI. Depositiones testium adversariorum minimi faciendas esse, utpote suspectas; etenim quaelibet inimicitia testem repellit *ne iratus nocere cupiat, vel laesus se ulcisci velit.*

VII. Criminationes in themate calumnias potius videri; ex quo defuit omnino probatio formalis; et partae videantur ab inimicis sacerdotis Antonii.

GUASTALLEN.

INTERPRETATIONIS VOLUNTATIS

Die 13 Septembris 1884.

Per summaria precum.

Compendium facti. Petrus Ioannes Begliardi guastallen. Dioecesis anno 1735, in suo testamento disposuit, ut tertia pars reditus suorum bonorum distribueretur pauperibus suae paroeciae; ita tamen ut si inter eos adessent etiam testatoris parentes, isti omnibus aliis essent praeferendi. Secuto testatoris obitu, huiusmodi tertia redituum pars, libellas 136:93 nunc attingens, eiusdem consanguineis tantum distributa iugiter fuit, etsi ab anno 1836 in aliam Dioecesim perrexerint.

Digitized by Google

Verum Archipresbyter huius legati administrator, dubitans num, testamenti verbis inspectis, consanguinei extra memoratam Paroeciam degentes, adhuc hoc iure pollerent, episcopalem Curiam percontavit; quae respondit illos ab hoc iure decidisse, simulque censuit, quod etsi in Paroecia commorarentur, maiorem tantum legati partem, prae aliis pauperibus, assequi possent. Verum quum instarent consanguinei ut integrum suetum legatum obtinerent, res iudicio Apostolicae Sedis submissa fuit.

Disceptatio Synoptica.

Consanguinei posthabendi videntur. Ex testatoris enim verbis satis apparet, ipsum voluisse ut pauperes, ac praecipue consanguinei, ad legati participationem admitterentur, quatenus tamen in Paroecia permanerent. Porro citata verba clarissima videntur. Iamvero *ubi verba sunt clara nullam admittunt interpretationem, neque voluntatis coniecturam; Gloss. in cap. Cum dilectus 8 de consuetud.* Voluntas enim ab alio melius declarari non potest, quam ab ipso disponente; *Rota decis. 417 num. 5 part. 19 tom. 1 inter recent.* Hoc itaque in casu effatum illud optime potest applicari: *testator quod voluit expressit, quod noluit non expressit.* Voluit nempe, suos hoc legato peculiari ratione perfrui, quoadusque tamen inter Paroeciae pauperes recenserentur, minime vero cum alio se contulerint.

Verum in hypothesi qua etsi Paroeciam reliquerint adhuc illo gaudere possint, haud videtur integrum ipsis attribuendum fore. Ex allatis enim verbis erui videtur, testatorem non absolute suos aliis pauperibus praetulisse, sed ita ut potiorem, prae illis, legati partem assequerentur. Iamvero cum omnibus pauperibus paroeciae ius ad legati fruitionem contulisse videatur, minime putandum illud deinceps ipsis abstulisse.

Nec tanti ponderis apparet contraria consuetudo, qua consanguinei integrum legatum perceperunt, etsi pluribus

Digitized by Google

abhinc annis alibi versentur. Cum enim haec claris testatoris verbis opponatur, quovis vigore destitui videtur, neque temporis diuturnitas praeposteram voluntatis interpretationem rationabilem reddere valet.

Consanguinei praeferendi videntur. Verum ex adverso recolere iuvat, receptissimum esse interpretationis canonem, quod non verborum cortici, sed testatoris menti potissimum sit inhaerendum. Iamvero si totius dispositionis contextus, ac testatoris intentio perpendatur, indubie scatere videtur, ipsum voluisse suorum consanguineorum, prae aliis, indigentiae consulere. Ideoque interpretatio, quaquaversus eisdem favorabilis, est admittenda, quoadusque alia eisdem contraria manifestissime comprobetur.

Quo semel posito, ex allatis verbis consequi sponte videtur, integrum legatum eisdem, licet alibi degentibus, esse tribuendum. Praesumi siquidem nequit, testatorem voluisse inter extraneos etiam dispertiri legatum illud, quod ne unius quidem e suis consanguineis indigentiae sublevandae par extitisset, vel suos ab hoc iure decidisse, eo quia egestate fortasse pressi alibi migrarunt. Sed e contra tenendum tuto videtur, ipsum voluisse legatum iuxta caritatis ordinem distribui, qui consanguineorum et affinium inopiae, meliori qua fieri potest ratione, consulendum praecipit; s. Thomas *2. 2 quaest. 32 art. 9.* Ideoque conditio commorationis in Paroecia respiceret alios pauperes, qui in consanguineorum defectu legati fruitione pollerent.

Quae quidem interpretatio longissimi temporis observantia mirifice confirmatur. A testatoris enim obitu ad haec usque tempora, nemine contradicente, consanguinei legatum integrum assecuti iugiter fuerunt, etsi a quinquaginta circiter annis e Paroecia discesserint. Iamvero tam diuturni temporis observantiam plurimi fore pendendam ius utrumque conclamat. Ea siquidem maximopere inservit declarandae testatoris voluntati, et discernendae voluntati incertae et dubiae a certa et clara; Rota *decis. 62 num. 3 part. 10 inter recent.* Quare observantia optima legis fundationis

Digitized by Google

interpres appellatur Lotter. *De re benefic. Lib. 2 quaest. 11 num. 125.* Card. De Luca *De iure patron. discept. 80 num. 9* et maximam omnium auctoritatem sibi vindicat, si, ut in themate, sit illi proxima, et coaeva Piton. *Discept. Eccles. discept. 151 num. 28* et in *Ceriniolen. Interpretationis diei 1 Aprilis 1876.*

Perpendendum demum est; consanguineorum inopiam ab Episcopo in dubium minime revocari. Porro si haec rationabilem causam saepissime praebet, quascumque testatorum dispositiones immutandi, fundatoris verbis in themate vis haud inferri videtur, si, eâdem causâ suadente, ea interpretatio retineatur, quae observantiae innixa dum nullius ius certe quaesitum laedit, pii testatoris erga suos commiserationi quam maxime convenit.

Quibus praenotatis, quaesitum est quid esset precibus respondendum.

Resolutio. Sacra C. C. re disceptata, sub die 13 Septembris 1885, censuit respondere: – *Servandam esse suetam subsidii distributionem, favore pauperum consanguineorum, etiamsi extra paroeciam degant.*

EX S. CONGREGATIONE EP. ET REG.

VENETIARUM

SUPER VALIDITATE COMPROMISSI ET ELECTIONIS.

Die 28 Novembris 1884.

Compendium facti. Temporum nequitiâ factum est ut Congregatio s. Philippi Venetiarum nunc constet tribus tantum viris religiosis; nempe Patre Palmieri, P. Morchio et P. Gabelli. Hi tres, utpote Sacerdotio aucti, eligere Superiorem et in Superiorem eligi valent. Anno exeunte 1883

Digitized by Google

Praepositus religiosae domus illius eligendus erat pro triennio insequenti. (1) Et re quidem vera electionem eiusmodi aggressi, perperam decem scrutinia adhibuerunt; quia in unoquoque scrutinio unum obtinuit suffragium quisquis ex tribus electoribus.

Neque regulae praescriptionem electores sequi poterant quoad compromissarios, prae paucitate: nam, frustra decem peractis scrutiniis, quinque forent eligendi compromissarii, qui Praepositum renunciarent unum ex duobus qui paritatem suffragiorum consequuti essent in praefatis scrutiniis.

Quum id fieri nequiret, suffragiorum pluralitate unicus electus fuit compromissarius P. Gabelli, qui elegit in Praepositum P. Palmieri. Attamen electio haec legitima haud visa est Patri Morchio, qui rem Apostolicae Sedis iudicio detulit, ut cognosceret an haec electio probanda esset, et servanda in futuro, in adiunctis similibus.

Disceptatio Synoptica.

Illegitimum videtur compromissum. Ex iure enim disponitur: « ad faciendum compromissum pro electione, requiri» tur consensus omnium vocalium, ita ut unius dissensus » compromissum impediat et electio, aliter facta, non va-

(1) Regula s. Philippi *cap. 5 n. 9* habet: « Tres annos duret Praepositi munus et confirmari possit tertio quoque anno. » Quomodo autem eligendus Praepositus sit regula s. Fundatoris innuit *cap. 5 n. 6* - ibi - « Fiet autem Praepositi electio hoc modo. Qui erit a secretis, singulis electoribus schedulas dabit, in quibus scriptum vel typis impressum sit nomen eligendorum, ut illas in vas coniiciant, videntibus duobus, ad id muneris deputandis. Eductus autem, iisdem duobus cernentibus, a secretario clara voce legetur, et electus is erit Praepositus, in cuius electionem convenerint electores, medietate plures. Hunc sane modum eligendi donec consentiant *decies* repetere possunt; post decimum vero scrutinium, si necdum in unum pars maior mediâ conspiraverit, *compromissum fiat*, ut scilicet quinque solum ex electoribus Praepositum e duobus tantummodo deligant in quos plura suffragia, ex quacumque disquisitione hactenus collecta, concurrerint. »

Sanctus fundator suffragiorum paritatem quoque praevidens, in electione per *compromissum* tribuit praeposituram seniori ex electis; - ibi - *n. 8* « Si quando tandem schedulis eductis *compromissarii* pares extiterint, electus habeatur, qui debito in Congregatione sibi loco, aliis pariter concurrentibus, praestat. »

Digitized by Google

» leat; cap. Quia propter. » Ita Glossa et Ferraris v. *electio*. Quum vero Regula s. Philippi *cap. 5* loquatur de quinque compromissariis et omnino taceat de unico compromissario, hinc iure communi caput illud interpretandum videretur.

Praeterea minus probanda videretur constitutio unius compromissarii, quia hic sibi ipsi votum dare potuisset; quod generaliter loquendo haud esset omnino prohibitum; Abbas in *cap. 33 de elect.* « Si compromissarii sint plures possunt » ii aliquem ex se ipsis eligere, quamvis in compromisso » id non sit expressum, dummodo non sit expresse prohi» bitum. » Electio praeterea in themate substineri non posse videtur, quia religiosus Ordo quilibet sequi proprias debet Constitutiones, quae iuri communi etiam derogant, quatenus apostolicâ approbatione praeditae sint.

Attamen Oratorii regula non unum aut tres, sed quinque praescribit compromissarios; hinc *quod voluit expressit, quod non expressit noluisse censendus est.* Quatenus vero casui non expresso consulendum putaretur iure communi, ad admittendum unicum compromissarium, oportere videretur, ut adesset cunctorum vocalium consensus, nemine excepto, ad tradita per Ferraris *v. electio n. 24.* « Electio » per compromissum illa est quae fit quando capitulares » praesentes facultatem eligendi in unum, vel plures ido» neos viros conferunt, qui vice omnium eligant. Est in » re communis cap. in causis 30 de elect. Ad faciendum » compromissum pro electione requiritur consensus omnium » vocalium; ita ut unius dissensus compromissum impediat, » et electio aliter facta non valeat ex cap. *quia propter* » *decret. de elect. lib. 1, tit. 5 cap. 42.* » (1)

(1) En citatum caput. « Quia propter diversas electionum formas, quas quidem invenire conantur, et multa impedimenta proveniunt et magna pericula imminent Ecclesiis viduatis, statuimus, ut cum electio fuerit celebranda, praesentibus omnibus, qui debent et volunt, et possunt commode interesse assumantur tres de collegio fide digni, qui secrete et sigillatim vota cunctorum diligenter exquirant, et in scriptis redacta mox publicent in communi, nullo prorsus appellationis obstaculo interiecto, ut is collocatione habita eligatur, in quem omnes vel maior et sanior pars capituli consentit, vel saltem eligendi potestas ali-

Digitized by Google

Animadversum tandem fuit quod si naturale et regulae apprime consonum censebatur haud oportere consensum omnium vocalium ad unicum constituendum compromissarium, tunc superfluum videri ut ante electionem conventio ad id fieret, sed sàtis fuisset, ut legitime congregati disceptarent *quid agendum*.

Legitimum videtur compromissum. Certum siquidem est ex regula s. Philippi *cap. 5 n. 6* praescribi, ut, aliis expletis mediis, quinque constituantur compromissarii, nempe ut quinque solum ex electoribus Praepositum e duobus tantummodo deligant; et ideo electio haud relicta videtur unico compromissario. Verumtamen nullimode controvertitur inter Doctores quod casus a regulis non contemplatus iuri communi subiiciendus sit: *casus enim omissus cadit sub dispositione iuris communis.* Quod confirmatur per legem *Praecipimus Cod. de appell.* « quidquid autem hac lege » specialiter non videtur expressum, id veterum legum consti- » tutionumque *regulis omne relictum intelligitur.* » Et huic inhaerendo principio *cap. 29 de elect.* §. *6* habet: *expedit concordare iura iuribus, et eorum correctiones evitari.*

Quod autem ex iure communi electio remitti queat unico compromissario innuit ipsa definitio electionis per compromissum: nam « electio per compromissum tunc fit, quando » capitulares praesentes facultatem eligendi in *unum* vel » plures idoneos viros conferunt, qui vice omnium eligant: » *Reiffenstuel. lib. 1 dec. tit. 6 n. 68.* Ergo ex iure communi haud excluditur electio unius compromissarii. Si ius commune, ut Ferraris habet, pro electione requirit consensum omnium vocalium, et ut dissensus unius compromissum impediat et electio aliter facta non valeat; id accipiendum est cum distinctione compromissi: idest videndum est an illud sit absolutum vel limitatum. Compromissum enim abso-

quibus viris idoneis committatur, qui vice omnium Ecclesiae viduatae provideant de pastore. Aliter electio facta non valeat, nisi forte communiter esset ab omnibus quasi per inspirationem absque vitio celebrata. »

Digitized by Google

lutum: adest quando electores remittunt compromissariis facultatem libere eligendi personam idoneam de gremio aut extra. Compromissum autem limitatum respicit tantum necessariam electionem personae certae. In primo casu requiritur consensus omnium vocalium; in secundo consensus maioris partis.

Qua de re Canonistae posthabendo regulam *quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari,* tenent quod omnium consensus, *nemine dissentiente,* requiratur in primo casu, seu in compromisso absoluto, ut nemo ex electoribus privetur iure ferendi suffragium. Ad rem Reiffenstuel *lib. 1 decr. tit. 6 de elect.* habet: « ceterum data conclusio intelligenda est dumtaxat de compromisso absoluto, non autem de limitato. Duplex siquidem est compromissum absolutum videlicet et limitatum. Compromissum absolutum est illud, vi cuius omnis potestas eligendi a capitularibus translata est in compromissarios, ita ut possint eligere quemcumque idoneum. Unde virtute talis compromissi potest eligi etiam is qui non est de gremio capituli, si secus non exprimatur; Glossa in eo *Cum dilectus 32.* Compromissum limitatum, generatim loquendo, dicitur omne illud per quod datur compromissariis potestas eligendi solum cum restrictione aliqua v. g. ut eligat unum de gremio, vel quando alia huiusmodi restrictio sit. Porro ad compromissum taliter sufficit quod compromissarii eligantur a maiori parte Capituli, ut notat Angelus in summa v. *electio* n. 27. »

Et Card. Passerini quum cap. 22 *de electione per compromissum* exposuerit sententias eorum qui generatim requirunt omnium consensum electorum pro validitate compromissi, adiicit sub *n. 20:* « At vero Gemin. et Fran. in cap. *Cum expediat,* et alii limitant praefatam assertionem ad compromissum absolutum, et volunt quod in compromisso limitato non sit necesse quod omnes conveniant in electione compromissariorum, sed sufficit maior pars.

Praxis insuper quam s. Congregatio Oratorii Romae sequitur pro electione Praepositi, consona videtur methodo nuper habitae in Congregatione Venetiarum.

Digitized by Google

Quae quum in utramque partem animadversa fuissent, enodandum fuit propositum

Dubium

An sit valida electio Praepositi in casu.

Resolutio. Sacra C. Ep. et Reg. re cognitâ, sub die 28 Novembris 1884 censuit respondere: *Affirmative et amplius.*

Ex quibus colliges. I. Quod in constitutionibus, aut legibus peculiaribus, quae religiosum Ordinem moderantur, non fuit specialiter expressum, regulis legum generalium relictum videtur; nam receptum est quod casus omissus cadit sub dispositione iuris communis.

II. Certum est quod regula Oratorii s. Philippi haud comtemplata sit casum in quo electio Praepositi concredenda esset unico compromissario; ideo casus huiusmodi legi generali, seu iuri communi subiiciendus est.

III. Ius commune haud improbare quod unico compromissario electio committatur; sed videri exposcere consensum omnium vocalium, quando agitur de compromisso absoluto, in quo compromissarius libere eligit personam idoneam qualemcumque; et exposcere consensum maioris partis, quando res est de compromisso limitato; quando nempe eligenda est persona certa.

IV. In compromisso absoluto compromissarius libere exercet iura omnium electorum; et ideo omnium vocalium requiritur consensus; ne aliquis suffragio privari videatur. In compromisso vero limitato, quoniam compromissarius non agit libere, sed certam eligere debet personam, ideo sufficere videtur consensus maioris electorum partis. (1)

(1) Ratio huius differentiae in hac posita esse videtur: quod in compromisso absoluto, electores despoliantur omni iure ad electionem, et ideo omnes convenire debent. In compromisso vero limitato non videntur privari omni auctoritate ad electionem, quando innuunt eligendam esse personam ab eisdem determinatam. Qua de re hoc in casu electores quasi per se ipsos electionem complent; et ideo sufficere videtur consensus maioris partis eorumdem, ceu evenit in electione qualibet.

Digitized by Google

V. Quamobrem in themate a iure communi non reprobari videtur deputatio unius compromissarii, loco quinque compromissariorum; neque illegale dici queit compromissum, etsi non accesserit omnium vocalium consensus; quia compromissum est limitatum, et respicit certam personam eligendam de gremio.

CATACEN.

PAROCHIALIS SUPER VALIDITATE PERMUTATIONIS, ET PROVISIONE

Die 28 Novembris 1884

Compendium facti. Episcopus catacensis, nunc vitâ functus, die 15 Ianuarii anni 1882, deferebat apostolicae Sedi, parochum Gregorium Nofito, cui vi Bullae pontificiae ab anno 1876 paroecia s. Mariae gratiarum e Fossato collata fuit, haud bono frui nomine coram populo. Fertur enim, aiebat Antistes, et arbores caedisse in patrimonio Ecclesiae, bonosque non fovere mores.

Tum s. Cong. Ep. et Reg. re mature perpensa, hoc sequuta est consilium nempe « scribatur Episcopo, eique si- » gnificetur, quod instet pro resignatione, et in casu oppo- » sitionis, processum instruat iuxta instructionem diei 11 Iu- » nii 1880. » (1) Episcopus sed vero s. Congregationis mandatum haud sequutus, censuit rem confici posse sine strepitu, quatenus praedictus parochus cum alio Ecclesiam permutaret. Hinc ad se accersito Rosario Donato, qui per concursum paroeciam e Magisano consequutus fuerat die 1 Maii 1881, consilium hoc suum eidem patefecit, ratus vitari posse scandala quae sequi solent iudicium formiter instructum. Sacerdos Rosarius, quamvis primo reluctans, tamen voluntati Episcopi diu non obstitit, tum reverentiae gratiâ, ait ille,

(1) Instructio haec adest Vol. XIII, 324.

Digitized by Google

tum etiam quia *regium placet* nondum obtinere valebat, secundo iam decurrente anno a die concursus peracti.

Huius permutationis vi et per suspensionis minas a Vicario generali adactus, paroeciam e Fossato petivi, ait sacerdos Donatus, et in eius formali possessione immissus fui. Verumtamen quum actus permutationis regio Procuratori exhibitus fuisset, hic permutationi eidem obstitit, retulitque *regium placet* concessum fuisse sacerdoti Donato pro paroecia e Magisano, quam, mediante concursu, initio obtinuerat.

Episcopus successor adivit sacram Cong. Ep. et Reg. petens ut irrita declararetur permutatio haec, a suo antecessore peracta, quippe quae dum nullam attulit utilitatem, potius damni non levis causa fuit pro utroque populo.

Disceptatio Synoptica.

Quae favent petitioni ordinarii. Favore petitionis Episcopi actualis animadversum fuit, prae primis incontroversum esse quod pro qualibet paroecia vacante indicendum sit concursum iuxta Tridentinum *Sess. 24 cap. 18 de reform.* et quod quaelibet alia provisio, vel permutatio adversus citatum caput peracta, *ipso iure* nulla atque irrita declaranda sit: « *alias provisiones omnes, seu institutiones, praeter supradictam formam factae subreptitiae esse censeantur.* »

Canonistae etiam nullius valoris provisiones censent quae conficiuntur, *non servata forma* concursus ad mentem Benedicti XIV Constit. *Cum illud:* eoquod eisdem ordinationibus tantum derogare queat Summus Pontifex. Quamobrem etiam Romae si parochus obtinens paroeciam ad aliam transferri cupiat, novum subire debet concursum, novumque examen ad investigandum an requisitis pro vacante moderanda paroecia praeditus sit. Quin imo in eadem urbe Romae mos est ut apostolicum Beneplacitum accedat quoties expedire censeatur parochi alicuius permutatio. Verum in permutatione, de qua agitur neque Apostolica auctoritas interfuit,

Digitized by Google

neque reservatum fuit beneplacitum Apostolicum; ideo irrita, et nullius valoris foret renuncianda permutatio eiusmodi. Certum est enim quod Episcopus, ceu auctoritas inferior, potestate caret sive constitutiones Apostolicas quae universalis Ecclesiae disciplinam moderantur, abrogandi, sive modificationes inducendi quoad ius commune, absque Apostolica auctoritate; Benedict. XIV *de Synod. Dioec. lib. 9 cap. 1:* « Nihil quod iuribus apostolicae Sedis praeiudicium afferat, » aut eiusdem auctoritati inveniri debet in Constitutionibus » sive Provincialium, sive Episcopalium Synodorum. »

Quum ex adnotatis constare videatur irritam esse permutationem in themate, omnia essent restituenda in pristinum statum, et sacerdoti Donato reddenda esset paroecia e Magisano; nam *quod initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere; reg. 29 iur. civ.*

Praeterea animadversum fuit permutationem in themate haud sustineri posse etiam ex defectu consensus ex parte parochi Donato; cui ideo ius permanet ut in sua paroecia manuteneri debeat. Et re quidem vera, posthabitis minis, quae formiter probatae non fuerunt, videtur Donatus saltem timorem reverentialem passus esse, dum actum permutationis subscriberet; quod etiam actualis Episcopus innuit. Admisso ergo quod timor adfuerit reverentialis, iuris principium recurrit « *ut ea quae vi metusque causa fiunt, carere debent robore firmitatis;* ceu declaravit Alexander III in cap. *Abbas, de iis quae vi metusque causa etc.* « *cum tali modo coactus fuisset, Abbas alii concessit Ecclesiam, unde quia quae metu, et vi fiunt, de iure debent in irritum revocari, mandamus quatenus praedicto R. cum integritate restituas universa.* » Eiusmodi autem acta irrita esse et nullius valoris ob timorem reverentialem docent Sanchez *lib. 4 disp. 7 n. 5 et 7,* s. Rota *dec. 870 cor. Emerix.*

Quum autem parochus Donatus die 13 Decembris 1883 consequutus sit *regium placet* pro paroecia e Magisano, hinc remota etiam fuit causa quae illum ad permutationem im-

Digitized by Google

pulit. Quinimo per eius redintegrationem desinit. iniusta quaestio, resque *incidit in casum a quo incipere potest.*

Neque posthabitum fuit, sacerdotem Nofito in actu ipso permutationis declarasse quod redditus paroeciae e Fossato essent omnino liberi et in tuto; dum contra adhuc permanerent apud *Demanium.* Ex quo fieret ut Donatus, aliquo saltem tempore, alimentis careret et sacro patrimonio, contra dispositionem Tridentini *Sess. 20 cap. 2 de ref.* Quamobrem quum permutatio in themate per sacros canones prohibita sit, Donatus a fortiori redintegrari debet in paroeciam e Magisano, quia despoliatus maneret de suo patrimonio sacro, ad tradita per S. C. Concilii in *Baren. resignationis et reintegrationis 17 Maii 1881.* « Agi insuper de casu prohibitae resignationis utpote quae vertit » super beneficio quod parocho erat in titulum sacrae ordi» nationis constitutum, quo in casu competere spolii actio» nem, eique spoliato id omne praestandum quod in test. » privatum non fuisse paroecia. »

Quae adversantur petitioni episcopi. Contra vero animadversum fuit permutationem admitti, iusta concurrente causa, etiam absque Apostolico beneplacito, dummodo respectivi Episcopi assensus adfuerit. Siquidem caput unicum *in 6 Decret. de rerum permutatione* ita se habet: « *illos tamen, qui secundum formam iuris sua beneficia in eadem dioecesi ad tuam collationem spectantia permutare volentes libere ac sine fraude in manibus tuis resignent.* » Huiusmodi vero facultas Episcopis tribuitur etiam a Canonistis; Huth *ius canonic. l. 1 tit. 10 n. 3* ait: « resignatio ex » causa permutationis si fiat, inter resignantes fieri poterit » etiam coram Ordinario. » Schmalzgrueber *ius univ. canonic. tit. 19 n. 76.*

Hinc sequi videtur quod permutatio, cui Episcopus consensum dedit, dici nequeat sacrorum canonum dispositioni adversari. Eam insuper sacerdos Donatus admisit; hinc quod semel placuit, amplius displicere non debet. Praeterea quum

Digitized by Google

ante omnia consulendum sit bono spirituali publico, videtur non esse perpendendum an odium plebis iustum vel iniustum sit, vel si praebeat parocho resignanti causam voluntariam vel necessariam ad resignationem paroeciae: quum ex canone *Scias q. 1, « plurimorum utilitas unius utilitati praeferenda est, atque pro bono pacis relaxanda sunt iuris praecepta. »* In similibus casibus pares provisiones sequuta est S. C. Ep. et Reg. et praecipue in Placentina *suspensionis et remotionis paroeciae diei 17 Iulii 1877;* S. C. Concilii in Leimburgen. 19 Decembris 1857. Frustra vero nulla diceretur permutatio ex capite *metus,* quem asseruit Donatus et de quo Episcopus obiter loquutus est. Actus enim formalis, a duobus existens annis, validus habendus est donec per positiva documenta contrarium evincatur. In themate eiusmodi documenta haud concurrere videntur, ut probari queat timor gravis et iniuste incussus; nam timor reverentialis iungi debet aliis minis ut dici queat cadens in virum constantem. Hinc certum est quod Donatus timore reverentiali non egit, sed suo Episcopo aliquod praebuit obsequium, dum paroeciam resignaret.

Neque gravis censenda videtur difficultas quod nempe presbyter Donatus sacro patrimonio in paroecia e Magisano constituto despoliatus maneat, quoniam Episcopus eidem Sacerdoti, ipso facto, alíud contulisset beneficium subrogandum sacro patrimonio. Sanctioni etenim Tridentinae facile satisfit per provisionem alterius beneficii parochialis. Siquidem Gallemart in declaratione *capitis 2 Sess. 21* sub n. 3 affirmat: « Sacra Cong. Concilii censuit tutum etiam in » conscientia eum qui beneficium, ad cuius titulum erat pro- » motus, resignavit et aliud ex causa permutationis obti- » nuit, tacendo in permutatione quod erat promotus ad ti- » tulum primi beneficii. » De Luca *de Benef. disc. 38 n. 9; et S. C. C. in Asten. resignationis beneficii diei 20 Maii 1734 habet:* « Ioannes quidam Malabaina an. 1693 assecu- » tus fuit beneficium simplex, ad cuius titulum fuit etiam » deinde sacris ordinibus initiatus. Promotus sed postea ad

Digitized by Google

» Ecclesiam parochialem, primum dimisit, quin mentionem » de titulo patrimonii faceret. » Proposito dubio: « An » constet de nullitate resignationis in casu. » S. Cong. respondit: *Negative*.

Hisce animadversis, proposita fuerunt diluenda

Dubia

I. *An sit valida permutatio duarum paroeciarum in casu.*

II. *An et quomodo consulendum sit paroeciis e Magisano et e Fossato in casu.*

Resolutio. Sacra Congr. Ep. et Reg. re disceptata sub die 28 Novembris 1884, censuit respondere: *Ad primum: Negative.* Ad secundum: *Provisum in primo.*

Ex quibus colliges: I. Ex Tridentino *Sess. 24 cap. 18* vacantes paroeciales Ecclesias donari nequeunt pastore, nisi per concursum; ita ut *alias provisiones omnes seu institutiones, praeter supradictam formam, factae, subreptitiae esse censeantur,* et ipso iure pro infectis haberi debent, non servata forma concursus.

II. Hinc etiam Romae parochus qui translocandus sit ad aliam paroeciam, per concursum evincere debet sese praeditum esse requisitis pro nova regenda ecclesia aut explicitum obtinere apostolicum beneplacitum, iuri communi derogans.

III. Cui iuris communis sanctioni, haud Episcopos, sed tantum Romanos Pontificcs derogare posse; ideoque nihil quod praeiudicium afferat iuribus apostolicae Sedis, aut auctoritati inveniri debet in Constitutionibus sive provincialium sive episcopalium Synodorum.

IV. In themate Episcopum auctoritate propria omnia explevisse, contra etiam s. Congregationis praescriptionem, iustâque deficiente causâ, quae est necessitas vel Ecclesiae utilitas: nam, initâ permutatione, dissentiones et scandala in populos creverunt.



Digitized by Google

EX S. CONGREG. INDULGENTIARUM

DECRETUM quo varia enodantur dubia quoad rosarium seraphicum etc.

BEATISSIME PATER,

Archiepiscopus Goritiensis a S. Congregatione Indulgentiarum sequentium dubiorum solutionem humillime petit:

1° Recitantes fratres et sorores trium Ordinum S. P. Francisci Rosarium seraphicum (7 decadum) lucranturne qualibet vice, prout ante Constitutionem nuperrimam S. S. Leonis XIII « *Misericors Dei Filius* » Indulgentiam plenariam?

2° Sodales Tertiarii recitantes post Communionem Ps. 19 « *Exaudiat* » lucranturne Indulgentias intuitu Communicationis Privilegiorum cum 1° et 2° Ordine S. Francisci et cum aliis Ordinibus, puta Camaldulensium, Augustinianorum, etc.?

In genere adestne pro Tertiariis adhuc communicatio privilegiorum?

3° R. P. Bonifacius Minister provincialis FF. MM. Cap. Provinciae Rheno-Palatinensis occidentalis (West-Rheinpfale) dubium sequens S. Congregationi Indulgentiarum proposuit: « An in suo valore maneat etiam post declarationem S. S. d. d. 7 Iunii 1882 Indulgentia Plenaria et Benedictio Tertiariis elargienda (antea absolutio generalis dicta) cum Benedictione Papali, concessa *speciali privilegio* in festo s. Aloysii Gonz. die 21 Iunii (qua die anniversaria induitionis S. M. Pii IX ceu Tertiarii); » et responsum accepit die 30 Decembris 1882: « *Affirmative,* quia speciale privilegium, ut cesset, speciali tantum revocatione tolli debet. » Standumne est adhuc huic declarationi, necne?

4° In Kalendario perpetuo Ord. Min. S. P. Francisci et per consequens in Directorio liturgico eorum Provinciae s. Crucis Croatiae Carnioliae notantur suis diebus Indulgentiae Plenariae, quae lucrari possunt a quibuscumque Christifidelibus visitantibus Ecclesias conventuales Ord. s. Francisci sub solitis conditionibus.

Quaeritur, num Sodalibus Tertii Ord. s. Francisci, velut hucusque, sufficiat ad lucrandas huiusmodi Indulgentias, visitare proprias Ecclesias curatiales, an vero opus sit illas, non obstante quacumque distantia, (etiam 10–20 horarum), adire Ecclesias praedicti Ordinis?

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita propositis dubiis respondit:

Ad 1um. Quoad Sodales Tertii Ordinis s. Francisci, Negative.

Ad 2um. Negative ad utramque partem.

Ad 3um. Negative post editam Constitutionem Apostolicam « *Misericors Dei Filius.* »

Ad 4um. Quoad primam partem, Negative; quoad secundam, Affirmative.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem Sac. Congregationis die 12 Iunii 1884.

L. CARD. BONAPARTE pro Praefecto CARD: OREGLIA A S. STEPHANO.

FRANCISCUS DELLA VOLPE *Secretarius.*

Digitized by Google

EX S. CONGREGATIONE INDICIS

DECRETUM

Feria II die 23 Martii 1885.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONE PAPA XIII Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi, ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio apostolico vaticano die 23 Martii 1885 damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, vel alias damnata atque proscripta in indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur Opera:

Della Educazione religiosa e civile delle fanciulle in conformità alle attuali condizioni d' Italia. Dialoghi del Prof. Sac. Ambrogio Garavaglia, Cav. de' Ss. Maurizio e Lazzaro, e della Corona d' Italia, vol. 2. Milano, Fratelli Dumolard editori, 1884. *Auctor laudabiliter se subiecit et opus reprobavit.*

Prof. Filippo Cicchitti-Suriani della chiesa cattolica italiana. La Religione nella Scienza e la Tirannide della Coscienza, con prefazione di Mons. G. B. Savarese. Roma, Forzani e C., tipografi del Senato, editori, 1885.

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedictum Opus damnatum atque proscriptum, quocumque loco, et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut editum legere vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis, aut haereticae pravitatis Inquisitoribus illud tradere teneatur sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus SANCTISSIMO D. N. LEONI PAPAE XIII per me infrascriptum S. I. C. a Secretis relatis, SANCTITAS SUA Decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.

Datum Romae die 23 Martii 1885.

FR. THOMAS M.ᵃ CARD. MARTINELLI Praefectus.

Fr. Hieronymus Pius Saccheri Ord. Praed.
S. Ind. Congreg. a Secretis.

Loco ✠ Sigilli.

Die 28 Martii 1885 ego infrascriptus Mag. Cursorum testor supradictum Decretum affixum et publicatum fuisse in Urbe.

Vincentius Benaglia Mag. Curs.

Digitized by Google

EX S. CONGREGATIONE DE PROPAGANDA FIDE

LITTERAE circulares Emi Cardinalis Praefecti ad Episcopos et Vicarios Apostolicos quoad bona immobilia s. Congregationis, addicta *conversioni*:

Illmo e Rmo Signore

La sentenza del Tribunale di Cassazione di Roma che condannava alla conversione i beni immobili di questa s. Congregazione, è stata oramai quasi interamente eseguita. Quindi d'ora innanzi i mezzi di cui poteva disporre questo mondiale Istituto, fondato dai Pontefici per la propagazione del Vangelo e della civiltà dipenderanno del tutto dal buon volere di quel governo che nel 1870, coi mezzi a tutti manifesti, s'impadronì di Roma, dichiarando *di prendere in faccia all'Europa e al Cattolicismo la responsabilità del mantenimento della sicurezza del papato*, e *promettendo solennemente di conservare al Capo della Chiesa sulle sponde del Tevere una Sede gloriosa e indipendente da ogni umana Sovranità*. (Lettera di Vittorio Emanuele a Pio IX 8 Settembre 1870). Siccome la S. V. in questa malaugurata circostanza elevò la sua voce a stigmatizzare quell'atto, e mostrò chiaramente quanto impegno tanto Ella medesima, come i fedeli alle sue cure affidati, prendessero a difesa dei diritti di questa benemerita istituzione, credo Le

Illme ac Rme Praesul

Supremi Consilii rerum iudicatarum causis dirimendis sententia, qua huius s. Congregationis bona immobilia conversioni, ut aiunt, addicebantur, iam fere ex toto, opere ipso completa est. Ex quo fit, ut ea adminicula, quibus hoc totius Orbis Institutum, a Romanis Pontificibus Evangelio civilibusque moribus propagandis fundatum, uti poterat, posthac a bona eorum voluntate pendeant, qui anno MDCCCLXX mediis, cuique notis, sunt Româ potiti, proclamantes « se coram universa Europa et catholicis omnibus sponsione obstringere Pontificis dignitatem tuendi, atque eidem supremo Ecclesiae capiti gloriosam nullique prorsus humanae dominationi obnoxiam sedem secus Tyberim servaturos se esse sollemniter promittentes » (Epist. Victorii Emmanuel. ad Pium IX. die 8 Sept. 1870). Quoniam vero tu, Illme ac Rme Praesul, huiusmodi actus reprobandi causa vocem tuam elevasti, planeque ostendisti quam et tibi et fideli populo tibi commisso cordi sit hanc optime de Ecclesia meritam Institutionem tueri, satis luctuosum, puto, videbitur agnoscere, communes sacri Episcopatus et nobiliorum virorum catholicorum, imo etiam heterodoxorum conatus contra agendi rationem do-

Digitized by Google

riuscirà ben doloroso conoscere come i comuni sforzi dell'intiero episcopato e della parte la più distinta del laicato cattolico, e perfino eterodosso non abbiano avuto alcuno effetto contro il procedimento di un potere che ormai si lascia impunemente consumare in mezzo all'Europa ogni eccesso contro la Chiesa cattolica e l'augusto suo Capo.

Sebbene fin dai primi attentati diretti ad asservire la Propaganda col toglierle la libera amministrazione e disposizione dei suoi beni, non abbia questa omesso di protestare solennemente, nondimeno presso che compiuto lo spoglio delle sue immobili proprietà, mi credo in istretto dovere qual Prefetto Generale della medesima di ripetere una nuova protesta contro un atto tanto lesivo della sua libertà, e però tanto nocivo alla sua indipendenza nel sublime ministero della conservazione e propagazione del cristianesimo in tutto il mondo, massime nelle regioni non ancora civilizzate. La quale offesa tanto men riesce tollerabile, quanto più grave e urgente apparisce la necessità di sovvenire ai molteplici bisogni delle straniere missioni. Senza parlare dei continui disastri, ai quali soggiacciono non pochi tra i vicariati specialmente nell'estremo [Orie]nte, cui ne piange il cuore [di non] potere accorrere con im-

minationis, quae in media Europa quodvis facinus contra Ecclesiam Catholicam, eiusque augustum Caput attentare atque impune perficere iam sinitur, irritos ac supervacuos cessisse. — Quamvis a primis ipsis horum ausibus ad Sacram Propagandae Christianae Fidei Congregationem sibi subiiciendam, subtractâ eidem libera suorum bonorum administratione usuque, haec solemniter protestari nequaquam omiserit: hodie tamen, perfectâ iam fere eorumdem immobilium bonorum direptione, ego, utpote eidem Congregationi regendae in primis praefectus, contra huiusmodi actum, qui eius adeo dignitatem laedit, atque idcirco eius libertati in praeclarissimo ministerio Christianam Religionem sartam tectam ubique servandi, atque in universum mundum, praesertim vero in eas regiones quae civiles mores nondum susceperunt propagandi, adeo perniciosum, etiam atque etiam protestari officii mei esse arbitror.

Quae quidem iniuria eo minus toleranda videtur, quo gravior urgentiorque pene innumeris exterarum Missionum indigentiis subveniendi necessitas comprobatur. Praetereo consulto assidua incommoda, quae haud paucos Vicariatus, ultimi praesertim Orientis affligunt, quibus cor moeret, maturis atque opportunis remediis succurri non posse: graviori profecto dolore nos afficit conspicere, latissimum campum, qui in vastissimis Africae plagis atque Oceaniae insulis, ob validam Euro-

Digitized by Google

mediati e proporzionati sussidii; maggior pena si prova nel considerare il larghissimo campo che per la potente azione colonizzatrice dell'Europa ci si apre innanzi nelle smisurate terre Africane e nelle isole oceaniche, ove innumerevoli popoli son ora chiamati a partecipare ai beneficii della civiltà.

Non può non sperimentarsi profondo dolore nel vedersi inabilitati a disporre di quel sacro patrimonio cui l'intiera cattolicità appunto per la evangelizzazione e civilizzazione di quelle misere genti affidò alla Propaganda e non già ad un governo, nel vedersi mancare il necessario numero di operai evangelici sia per la sconsigliata soppressione degli Ordini religiosi, sia per la violenta espropriazione di parecchi collegi, che la S. C. possedeva in Roma a fine di educare e formare missionarii apostolici. Colla quale espropriazione unitamente all'obbligo del servizio militare imposto ai chierici e sacerdoti ha ridotto presso che a nulla le Missioni Italiane, e mette la Propaganda nella necessità di sostituire loro Missionarii di altre nazioni.

Fra queste grandi angustie ed amarezze che lacerano ogni cuore cattolico in Italia, havvi nondimeno la consolazione, che in paesi stranieri non manchino pie associazioni, le quali con vero

pae, novas illuc in dies colonias deducentis, actionem, nobis panditur; ubi idcirco innumeri populi ad civiles mores suscipiendos advocantur.

Haud equidem possumus non vehementer dolore confici, videntes ab sacro nos patrimonio utendo praepeditos, quod Catholici quique ad eas miserrimas gentes Evangelio civilibusque moribus imbuendos s. Congregationi Fidei Christianae propagandae, non vero rei publicae in Italia administratoribus, concrediderunt: videntes, inquam, necessarium evangelicorum Operariorum numerum cum ob inconsultam Religiosorum Ordinum suppressionem, tum vero etiam ob violentam quorumdam Collegiorum, quae haec eadem Congregatio, Evangelii praeconibus Apostolicis sibi educandis, Romae possidebat, subtractionem, nobis deficere. Qua quidem subtractione, itemque obligatione militiae nomen dandi Clericis et Sacerdotibus imposita, novus hic Dominatus Italicas Missiones fere penitus abolevit, atque hanc Fidei propagandae Congregationem ex aliis nationibus accitos Evangelii Praecones illis sufficere cogit.

Has inter angustias moeroresque, qui Catholicorum quemque in Italia dilacerant, solatio tamen recreamur, quod in exteris plerisque regionibus Societates, quaedam institutae iam sint, quae et sincero studio et assiduis curis praeclarissimum id opus, quod nimirum est populus ad Evangelii veritatem convertere, certatim

Digitized by Google

zelo e con assidue fatiche gareggiano nello aiutare la sublime opera della conversione dei popoli alla verità del Vangelo. Fra di esse la più imponente è certo quella della Propagazione della Fede, la quale anche malgrado le tristissime vicende attuali di Francia fà all'effetto sforzi veramente prodigiosi, raccogliendo non meno la ricca offerta del dovizioso, che l'obolo dell'umile figlio del popolo. Ma mentre essa gode dello accrescersi maraviglioso del movimento missionario, e della continua erezione di nuove Chiese fatta dalla Propaganda, sente il dispiacere di non poter fornire sufficienti dotazioni pel loro mantenimento e sviluppo.

Le Procure fondate dalla s. Congregazione nelle varie parti del mondo han già cominciato a ricevere lasciti e legati, che non bastano però ancora per sovvenire alle straordinarie necessità giornaliere in cui essa è costretta ad impiegare talvolta gli stessi nuovi capitali che liberamente amministra fuori d'Italia.

Sono queste le cagioni per le quali anche mi volgo nuovamente alla S. V. impegnando il suo zelo, affinchè voglia far nota ai cristiani la situazioue difficile di questo Istituto ed esortarli vivamente a dar mano col massimo ardore alle collette per le Opere pie della Propagazione della Fede nominata sopra, della

iuvare contendunt. In his praepotens, procul dubio, est Societas quae a Fide propaganda nomen mutuatur, quae his etiam luctuosis licet Galliae temporibus, ad hunc σκοπον obtinendum prodigio similes conatus edit, dum et pinguia divitum munera, et tenuem humilis plebicolae obolum colligit. At vero etsi illa catholicarum Missionum processum mirum in modum augeri, Ecclesiasque huius a propaganda Fide Congregationis opera fundari gratulatur; dotem nihilominus, quae iisdem tuendis provehendisque satis sit, moeret se conferre non posse.

Per Procurationes ab hac sacra Congregatione in plerisque Orbis regionibus constitutas, testamenta et legata iam recipi coepta sunt, quae tamen extraordinariis ac ferme quotidianis necessitatibus levandis non suppetunt; ex quo fit ut eadem s. Congregatio nova ipsa Capita, quae extra Italiam possidet, interdum cogatur expendere.

Hisce de causis Te, Illme ac Rme Praesul, iterum compello, tuum ipse studium excitans, ut difficilem huius Instituti conditionem Christianis tuae curae commissis patefacere, eosque impense adhortari velis ad pecuniam piis Operibus conferendam; cuiusmodi sunt societates quae a Fide propaganda, quam supra memini, vel a S. Iesu Infantia, vel a Scholis Orientalibus nuncupantur, aliisque id genus institutionibus huic scopo obtinendo statutis; atque etiam, quod ad ditiores spe-

Digitized by Google

s. Infanzia, delle Scuole di Oriente e delle altre associazioni istituite a simile scopo, ed anche, per quel che spetta ai più doviziosi, a consacrare generosamente una parte dei loro ricchi patrimonii alla più nobile e più santa delle cause, quella della Fede e della civiltà.

Innanzi al movimento odierno può dirsi con rigorosa evidenza che levando gli occhi si veggono le nuove e vaste contrade biancheggiare per una messe abbondante, e insufficienti sono gli operai, scarsi i mezzi per sostenerli. Sola la pietà dei fedeli e l'amore alla diffusione della civiltà cristiana può venire in aiuto al sublime ministero dell'Apostolato e farlo trionfare sulla terra.

Dalla Propaganda nella solennità dell' Epifania 1885.

G. Card. SIMEONI *Prefetto*

✠ D. Arciv. di Tiro *Segretario*

ctat, ad aliquam praepinguis sui patrimonii partem operi omnium facile nobilissimo, quod est Fidem Christianam civilesque mores propagare, generose consecrandam.

Inspecto enimvero Christianae Religionis progressu, qui id temporis explicatur, maxima qua potest evidentia affirmare fas est quod Christus ait: « Levate oculos vestros, et videte regiones quia albae sunt iam ad messem » et « Messis quidem multa, operarii autem pauci » mediaque ad eos sustentandos exigua. Una Fidelium pietas, unumque Christianae et civilis Ethices propagandae studium huic per quam praeclaro Apostolico muneri subvenire, eique triumphum parare potest.

Ex S. C. Propagandae Fidei, die solemni Epiphaniae Domini anni 1885.

C. Card. SIMEONI *Praefectus*

✠ D. Arch. Tyr. *Secretarius*



EX S. CONGREGATIONE CONCILII

FERETRANA

PII LEGATI

Die 13 Septembris 1884.

Compendium facti. Anno 1851 sex testatores pium legatum perpetuum celebrationis Missae pro diebus festis instituerunt, designando pro eiusdem legati implemento duos fundos, quorum nomen *Prati della Serra*, et *Prato de' Conti*, pro summa scutatorum 750 et pro annuali reditu scutatorum 30: dum valor et reditus horum fundorum multo excederent praedictas pecuniae summas.

Antonius Tombi, haereditate assecuta, piam testatorum voluntatem religiose adimplevit. Cum autem anno 1880 supremum diem obiisset, in universum ius tres sorores, ac nepotes ex duabus sororibus defunctis, successerunt; qui die 14 Ianuarii huius anni supplicem Sacratissimo Principi libellum obtulerunt exponentes, ipsos in haereditate dividenda id consilii coepisse ut pii legati satisfactio a Philumena Lonfernini assumeretur; verum haeredes prospicientes, fundos a testatoribus designatos pro legati adimplemento esse exuberantes, et praefinitam a fundatoribus summam excedere, in divisionem nonnullos ex eisdem fundis adduxerunt. Et constituendo pro dote eiusdem legati scutata 750 cum annuali reditu scutatorum 30, petierunt ab Apostolica Sede authentice declarari, talem pecuniae vim sufficere ad dictum legatum, et bona stabilia unius familiae Lonfernini subrogari posse pro cautione dotis et reditus cum inscriptione hypothecaria.

Digitized by Google

Disceptatio Synoptica

Summa demonstrative designata videretur. (1) Pro enucleanda eiusmodi controversia prae primis investigatum fuit an taxative vel demonstrative designata fuerit triginta scutatorum summa, qua Missarum onus sustineri deberet.

Sane nonnulli ex doctoribus ita distinguere solent: si fundus vel locus, unde percipienda quantitas legata, sit adiectus, et assignatus in eadem oratione, tunc assignatio taxationis vim habet; si vero in diversa oratione, tunc ipsi demonstrationis vis inest. Alii vero distinguunt utrum fundus sit adiectus ipsi legato, vel donationi vel substantiae contractus: an vero executioni et solutioni. In primo casu taxationis, in secundo vero demonstrationis vicem obtinere putant. Nam cum obligationis substantia in aliqua certa quantitate consistit, non mutatur obligatio, nec minuitur quantitas ex eo, quod testator fundum aut locum designaverit, ex quo eadem quantitas sit percipienda.

Huius autem doctrinae fundamentum repetunt ex *L. Quidam testamento ff. de Legat. 1,* in qua dicitur testatorem legasse « Pamphiliae aureos quadringentos... a Iulio actore » aureos tot, et in castris quos habeo tot, et in numeratos » quos habeo tot. » Porro etsi testator hos aureos in alios usus insumpsisset tamen « verosimilius est, respondebat » Iulianus, patremfamilias demonstrare potius haeredibus » voluisse unde aureos quadringentos, sine incommodo rei » familiaris contrahere possunt, quam conditionem fideicom» misso iniecisse, quod initio pure datum esset. » Hoc idem erui videtur ex *L. 27 ff. de Leg. 3, et L. 5 ff. de Trit. vino et oleo leg.* Hinc Averanius *Interp. Iuris Lib. 2 cap. 27* cum de hac controversia fuse disseruisset concludit: « Quo» tiescumque igitur apparet, testatorem voluisse demonstrare

(1) Notandum occurrit quod si haec summa dicatur designata *taxative,* hoc in casu haeredes tenentur tantum rependere dictam pecuniae vim pro Missarum celebratione; si vero designata dicatur *demonstrative* tunc haeredibus onus incumberet supplendi quidquid deficeret ad Missarum onus persolvendum.

Digitized by Google

» haeredi unde posset commode percipere quantitatem sol-
» vendam, tunc adiectio loci vel fundi conditionem non facit
» nec vicem taxationis obtinet. » Conditionem vero facit adiectio loci, et taxationis vicem obtinet quoties substantiae obligationis adiicitur *L. 1* §. *ult. ff. De Cond. et dem.*

Nec aliter ecclesiastici iuris scriptores sentire videntur. In idem enim recidere censeo regulam, quam ipsi tradunt, quamque iugiter S. C. C. fuit secuta. Praestat eam referre verbis De Vecchis et Benedicti XIV clarissimorum olim S. C. C. a secretis. Primus itaque apud Crispin. *De Visitat. Pastorali part. 2* §. *18 num. 6* ait: « Ad dignoscendum
» utrum quantitas sit taxata, an vero demonstrata non
» displicuit alias regula eiusdem Felini, ut quando testator
» incipit ab onere, et subinde subdit modum adimplementi,
» velut si dicat: celebrentur Missae centum, ad quem ef-
» fectum haeres meus solvet scuta ex. gr. decem: ex hu-
» iusmodi verborum formula, demonstrationem, non taxa-
» tionem intelligendam. » Ita docent Gratianus Perez, De Gara, Moneta, aliique relati a Pasqualigo *De Sacrif. nov. legis quaest. 1023.* Idem tenuit s. Rota *decis. 795 n. 7 coram Ansaldo;* in *Urbevetana Legati die 3 Decembris 1753* §. *6 coram Russio.* Ratio autem est, quia si testator onus assignaverit, et postea reditus pro eodem implendo, censetur illius adimplementum absolute voluisse, et reditum pro illius satisfactione destinatum demonstrative addidisse, Scarfant. *Animadvers. Ceccop. Lib. 9 Tit. 14 num. 2;* seu aliis verbis, simpliciter et pure voluit onus haeredi imponere, demonstravit tamen locum seu fundum ex quo absque rei familiaris incommodo posset haeres desumere pecuniam ad dictum onus adimplendum.

Quoties vero « dispositio exordiatur a designatione fundi
» seu dotis cuius reditus in praescripti oneris implementum
» sint erogandi, indeque progrediatur ad exprimendum defi-
» niendumque Missarum onus, tunc aiunt dotalis fundi
» constitutionem videri *taxative* factam; ita ut eo evicto,
» seu alias reditibus imminutis vel aucta stipendii taxa, non

Digitized by Google

» ad supplementum, sed ad reductionem Missarum superio- » ris cura converti debet, Benedict. XIV *De Syn. Dioe-* » *ces. lib. 13 cap. ult. n. 32.* » Et merito, cum enim alicuius fundi reditus ad onus explendum pure statuuntur, satis apparet, testatorem voluisse ceteros fundos ad haeredes liberos pervenire, et determinationem redituum designati fundi taxationis vicem obtinere. *L. 5 De trit. vin. et ole. leg.* Huic regulae adhaeserunt, praeter allatos doctores, Pignat. *Cons. 1101 tom. 9;* Barbosa *De officio et potest. Episc.;* Crispinus in *Visitat. Past.;* s. Rota in *Romana Supplementi et applicationis die 11 Iunii 1731* §. *Tunc coram Abdovrando;* et in *Romana Salviani 16 Februarii 1753 coram Molino,* eamque pluries sancivit S. C. C. quae eamdem inculcat, cum facultatem Missas reducendi indulget.

Hisce positis regulis, sedulo inquirendum superest, an et quomodo in themate applicari possint. Profecto, ordine dispositionis inspecto, satis apparet demonstrative tantum 30 scutatorum summam adiectam fuisse. Testatores enim pure et simpliciter ab onere statuendo exordiuntur; ac tantum in subsequenti paragrapho pecuniae summam pro Missis litandis, et praedia ex quibus desumendam assignant. Ex quibus verbis apparet, testatores apprime voluisse, designata praedia huius legati vinculo iugiter subiecta manere; haeredes autem, Missarum oneribus fideliter expletis, superextantibus redditibus perfrui posse.

Verum parumper etiam admisso, dubium aliquod extare, illud in casu certum est et innegabile, testatores voluisse perpetuum Missarum onus pro quibus memorata praedia obligarunt. Iamvero in dubio an taxative vel demonstrative legatum relictum sit, cum piae causae favor tunc subintret, pro demonstratione iugiter standum foret *arg. L. 40* §§. *Seia ff. De auro argen. leg.* Amostazo *De causis piis Lib. 2 cap. 6 n. 15;* Surd. *De alim. tit. 8 Priv. 25 n. 6.*

At praestat audire clarissimum De Luca, qui *Disc. 14 De Legatis,* huiusmodi quaestionem pertractans docet, quod

Digitized by Google

« in dubio potius pro demonstrativa, quam pro taxativa » respondendum sit, praesumendo voluntatem disponentis eo » modo, quo melius ac pinguius illa impleri potest ex con- » clusione, ut quemadmodum in legatis prophanis seu alias » ob praesumptam maiorem haeredis dilectionem ambiguam » seu aequivocam interpretandum est ut minus gravet, ita » e converso pia legata interpretationem habeant in oppo- » situm. » Cui concinunt tum Bened. XIV *De Syn. Dioeces. lib. et cap. cit. n. 33;* tum Altoviti S. C. C. olim Secretarii, qui in voto exarato in causa Brixien. *diei 1 Decembris 1685,* postquam pro regula posuerat, in dubio existimandum esse, fundum demonstrative non autem taxative designatum fuisse, ita pergit: « Attamen haec regula pro- » cedit vel quando fuit legata quantitas, vel quando fuit » legata res in genere, vel quando fuit legata res in specie, » quae remanet penes haeredem habentem onus curandi ce- » lebrationem. » Quae in themate mirifice aptantur.

Tandem illud perpendere iuvat, fundatores ad Missarum onus explendum praedia designasse; in praesentiarum eadem extare, eorumque reditus ad id satis superque reperiri. Nulla igitur adesse ratio videtur cur haeredes haud teneantur ad testatorum voluntatem adimplendam quoscumque reditus pro Missarum satisfactione necessarios impendere. Cum itaque luculenter appareat memoratam summam demonstrative designatam fuisse, sponte consequitur oratorum preces reiiciendas esse.

Et re quidem vera testatores prohibuerunt ne praedia possint unquam dividi aut frangi: ast ex utroque iure testatorum voluntas, legis instar habetur. Et R. Pontifex ipse hanc non immutat voluntatem, nisi rationabilis subsit causa. Haec vero in themate prorsus abesse, et illa ab oratoribus allata flocci facienda videtur. Cum enim ingentem summam libellarum 110,000 inter se diviserint, ingratitudinis notâ erga suos consanguineos inurerentur, si pingui portione minime contenti, exiguam haereditatis partem pro sacris piacularibus assignatam inhiarent.

Digitized by Google

Praeterea circa fundos qui nunc pro satisfactione legati assignari vellent, animadversum fuit, eos esse praediola sterilia; praedia vero a testatoribus assignata pinguia esse. Et ulterius haud oblitum fuit recolere quod petitio oratorum laederet ius acquisitum populo, in cuius commodum legatum Missarum institutum fuit. Iamvero assignata tantum 30 scutatorum summa si nunc temporis difficulter invenitur Sacerdos, qui pro tam exiguo stipendio huiusmodi onus perferre velit, tractu temporis ad Missarum reductionem certe deveniendum foret. Hinc christiana plebs acquisito iure partim privaretur, quod apertam iniustitiam redoleret, cum utrumque ius amico foedere conclamet summam iniuriam esse ius alicui quaesitum auferre. Quare praecipui Paroeciae incolae iure meritoque opponuntur haeredum petitioni.

Summa taxative designata videtur. Ex altera vero parte animadversum fuit quod etsi ordine dispositionis inspecto, quae superius allata sunt, manifestam causam contra Oratores dicere videantur, haud tamen est praeclusus aditus tutiori investigationi diversae voluntatis defuncti. Ferraris *Bibl. can. appen. ad verb. Legatum.* Quandoquidem non desunt auctores, qui docent inchoationem scripturae ab onere nonnisi probabile argumentum praebere; Mantic. *De coniecturis lib. 12 tit. 6 n. 24,* Lanfredin. *Respons. Eccles. 42 n. 4.* Quibus consonat Card. De Luca, qui *Discept. 14 n. 9 et seq. de Legatis,* ait quod « scribentes pro consueta leguleica insipidura, totam vim constituere soleant in verborum ordine... Attamen, pergit inferius, mihi id numquam placuit, quoniam ex propositione prae oculis semper habenda, ut non cortex et figura verborum, sed substantia veritatis attendi debeat: erroneum videtur ita generaliter decisionem regulare cum hac formalitate verborum, quae potius Notarii quam testatoris esse videtur. »

Quapropter illud observandum est, quid praecise voluerunt testatores, non quod coniecturis eruere possumus. Iam-

Digitized by Google

vero ex toto fundationis contextu satis apparet testatores voluisse gravare haeredes, seu possessores fundorum ibidem memoratorum, determinatâ pecuniae summâ, eamque expresserunt. Ex quibus sponte fluere videtur, testatores damnasse haeredes ad pecuniam numeratam solvendam, quam ipsi designarunt, quae designatio taxativa dici posset, cum velut legatum quantitatis esset.

Id vero magis magisque suadetur ex eo quod sex testatores pro legati satisfactione 30 scutatorum summam assignantes, quilibet quinque scutata statim addiderunt: huius legati satisfactio incipiet, pro contingenti rata, post obitum cuiuslibet ex nobis. Ideoque cum ipsorum unus suum diem obiisset, quinque scutata pro sacris faciendis impendenda erant, ac proinde, omnibus ex hac vita migratis, haeredes nonnisi 30 persolvere tenebantur. Hoc profecto ostendere videtur, memoratam pecuniae vim taxative statutam fuisse.

Fortius autem id admittendum si perpendantur postrema dispositionis verba, quibus eorum mentem clarius explicantes ita concluserunt: ad obstacula devitanda, pro legati implemento, constituimus summam triginta scutatorum in annum, ut, iuxta adiuncta, eleemosyna augeri aut imminui Sacerdoti celebranti posset. Ex quo satis apparet voluisse ne haeredes maiorem pecuniae summam ad id opus impendere deberent...

Neque vero ex coniecturis causam piam adiuvari posse censendum est; praeter enim quam quod in dubiis pro haerede standum *L. Idem Iulianus ff.* §. *Scio De Leg. 1;* Surd. *De alim. tit. 8 n. 2,* et in obscuris quod minimum est sequendum *Cap. 30 De Reg. Iur. in 6* et *L. 9 ff. eod.* illud profecto praesumi non posse videtur, testatores scilicet, qui tantâ diligentiâ legati onera, et reditus descripserunt, haeredis onera neglexisse, casu quo statuti reditus non sufficerent. Quapropter apparet effatum illud aptari themati posse, testatores quod voluerunt expressere.

Minus autem officere retinendum est, quae ex auctoribus superius allata sunt, quandoquidem illa respicere posse vi-

Digitized by Google

dentur casum, quo reditus a testatore statuti defecissent, tunc enim haeres supplere teneretur totum id quod summam a testatore volitam, pertingeret. Ast in casu id quod fundatores voluerunt adest, summâ ab ipsis praescripta in promptu est; nullam igitur apparet rationem extare cur haeredes gravandi forent, plusquam a testatoribus statutum fuerit. Quibus rationum momentis Episcopi votum accessit.

Extra controversiae aleam igitur posito, memoratam pecuniae summam taxative fuisse statutam, haud immorandum est in ostendendo oratorum votis esse favendum. Cum enim ex dictis satis constare videatur, nonnisi 30 scutata pro legati satisfactione impendenda fore, dummodo huiusmodi reditus in tuto positus sit, parvi refert num haeredes praedia, vel superextantes reditus inter se dividant.

Quoad reditus autem securitatem haud ambigendum apparet, cum in ruralibus fundis sit constitutus, et ipse Praesul nullam exinde difficultatem moveat.

Hisce aliisque pro utraque parte disputatis, proposita fuerunt dirimerenda

Dubia.

I. *An annua summa scutatorum 30 demonstrative vel taxative pro pii legati satisfactione designata fuerit in casu.*

II. *An et quomodo annuendum sit Oratorum precibus in casu.*

Resolutio. S. C. C. re cognitâ, die 13 Septembris 1884 respondere censuit: – *Ad I. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam. Ad II. Negative in omnibus.*

Ex quibus colliges. I. Haeredes in themate onere teneri supplendi quidquid pro adimplemento legati Missarum deficeret, quatenus, decursu temporis, aut fundi deperirent, aut summa scutatorum triginta par amplius non esset oneri implendi: eoquod fundatores perpetuum esse voluerunt eiusmodi Missarum onus.

II. Quatenus dubium extet an legatum relictum fuerit

Digitized by Google

demonstrative vel *taxative*, pro demonstratione ex DD. standum esse, quoniam eo in casu subintrat favor causae piae, praesumendo talem esse voluntatem disponentis, ut melius et pinguius illa impleri possit.

III. Ad dignoscendum utrum quantitas sit *demonstrata* prospiciendum esse, an testator incoeperit ab onere et postea innuerit modum illud adimplendi: sic enim agendo testator voluit pure ac simpliciter imponere onus haeredi, et solum demonstravit fundum ex quo desumere posset haeres pecuniam ad oneri satisfaciendum.

IV. Quod si testator exordiatur a designatione fundi; cuius reditus sint erogandi in adimplemento oneris, et dein onus Missarum definiat, tunc constitutionem fundi videri *taxative* factam; ita ut eo evicto, seu alias, redditibus imminutis, vel aucta stipendii taxa, haeres non teneatur ad supplementum.

V. In themate testatores videri incepisse ab onore constituendo pure ac simpliciter; et demonstrative adiecisse summam triginta scutatorum pro missis litandis, designando fundos ex quibus ea vis pecuniae esset haurienda.

FOROSEMPRONIEN.

DEROGATIONIS. VOLUNTATIS

Die 13 Septembris 1884.

Per Summaria precum.

Compendium facti. Aloysius Battistini forosemproniensis anno 1879 universales haeredes filios inscripsit; uxori vero Catharinae usumfructum omnium bonorum legavit, hac tamen lege, ne ad alia vota transiret; quo in casu illico ususfructus eius favore cessare deberet. Ast viro demortuo, Catharina quum adhuc esset in florenti aetate, viduitatis statu fere statim pertaesa, preces Episcopo exhibuit ut sibi venia daretur matrimonium coram Ecclesia cum Iosepho con-

Digitized by Google

trahendi, ea tamen conditione, ut ad implenda civilis legis caeremonia dispensaretur, ne usumfructum a defuncto viro sibi relictum amitteret. Quod Episcopus iteratis precibus denegavit, mulier petiit ab Apostolica Sede, ut devitaret ait illa, incontinentiae periculum, sibi imminens ex nimia consuetudine cum Iosepho.

Disceptatio Synoptica

Preces respuendae videntur. Quamvis enim caelibatus conditio pro non adiecta habeatur, si haeredi vel legatario, qui numquam nupsit, adiiceretur *L. Quoties 25, L. Cum tale 72 ff. De condit. et demonstr.* respectu tamen viduae uti valida ac licita ab utroque iure admittitur, Sanchez *lib. 7 De Matrim. dict. 91 num. 16*, Guttier. *De Matrim. cap. 111 num. 1*, Gonzalez *De Matrim. tit. de secund. nuptiis n. 9*, Reiffenstuel *cit. tit. num. 49*, ita ut mulier ad alia vota transiens statim amittat quidquid a viro sibi legatum fuit. Et merito id statutum apparet, cum aequitati maxime consonet, ut mulier, alio inito foedere, bonis illius coniugis privetur, cuius nedum memoriam obliterasse, sed voluntatem etiam spernere demonstrat. Cum autem ex nostrorum temporum nequitia ecclesiasticum matrimonium a civili potestate nihili existimetur, hinc Catharina conditionem a viro in elogio appositam parvipendens, coniugium coram Ecclesia inire, ac simul integrum bonorum usumfructum sibi retinere vellet: quod apertam fraudem contra testatoris voluntatem involveret, cuius executio ab ecclesiastica potestate impedienda videtur.

Perpendendum insuper Oratricis nuptias in maximum duorum filiorum detrimentum vergere. Quod ipsi Romani Iurisconsulti intelligentes probe sanxerunt, ut mater ad alias nuptias pervolans, nedum filiorum prioris matrimonii tutela privaretur, *L. Mares 2 Cod. Quando mulier tutelae officio fungi potest, Authentica Sacramentum, et L. Si Pater 3 Cod. eod.;* sed etiam ab eorumdem cura gerenda arceretur, *L. Quod si nolit 31 §. 13 ff. De Aedilitio*

Digitized by Google

edicto; Reiffenstuel *lib. 4 Decretal. tit. 21 num. 39,* Sanchez *De matrim. lib. 7 disput. 88 num. 4 et 11.* Gravissima siquidem praesumptio adest, matrem negligere curam filiorum prioris matrimonii, eorumque bona in filios ex altero coniugio natos impendere. Neque filiis coram civili lege remedium ullum suppeteret, ut contra matris agendi rationem iura sua vindicare valerent, quia mater numquam civilem coeremoniam, *matrimonium civile,* expleret.

Preces excipiendae videntur. Verum ex adverso recolere iuvat, Romanum Pontificem pro amplissima, qua gaudet potestate, quascumque testatorum voluntates immutare valet, licet exinde alterius quaesiti iuris detrimentum indirecte sequatur. Clement. *Quia contigit 2 De religiosis domibus. Trid. Conc. sess. 22 cap. 6 de Reform.* Fagnan. *de Iure Patron. part. 5 can. 11 Cas. 4 num. 2,* Fagnan. *ad cap. Caeterum de Rescript. num. 18 ac 26.* Rationabilis quidem causa requiritur, at haec in themate minime deficere videtur. Sane Catharina iuvenilem aetatem adhuc agit, virum, cum quo coniugium inire cupit, vehementer deperit, et apostolicum indultum enixe efflagitat ad evitandum periculum concubinatus.

Inter iustas causas, quae Summum Ecclesiae Pastorem ad voluntatis commutationem devenire suadent, gravissima profecto verificari videtur cum aeterna animarum salus in discrimen adducitur. Eiusdem enim est omnem impendere curam, ne oves sibi commissae misere pereant, et earumdem fragilitatem commiserans quamcumque peccandi occasionem removere, ut ad caeleste ovile feliciter perducat. Nec expectandum iuxta monitum Cosci *De separ. tor. coniug. lib. 3 cap. 2 num. 107* « ut veniant scandala ad praestandum » remedium, sed cum praevidentur sive timentur ad pater» num supremi Ecclesiae Moderatoris officium spectat im» minentibus malis opportune providere. »

Nec huiusmodi voluntatis commutatio testatoris menti absolute contraria videtur. In primis enim tuto praesumi posse censendum est ipsum, conditionem illam adiiciendo, minime

Digitized by Google

putasse suam uxorem in iuvenili aetate relicturum fore. Praesumi ulterius potest, quod si perspiceret ex praefata conditione aeternam uxoris salutem periclitatam iri, ab illa prorsus abstinuisset. Haud omittendum etiam scandalum, quod in duos filios derivaret, si cernerent eorum matrem inhonestam vitam agere. Quod si Catharina usuifructui renuntiare detrectat, commiseratione digna videtur, quia secus ipsi deficerent quae honestae sustentationi sunt absolute necessaria.

Cum itaque animarum salus in Ecclesia suprema lex sit, cumque Oratrix ab inito consilio removeri nullo pacto valeat, satius expedire videtur, ut ea dispensatio indulgeatur, quae verbis quidem testatoris opponitur, at eiusdem praesumptae voluntati cohaeret. Damnum autem materiale quod exinde filiorum iuribus obveniret, nihili ferme ducendum apparet si comparetur cum gravissimo scandalo, et spirituali damno, quod ex funesto incontinentiae matris exemplo sequeretur.

Quibus in utramque partem adductis, quaesitum fuit quomodo oratricis preces essent dimittendae.

Resolutio. Sacra C. Concilii re perpensa, sub die 13 Septembris 1884 censuit respondere: *Negative.*

Ex quibus colliges. I. Ex utroque iure mulierem ad alia vota transeuntem amittere quiquid a viro sibi relictum fuerit; quum id faciendo eius memoriam obliteret eiusque voluntatem spernat.

II. Hinc ex iure civili antiquo mater, quae novas iniret nuptias, tutelâ filiorum prioris coniugii privabatur, et arcebatur ab eorumdem cura: gravis enim praesumptio recurrit, matrem illos filios negligere et istorum bona impendere in filios secundi coniugii.

III. In themate filii prioris matrimonii, quatenus negligerentur, aut in suis bonis, matris operâ, damnum persentirent, nullum haberent remedium ex lege civili, quae matrimonium ecclesiae parvipendens, matrem censeret ad secunda vota non transiisse; ita ut usumfructum sibi legatum non amisisset.

Digitized by Google

CIVITATIS CASTELLI

FUNERUM

Die 20 Decembris 1884.

Compendium facti. Anno 1882 Theresia Pasqui se contulit in Hospitale civitatis Castelli, quod comprehendit Nosocomium, Orphanotrophium, et Brephotrophium, ut aliquo tempore conversaretur cum filia, quae praeerat monialibus ad infirmorum adsistentiam vocatis. Inibi nobilis femina nec opinato morbo correpta, diem vitae suae obiit supremum. Verum, infirmitatis tempore, iussit ut eius cadaver deportaretur in Pagum *Celle* apud suae familiae sepulcrum gentilitium; et ut funus expleretur Civitatis Castelli; pro quo statuit ut pars erogaretur libellarum 500, quas pro suis suffragiis legaverat. Cathedralis Ecclesia censuit funus eiusmodi sibi competere (1), tamquam si ageretur de peregrina persona. Mos enim est, isque per se canonicis praescriptionibus apprime consentaneus, ut pro advenis et viatoribus, in Civitate non acquisito domicilio morientibus, cathedralis Ecclesia stet loco paroeciae. Capellanus vero Hospitalis censuit sibi et non alii pertinere funus agere pro nobili defuncta, ex decreto Visitatoris apostolici Gazzoli, per quod anno 1774, Ecclesia hospitalis in paroeciam erecta fuerat pro infirmis, expositis, alumnis, famulis et personis omnibus in hospitali morantibus.

In hac porro controversia Episcopus rogatus, provisionale decretum ſtulit, quo statuit, ut missa exsequialis a clero hospitalis in sua Ecclesia celebraretur, associatio vero cadaveris ab hospitali usque ad Civitatis portam a Cathe-

(1) Funus, de quo quaestio enata est, coarctatur ad missam exequialem et associationem cadaveris usque ad portam civitatis; ubi illud pro sepultura assumendum erat a parocho loci *Celle*. Notare etiam libet ex nullo capite iuris competere Capitulis Cathedralium funera peragere pro peregrinis et advenis: ideoque solam consuetudinem, ubi invaluit, effecisse ut peregrinorum et advenarum funera a Cathedralis parocho expleri valerent, praelative ad alios civitatis parochos.

Digitized by Google

drali exclusive fieret. Sed vero decretum quum neutri arriserit parti, recursum fuit ad s. Cong. Concilii.

Disceptatio Synoptica.

IURA CAPITULI CATHEDRALIS. Animadversum fuit funera considerari ut quid unum, nec ius funebris officii a iure humandi cadavera secerni ac dividi posse, s. C. C. in *Veglen. 15 Iulii 1882* §. *Scilicet*, et ibi *Text. in cap. Cum liberum 6, et in cap. In nostra 10 de Sepult.;* Vecchiotti *Inst. Can. L. 3 cap. 5,* §. *61 in nota.* Ideoque si quis in Ecclesia exempta aut alia paroecia sepeliri elegerit, tunc ad parochum defuncti proprium spectat quidem benedictionem cadaveris ante levationem, praecinere antiphonam - Exultabunt - s. C. C. in causa diei 20 Decemb. 1828 *Iur. Paroch.,* sicut nemini licet corpus e domo aut e loco ubi ex voluntate familiae depositum est levare, proprio parocho irrequisito: qui imo per se teneretur defunctum ad Ecclesiam tumulantem comitari; Vecchiotti *l. c.* S. C. RR. in *Senogall.* 22 Iunii 1685 *ad 4.* Sed ducere funus, elevare Crucem per vias, officium et missam *de requie* celebrare ad Ecclesiam tumulantem spectat; S. C. C. in *Viterbien.* 16 Septembris 1826: ad quam Ecclesiam cadavera recto tramite sunt deferenda, quin ad parochialem prius asportentur; S. C. C. in *Foroliv.* 26 Ianuarii 1833 ad *primum Dubium.*

Et quum hodie humationes in templis lege civili fieri vetentur, indubium pariter est quod Ecclesia quae ius tumulandi prius habebat, modo illud in coemeterio exercet; S. C. C. in *Ariminen. Funerum* 16 Iunii 1827 *ad 4 et 5 Dub.* Ideoque post peractum funebre officium Ecclesia tumulans, etsi sit Regularium et exempta, absque interventu parochi loci potest cum stola et cruce ordinare usque ad sepulcrum processionem, ibique funebrem coeremoniam complere; ut in una *Ordinis Praedicatorum* S. C. C. decrevit iuxta Vecchiotti §. *62 in nota l. c.*

Verumtamen quamvis haec certa ac de iure communi sint, tamen ipsis derogari posse pacto convento inter partes,

Digitized by Google

expressa defuncti voluntate et consuetudine indubium pariter est ad tradita per Vecchiotti *l. c.* §. *60 in fine*. Et de consuetudine in specie quanta sit eius efficacia in moderando iure communi funerario docet *Faventina Praeeminent. et Funer.* 11 Aprilis 1761 ad §. 5. In themate igitur quantum vel iuri communi, vel consuetudini sit concedendum, vel quomodo haec sint inter se componenda, S. C. C. ex inferius a partium allegationibus deducendis facile patebit.

Porro Capitulum Cathedralis, ut suam thesim defendat, multa praeprimis loquitur ad evincendum, hospitale non esse paroeciam: non heic enim, inquit, aut electio parochi iuxta canonici formam concursus, aut perpetuitas, aut connumeratio eius cum aliis civitatis parochis, non denique territorium, non itaque plura quae ad parochiam vere constituendam requiruntur.

Hoc tamen non obstante, facile Capitulum concedit, capellanum hospitalis ius parochiale de Monialibus, orphanis et expositis puellis habere, sed veluti ex privilegio ac restrictive. Itaque ius parochiale non haberet de infirmis in nosocomio fortuito vel ad breve tempus, ut evenire solet, morbi curandi causa, degentibus. Idque suaderi vult ex ipso decreto Gazzoli; ubi ius parochiale conceditur Capellano privative quoad aegrotos, omnesque personas in dicto Hospitali *morantes*.

Sed quaestione generali parumper praetermissa, et de iure funeris in specie pertractans, sustinuit Capitulum plura esse argumenta sive indicia, quae suadent Capellano ius tanquam parocho non esse funerandi cadavera mortuorum in nosocomio. Animadvertit enim Episcopus quod si familia defuncti in hospitali velit, etsi defunctus nihil disposuerit, posset cadaver deferri ad propriam paroeciam, pro funere et sepultura, praeviâ solutione unius scuti favore loci pii, quod tamen traditur inservientibus hospitalis.

Circa quae observavit Capitulum: si cadavera ad propinquorum libitum extrahi ex hospitali possunt, non est hoc ipsorum vera paroecia; quandoquidem quisque sibi, non tamen

Digitized by Google

alius alii, extra paroeciam sepulturam eligere potest, et solum excipitur casus impuberi, pro quo pater eam eligit ex cap. *Licet De sepult. in VI.* Quod si solvatur scutum, hoc quartae funerariae in recognitionem proprii parochi rationem habere non potest; tum quia non est portio canonica funeralium, sed taxa fixa; tum quia nec Capellano nec Ecclesiae solvitur, sed hospitalis ministris; itaque ad tradita per Ferraris v. *Quarta funer. num. 7-16*, heic non ageretur de quarta canonica. Potius igitur dicendum foret haberi hic oblationem piae domui, gratitudinis ergo, largitam.

Quod si in cella mortuaria de defunctis in nosocomio exsequiae celebrentur, hoc tamquam aliquid privatum et ex tollerantia aliorum parochorum permissum considerari posse: idque suspicari licere ex facto quod solemnia funera numquam in publica hospitalis Ecclesia celebrata sint. Demum Capitulum sollicitum fuit enumerare plures casus, in quibus defuncti in nosocomio, alibi funus ac sepulturam obtinuerunt.

Quae cum ita sint censuit Capitulum, hospitale erga adventitios infirmos ius funeris neutiquam habere; nec proinde erga defunctam Pasqui: imo et a fortiori, quia haec dives erat et in hospitali, fortuito, recepta erat; ideoque se in eam tamquam advenam id ius habuisse. Cum enim in civitatem ipsa venisset ex causa non diuturna, sed momentanea, non potest censeri heic domicilium aut quasi domicilium acquisivisse; Ferraris v. *matrimonium* §. *2*.

Obiicientibus autem, hanc mulierem sepulturam in propria paroecia *Celle* elegisse, atque ita a iure funerum Cathedralem exclusisse, idem Capitulum respondit, id primum non respicere associationem cadaveris usque ad Civitatis portam. Ex antiqua enim consuetudine externi parochi ingredi Civitatem non possunt ad levanda cadavera suorum, licet subditorum: hospitalis autem Capellano ius non est egrediendi e pia domo ad funera defunctorum in nosocomio solemniter ducenda, quia praxis est contraria. Itaque conclusit, quod Marchionissae associatio in omni casu Cathedrali spectare debebat, quinimo etiam funebris Missa. Pia enim mulier

Digitized by Google

voluit, ut quamvis humatio in pago *Celle* fieret, missa tamen exequialis in Civitate Castelli celebraretur. Et cum neminem ad hoc designaverit, re ipsa intelligendum est, hoc spectare cui de iure, nempe Cathedrali.

Parvipendendum autem reputavit Capitulum quod ex adverso subnectitur, videlicet testatricem reapse Ecclesiam hospitalis pro hoc funere designavisse: etenim de hoc nec verbum nec vola in testamenti tabulis; porro testator quod voluit expressit.

IURA HOSPITALIS. Ex altera parte supervacaneum Capellanus reputavit disserere de iure parochiali, quod semper idem exercuit super moniales, hospitiorum puellas, quas etiam matrimonio coniungit, nec non super nosocomii infirmos; sed potius sermonis aciem direxit ad evincendum in specie ius funeris de nosocomii defunctis.

Atque hoc erui posse apprime censuit ex ipso decreto Gazzoli, ubi hospitalis Ecclesia in propriam paroeciam erigitur ac constituitur pro aegrotis, cunctisque personis in Hospitali *morantibus*. Quod verbum *morantibus* omne eliminat dubium; nam *morari* aut *commorari* innuit mansionem temporis etiam brevissimi, et longe differt a verbo *habitare* quod indicat moram longioris temporis. Hinc Cicero ait: *commorandi natura diversorium nobis, non habitandi dedit*.

Cui philologico sensui convenit etiam usus iuridicus; nam in Codice, seu *Regolamento Legislativo e Giudiziario*, edito a Gregorio XVI die 10 Novembris 1834 ad §. 428 legitur: locus *morae* est ille, in quo reus conventus *temporaneam habet mansionem*. Itaque hospitale videretur esse propria quorumcumque infirmorum illic degentium paroecia, ac proinde proprius etiam funeris locus iuxta cap. 3 *de sepult. in VI*. Et convenit consuetudo, quae ut notum est, optima dicitur legum interpres. Siquidem Capellanus passim exsequias super cadavera agit, eaque ad coemeterium associat. Dicere autem quod hoc fiat ex parochorum assensu et tollerantia, gratuita est assertio; et ei qui dicit incumbit

Digitized by Google

probatio ex *L. 2 ff. de probat.* Dum verosimilius coniiciendum foret, ius funerandi exerceri in vim decreti Gazzoli, quo hoc ius, saltem interpretative, nosocomio videtur concedi.

Quomodocumque vero consuetudo, quae ut in themate a saeculo perdurat ex iusto titulo, videlicet ex praefato decreto, verosimilius derivat, et bona fide observata est, haec inquam consuetudo per viam praescriptionis inducit ius; - Ferraris *v. Consuetudo num. 26* - et servitutem positivam imponit - Reiffenstuel ad Tit. *De Praescript.* §. *14;* Ferraris v. *Servitus num. 30* - quae solo acquiritur exercitii facto - *L. Si quas 1, L. Si aquam 2 Cod. De Servit.*

Neque aliquid proficit dicere, quod funera veluti privatim in cella mortuaria celebrentur. Etenim et ista, quamvis paulo remissiora; vera tamen sunt funera. Si autem absque solemnitate agantur, id derivat, quia in nosocomio, ubi circiter 60 infirmi quotidie versantur, plures aliquando in die moriuntur, qui ordinario sunt pauperes: impossibile ergo foret pro singulis solemnia parentalia habere. Ceterum ex eo quod ordinario privatim celebrantur funera, non est, ut videtur, consequens quod solemnia fieri non possint. Imo est praesumptio in contrarium; siquidem tum in facto tum in iure funera pauperiora a ditioribus non distinguuntur, sed qui potest agere haec, ipse valet et illa. Et haec praesumptio favore hospitalis id operatur, ut onus probandi, evincendi videlicet quod piae domui non sit ius solemniora funera agendi, transferat in Capitulum. Quotiescumque enim praesumptio iuris stat pro una parte onus probandi transfertur in alteram cap. 2 *de rest. spoliat. in VI.*

Porro Capitulum suum assumptum probare nititur, edicens, numquam haec solemnia funera in Ecclesia hospitalis celebrata esse. Sed praeprimis hoc esset argumentum negativum, et, ut omnes norunt, in negativis praescriptio non datur; aut incipit tantummodo per prohibitionem ne aliquid fiat et subsequentem acquiescientiam prohibiti; *L. Sequitur* §. *si viam ff. De usu cap.: L. Qui lumina ff. De servit.*

Digitized by Google

urban. praed. Quod in themate non verificatur. Insuper Capellanus opposuit Capitulo attestationem a duobus viris et sex monialibus hospitalis subscriptam, in qua affirmatur eosdem vidisse funera peragi in Hospitali pro nonnullis infirmis, inibi mortuis, istorum vel parentum expensis. Et in eumdem sensum concurrunt duo vetera documenta quae fortuito in archivio hospitalis sunt reperta – non enim de funeribus adest regestum –; in quorum primo legitur, anno 1827 parochum s. Aegidii quartam petiisse ex funeralibus cuiusdam suae paroecianae quae in nosocomio defuncta, ibi in Ecclesia funebres habuerat honores; ast administratio Hospitalis quae tunc constituebatur ex quatuor Canonicis et Praeposito Cathedralis, una simul cum Episcopo declaravit, nullum parocho illi ius competere super dicto funere. In altero autem diei 2 Ianuarii 1842 narratur, quod mortua in nosocomio quaedam Moretti, ibi funus obtinuit, quin tamen ullus ex adverso obmussitaret, vel aliquid peteret.

Si tamen, quod conceditur, frequenter de nosocomii defunctis funera non celebrentur in Ecclesia hospitalis, hoc ex multiplici causa derivat. Primum enim qui ibi decedunt ordinario tenuiores sunt; meliorem vero nacti conditionem, si hic decedant, alibi sepulturam eligere consuescunt, qui usus ex veteri et iam obsoleto motivo inolitus est. Etenim iam ab annis 40, antequam hoc a civili auctoritate praeciperetur, hospitalis administratio decreverat alibi tumulationes fieri quam in Ecclesia: at vero foedum plerisque tunc videbatur in dissito coemeterio sepeliri; atque ita nata est in civitate aversio a funere in hospitali obtinendo; et sic etiam explicatur carentia ibi solemniorum exequiarum.

Quod si subnectatur non solum ex defunctorum electione, sed etiam ex familiarum voluntate cadavera alibi ab Ecclesia hospitalis sepulturam consequi saepius potuisse, Capellanus idem respondit, se, cui perspecta erat civium aversio a funeribus hospitalis, ne plurium invidias occurreret, ad morem publicae opinioni gerendum, libenter permisisse cadavera efferri. Taxam tamen semper exegisse; quod factum

Digitized by Google

parvipendi non potest. Nam si hoc scutum quartae funerariae rationem rigide habere non potest, tamen aliquod est iuris hospitalis indicium: siquidem cum cessio funeris non fiat nisi soluta taxa, hoc innueret quod funeris ius proprium hospitalis est. Ceterum ex eo quod Ecclesia aut etiam hospitale, ut ad rem De Luca *De paroch. discept. 23,* ius quartae funeralis exigendae non habeat; non est ex hoc concludendum huic Ecclesiae aut hospitali ius funerandi super suos subditos non esse, Ferraris v. *Quarta num. 8.*

Et haec in genere de suo iure Capellanus dicta esse voluit; sed in casu particulari Theresiae Pasqui fortius sibi prae Cathedrali id ius competiisse censuit. Iuxta enim superius allegatam attestationem duo viri, et hi quidem testamenti testes, et sex moniales, inter quas ipsa defunctae filia, uno ore confessi sunt quod nobilis infirma tum ante tum post testamentum, voluntatem pandiderit, ut funus fieret in Ecclesia hospitalis, et cadaver deferretur in sepulcrum gentilitium, quatenus in Civitate moreretur. Hinc animadversum fuit quod semel evicto iure agendi funera, in vado quoque positum sit oportet ius associandi cadavera ad sepulturam, quod ius non est nisi pars aut consequentia prioris.

Sed Episcopus, in contrariam abiit sententiam et missam exequialem hospitali, associationem vero Cathedrali tribuendam censuit. Cuius decreti rationem in eo ipse posuit, quod cum funebris coeremonia celebranda esset in pago Celle, et funera sint quid unum, iam missa *de requie* in Civitate celebranda considerari debuerat veluti simplex devotionis, aut liberalitatis actus, a familia defunctae exhibitus Hospitali, gratitudinis ergo; a quo tamen nullum gignitur ius alicuius favore. Sed associatio a Cathedrali erat peragenda; quia nulla adest ratio, ait Episcopus, ut Capellanus solemnia ducat funera defunctorum in hospitali, qui ad alias Ecclesias transferendi sint: nam istius iurisdictio haud praetergredi potest hospitalis limites; et quia Episcopus supposuit

Digitized by Google

etsi non dixerit, quod ius funerandi, aut saltem solemniter funerandi, hospitali non sit.

Hisce aliisque praenotatis, propositum fuit diluendum

Dubium

An missa exsequialis et associatio cadaveris Cathedrali spectabat in casu.

RESOLUTIO. Sacra Congr. Concilii, re perpensa, sub die 20 Decembris 1884, censuit respondere: - *Confirmandum esse decretum Episcopi.*

EX QUIBUS COLLIGES. I. In themate iuri communi derogatum fuisse videri per consuetudinem, qua fit ut Hospitalis Capellanus egredi e pia domo ad associanda cadavera et parochi externi civitatis portas ingredi nequeant ad levanda cadavera etiam suorum subditorum.

II. Ex iure enim commune parochi officium est cadaver de domo levare, funus ducere, missam exequialem litare et corpus humo tradere.

VERCELLEN.

INHIBITIONIS ET REHABILITATIONIS

Die 12 Iulii et 20 Decembris 1884

COMPENDIUM FACTI. Presbyter Ioseph anno 1883 R. Pontificem adivit exponens: sese natum esse in Dioecesi vercellensi, annum 56 suae aetatis agere, ad Congregationem s. Philippi aggregatum fuisse; a qua egrediendo, valetudinis causâ, anno 1864, munere capellani apud Hospitale s. Spiritus functum fuisse usque ad annum 1878; quo tempore sponte sua officio nuncium misisse. Mense autem Augusti eiusdem anni Episcopum vercellensem ipsi inhibivisse Missam litare et quodcumque spirituale ministerium et iussisse feminam a suo famulatu eiicere. Oratorem voluntati Antistitis morem

Digitized by Google

gessisse; ast non illico, ut calumnia contra eumdem suamque famulam perimi facile posset. A mense Maio 1880 eiusmodi famulam ab oratore discessisse, nullamque cum ea superesse necessitudinem; Ordinarium tamen ipsi denegasse rehabilitationem, quamvis humiliter veniam pluries et ut ad spiritualia exercitia admitteretur petierit. Nunc vero eiusmodi exposcere rehabilitationem a Sede Apostolica, absque onere relinquendi locum originis, ne videatur plecti exilii poenâ.

Vercellensis Antistes de more rogatus, retulit: oratorem ad Dioecesim bugellensem pertinere, sese eidem prohibuisse et Missam litare et fidelium excipere confessionem ob consuetudinem cum puella, quam a se removere obstitit. Oratoris genus vitae haud esse incolis oppidi sui bono exemplo, ideoque eidem sese consilium dedisse propriam remeare Dioecesim bugellensem, in qua educatus et ad sacros ordines promotus fuit.

Disceptatio Synoptica

Quae oratori adversantur. Vetitum in iure est, ne Clerici cum mulieribus de quibus suspicio haberi possit, habitare audeant, vel ullam consuetudinem aut familiaritatem cum iisdem servare praesumant. Ita, ceteris omissis, expresse traditur in *cap. 1, 2 et 3 de cohab. cleric. et mulier.* nec non a Conc. Trid. *sess. 25 cap. 14.* – ibi – « Prohibet s. Synodus quibuscumque Clericis ne concubinas » aut alias mulieres, de quibus possit haberi suspicio, in » domo vel extra detinere, aut cum iis ullam consuetudinem » habere audeant. » Clerici vero, qui contra agunt, concubinarii vocantur, licet turpe peccatum de facto non admittant, *cap. 2 et 3 tit. cit.,* atque uti tales puniri debent, ceu mandat Conc. Trid. *loc. cit.* « Clerici vero beneficia » ecclesiastica aut pensiones non habentes iuxta delicti et » contumaciae perseverantiam et qualitatem ab ipso Episcopo carceris poenâ, suspensione ab Ordine, ac inhabilitate ad beneficia obtinenda, aliisve modis iuxta sacros » canones puniantur. »

Digitized by Google

Ex his obiter adnotatis plane deducitur sacerdotem Iosephum iure ac merito a sacris ministeriis prohibitum fuisse, cum certo constet in themate de extremis, quae, iuxta censuram sacrorum canonum, concubinatus crimen constituunt. Nec id ulterius demonstrandum videtur, tum quia Sacerdos nihil obmussitavit contra meritum praefatae prohibitionis, tum quia nihil refert in casu utrum ipse Sacerdos turpe commercium habuerit, ceu evulgatum est vel non habuerit.

Extra discrimen autem posita inflictae poenae iustitia, facili negotio evinci posse videtur expetitam rehabilitationem nunc haud esse indulgendam. Qui enim tam graviter deliquit, ut a sacris quoque tractandis arceri debuerit, absolvi profecto nequit, nisi post manifestam vitae emendationem, nec non post congruam ac condignam satisfactionem. Id passim in iure inculcatum reperitur, ac praesertim in *cap. 26 et 28 Distinct. 50, Caus. 24 q. 2 cap. Legatur 2 et cap. Damnationis 5, Caus. 27 q. 1 cap. Devotam 27, cap. Ex literis 11 de Constit. cap. 3 de Officio Iud. Ord.* Quae concludi possunt cum statutis in *Caus. 11 q. 3 cap. Tunc vera 62 et cap. Plerumque contingit 88 §. Causae ergo* – ibi – « Causae ergo pensandae sunt et tunc ligandi » atque solvendi potestas exercenda. Videndum est quae » culpa praecessit, et quae sit poenitentia sequuta post » culpam... illos nos debemus per pastoralem auctoritatem » solvere, quos auctorem nostrum cognoscimus per suscitan- » tem gratiam vivificare. » In themate vero exulare videtur sive manifesta vitae emendatio, sive digna satisfactio iuxta relata ab Ordinario vercellensi. Quo posito, nemo non videt quod nihil prosit Oratori edicenti se pluries institisse apud Archiepiscopum, ut ad spiritualia exercitia admitteretur, atque ad haec agenda se nunc paratum esse. Ipsi enim haud immerito fortasse responderi posset, iuxta tradita in *cap. Nonnulli 55 de poenitentia Dist. 1.* – ibi – « Nonnulli » ideo poscunt poenitentiam, ut statim sibi reddi commu- » nionem velint. Hi non tam se solvere cupiunt, quam Sa- » cerdotem ligare. Suam enim conscientiam non exuunt,

Digitized by Google

» Sacerdotis induunt, cui praeceptum est: *nolite sanctum* » *dare canibus...* »

Quae favent oratori. Ponderatum sed contra fuit, oratorem Sacerdotem non aliam ob causam a divinis prohibitum fuisse, quam propter nimiam cum quadam muliere familiaritatem, ceu ex ipsius Archiepiscopi relatione constat. Porro huiusmodi causa iam ab initio mensis Maii 1880 prorsus desiit: proinde cum de facto quaecumque cum illa muliere consuetudo omnino sublata sit, et quidem iam a quatuor annis, in dubium revocari nequit vera praefati Sacerdotis emendatio.

Qua posita, liquido consequi videtur expetitam rehabilitationem denegari non posse. Sublata enim contumacia, et censura auferenda est; *Cap. Multi Caus. 2 q. 1, Cap. Qua fronte de appell., cap. Medicinalis de sent. excom. in 6, cap. Ex litteris de constit.* - ibi - « Cum tam iuris » canonici, quam moris nostri existat, ut is, qui propter » contumaciam communione privatur, cum congruam satis- » factionem exhibuerit, restitutionem obtineat: mandamus » quatenus supradictum Magistrum, statutis vestris nunc » humiliter parere curantem, ad communionis vestrae con- » sortium in magistralibus admittatis. » Idque unanimi consensu DD. tradunt. Ita, prae ceteris, Suarez *de censuris disc. 25 sect. 1 n. 3:* « Censura praecipue fertur ad re- » primendam contumaciam et ut homo a culpa recedat, » ideoque non potest habere alium terminum, nisi donec » recedat ab illa. » P. Thesaurus *de poenis eccles. p. 1 V. Dispensatio et absolutio* - ibi - « absolutio a censuris » seu poenis medicinalibus, non potest sine iniustitia reo » poenitenti et petenti denegari. »

Quae quidem iuris principia eo fortius in themate urgenda esse autumavit Orator, quia calumniosae nonnullorum insinuationes, quibus permotus fuit Archiepiscopus ad poenam infligendam, plane in facto evanuerunt, atque exinde innocentia sui ac mulieris clarius eluxit. Quinimo indubium esse ait, se ideo in domo sua mulierem illam recepisse,

Digitized by Google

quia in eo erat, ut pium Institutum fundaret, omnibus miserabilium indigentiis accommodatum, cui nomen iam dederat illa mulier, atque eidem Instituto erat praeficienda. Quod si Archiepiscopi mandatis statim non paruit, id evenisse affirmavit ne calumnia confirmaretur. Ast de his quidquid sit, cum constet de vera Oratoris emendatione, necnon de rehabilitationis iustitia, nulla ratio superesse videtur, ex qua praefatus Orator a vercellensi Dioecesi removeri debeat. Nullus siquidem Clericus, licet extraneus, excludi potest a Dioecesi etiam non sua ex eo quod eidem non est adscriptus. Idque expresse monuit S. Congregatio EE. et RR. ex mandato Summi Pontificis Gregorii XVI, ut videre est in *Collectanea in usum Secretariae S. C. EE. et RR. pag. 97*, ubi declaratur quoque contrariam praxìm alicubi inolitam quovis canonico fundamento destitui, ac habere contra se calculum iuris ecclesiastici.

Huiusmodi declarationem potiori ratione vim suam in casu exerere debere videtur, si parumper perpendantur quae Orator in sui defensionem adducit. Atque in primis narrat, se nedum natales habuisse in oppido *Crescentino*, ubi familia sua capitum numero frequens existit, verum etiam domicilium ibidem fixum perpetuo retinuisse, excepto tantummodo 17 annorum spatio, quo Bugellae inter Sodales Congregationis Oratorii commoravit. Hinc deducit, se quoad Dioecesim vercellensem nullatenus considerari posse tamquam Clericum extraneum; licet enim Bugellae ordinatus fuerit, ordines nihilominus ibi recepit non uti subditus Episcopi bugellensis, sed verius tamquam Sodalis praedictae Congregationis, cuius Superiori subiectus erat.

Monet praeterea se, divina gratia adiuvante, vitam Sacerdoti viro apprime conformem in oppido suae originis semper egisse, et nonnisi calumniosis quorumdam insinuationibus a sacris ministeriis prohibitum fuisse. De laudabili vita, saecularis coetus a charitate, eiusque praeses amplissimum fert testimonium, quo Orator ostenditur Religionis ac pietatis zelo flagrans, assiduam infirmis adsistentiam

Digitized by Google

praebens, praesertim cum anno 1867 asiaticus morbus, et anno 1872 morbus variolarum late grassaretur. Concinit hodiernus Syndicus, qui die 17 Iulii 1883 testatus est, quod Orator vitam degit qualem decet Sacerdotis esse, eiusque mores eum cunctis benevisum reddunt. Chorum agit fr. Benignus Congregationis Capulatorum, qui fidem facit se a pluribus annis nedum audivisse Oratoris confessiones, verum etiam, eidem praebuisse saepissime sacram Sinaxim, cum optimo circumstantium exemplo.

Episcopus ipse Bugellensis eumdem commendavit; ne gravaretur conditione derelinquendi Diocesim vercellensem; quoniam orator tum incommodorum, tum gravis aetatis gratiâ, non alia de causâ, manere cupit in sua domo, apud parentes, in patria sua.

Hisce praehabitis propositum fuit diluendum: *Dubium: An et quomodo sit locus rehabilitationi in casu.* Cui dubio responsum fuit sub die 12 Iulii 1884 – *Dilata ad proximam.*

Antequam iterum quaestio haec proponeretur, scire interesse animadversum fuit, cuinam Dioecesi Sacerdos Ioseph canonice adscriptus esset.

Episcopus bugellensis rogatus respondit: a regestis suae Curiae erui, sacerdotem Iosephum promotum fuisse ad tonsuram aliosque sacros Ordines, ceu Oratorii membrum, cum provisione tituli ecclesiastici; haud tamen constare eumdem Sacerdotem adscriptum fuisse Dioecesi bugellensi.

Antistes vero vercellensis iam relata confirmans, adiecit: sese habuisse semper pro certo quod sacerdos Ioseph pertineret ad Dioecesim bugellensem: nam ibidem s. Oratorii Congregationem ingressus est et sacros recepit ordines. Ait insuper idem Ordinarius, nullum vidisse documentum quoad eumdem Sacerdotem, et in Curia vercellensi nullum extare actum quod illum respiceret. Qua de re sese colligere, illum adhuc Cleri membrum esse Dioecesis, cui primo adscriptus fuit, et a qua non constat fuisse avulsum.

Digitized by Google

Disceptatio Synoptica.

Ex hisce relationibus videretur Sacerdotem Iosephum fuisse ordinatum absque dimissoriis et testimonialibus litteris Curiae vercellensis. Attamen missâ quaestione de testimonialibus, sine quibus aliquando quis ordinari potest – Lucidi *vol. 1 pag. 193 et 196 nov. edit.;* Honorantes *cap. 9 nota 10* – exploratissimum tamen est, neminem posse absque dimissoriis proprii Ordinarii ab Episcopo non suo ordinari; Conc. Trid. *sess. 6 de reform. cap. 4;* Const. Innocentii XVI *Speculatores* §. 7. Imo, si secus fiat, « *ordinans a collatione ordinum per annum, et ordinatus a susceptorum ordinum executione, quandiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus* » praecepit Tridentinum *sess. 23 cap. 8 de reform.* Ita ut effraenatis verbis iure antiquo dici soleret istiusmodi ordinationem esse *nullam* atque *irritam,* scilicet quoad exercitium. Ex quo etiam sequeretur quod sacerdos Ioseph illicite recepisset ordinationem, nisi quod Congregatio Oratorii speciali frui videtur in hac re privilegio, ut habet Honorantes *cap. XI num. 11:* « Similiter Patres Congregationis Oratorii s. Philippi Nerii » de Urbe, ac etiam Neapolis, licet de numero Presbyte» rorum saecularium censeantur, et revera sint tales, habent » nihilominus indultum, quo promoveri facere possunt ad » quoscumque Ordines suos alumnos a locorum Ordinariis, » in quorum Dioecesi habent domicilium, absque litteris di» missoriis Episcoporum originis. »

Qua de re praesumi non inconcinne potest hoc privilegium Patribus Oratorii reapse fuisse largitum, idemque in Bugellensi domo pleno vigore subsistere. Supponendum siquidem non est, Episcopum tam confidenter ordinare alienigenam praesumpsisse, nisi aut consuetudine, aut ex ipsis privilegii tabulis certo sciret, omnimodam id faciendi facultatem sibi fuisse.

Quibus ad controversiae statum definiendum praestitutis, aliquid dicendum superest de eo quaestionis puncto, cui

Digitized by Google

plurimum vercellensis Praesul ad sustinendam suspensionis legem inhaeret, videlicet sacerdotem Iosephum sibi subditum non esse. Etenim, si affirmetur hunc sacerdotem ad vercellensem Dioecesim non pertinere, sed ad bugellensem, ubi ordinatus fuit tamquam Congregationis Oratorii alumnus, iam suspensio ei inflicta considerari oporteret ut simplex inhibitio, seu ut provisio a Curia vercellensi adhibita ad molestum hospitem removendum, et facilius admitti posset: si vero id non probaretur, iam haec suspensionis lex aut censurae aut ecclesiasticae poenae naturam indueret, et proinde sustineri non posset, nisi ex gravi et certa culpa merita fuisset. Magnopere ergo refert hoc definire punctum, num scilicet sacerdos Ioseph Dioecesi vercellensi sit incardinatus.

Iamvero pro affirmante sententia stat factum et ius vigens pro alumnis Congregationum votorum simplicium. Hi enim, quamvis diu vixerint et ordinati sint extra propriam originis dioecesim, tamen ab instituto exeuntes ad illam redire coguntur, nec ab Episcopis originis reiici possunt, ut definitum fuit a S. C. EE. et RR. in *Tarvisina Dubia super s. Ordinatione* diei 6 Maii 1864 ad *dub. 4;* adeoque, ut notat ibi Emus Bizzarri: « haud iuri conformem esse » illorum Antistitum agendi rationem, qua renuunt recipere » in suas dioeceses alumnos alicuius Instituti votorum sim» plicium, qui ad easdem dioeceses ante professionem per» tinebant, quique deinde ab Instituto seu Congregatione » dimissi sunt, vel ab eisdem votis dispensationem obtinue» rint, ea tantum de causa quod in aliquo Instituto profes» sionem emiserint. » (1) Quo circa videretur, sacerdotem Iosephum, cum e Congregatione Oratorii exierit, eo ipso suae originis dioecesi esse de iure incardinatum.

Quod si in contrarium observetur, hunc absque dimissoriis vercellensis Curiae fuisse ordinatum, responderi posset, quod ecclesiastica lex expressa in *cit. cap. 8 sess. 23*

(1) Confer Vol. VI, 498 et Vol. XIV, 392, 398; ubi plura collegimus et scripsimus quoad litteras testimoniales et quoad causas quibus Episcopus fit proprius.

Digitized by Google

iubet, clericum etiam in casu illegitimae ordinationis Episcopo proprio committi, eique subesse debere.

Sed ex altera parte considerari oportet Congregationem Oratorii Ordinariis locorum, ubi domus existunt, *esse omnimode subiectam, excepto tantummodo eius Instituto, sive iis de quibus loquuntur Constitutiones,* ut, ceteris omissis, definitum fuit a S. C. EE. et RR. in *Limana,* iuncta Constitutione Benedicti XIV *Emanavit nuper* diei 21 Ianuarii 1758; et iterum in *Messanen.* cum ap. litt. Leonis XII diei 30 Ianuarii 1827. Iamvero ex hoc haberi posse videtur aliquod indicium seu argumentum, quod qui Oratorium ingreditur loci dioecesi adscribatur, et eiusdem Episcopum sibimet proprium faciat. Qui enim omnimode alicui Episcopo subiicitur eius plene subditus fieri videretur.

Quod fortius est tenendum, si attendatur Congregationem exortam esse et iura sua explicasse, antecedenter ad Const. *Speculatores,* cum scilicet ad acquirendum Episcopum proprium ratione domicilii, ea omnia non exigebantur, quae hodie necessaria habentur; Sanchez *de matrim. lib. 3 discept. 23,* Tourlelis *tract. de disp. matrim. in spec. p. 1 cap. 13:* et colligunt DD. ex cap. *Cum nullus de temp. ordinat. in VI.* Adeoque poterat ad effectum sufficiens optime censeri adscriptio ad Congregationem quae ex Apostolicis Constitutionibus Ordinariis omnimode subiicitur.

Quae ratiocinatio, ut videtur, vel magis firmatur ex facto superius recensito, videlicet quod istius Congregationis alumni, quamvis alterius dioecesis oriundi, ordinari tamen possint a locorum Episcopis absque dimissoriis. Hoc enim probe intelligitur in hypothesi quod Oratorii clerici dioecesi adscribantur, ubi domus existunt, et fiant eius proprii; quo casu dimissoriae necessariae non sunt, non vero aliter.

Neque enim supponi verosimiliter potest, quod ecclesiastica lex ex una parte statuerit, clericos Oratorii Episcopo loci plene subiici, ab eoque tamquam proprio ordinari posse; et tamen ex altera concesserit, eosdem quoties e suo Insti-

Digitized by Google

tuto abire praesumpserint, quod facile fieri potest, pro arbitrio suo posse dioecesi ubi ordinati sunt nuncium mittere, et in dioecesi originis tamquam in sua se constabilire, facta Episcopis lege eos veluti proprios recipiendi.

Neque potest forsitan urgeri exemplum Congregationum votorum simplicium. Etenim istarum clerici utique e suo Instituto egredientes ius habent ad dioecesim originis remeandi cum lege, ut ab Ordinariis acceptentur veluti proprii; sed hi Episcopis locorum non fiunt *omnimode* subiecti; praesertim vero ordinari in suo Instituto non possunt nisi ex post acceptis suorum Episcoporum dimissoriis, ut decretum fuit in *Tarvisana cit. ad 3 dub.* et Emus Bizzarri notat ibi.

Potius, si ex similibus ratiocinari licet, aptari forsan casui valeret disciplina quae obtinet apud professos votorum solemnium. Hi enim absque dimissoriis Episcoporum originis ad ordines promoveri possunt. At vero hi e sua Religione egredientes ius non habent, ut ab Episcopis originis acceptentur, neque Episcopi eos recipere tamquam proprios coguntur, ut patet ex S. C. C. decreto *De apost. et eiectis* edito die 21 Septembris 1624 iussu Urbani VIII; et habet cit. Bizzarri in *Tarvisina cit.;* Lucidi *vol. 2 pag. 35 nov. edit.*

Receptum enim satis videtur in ecclesiastica disciplina, ut Episcopi nullos clericos acceptare adigantur, in quorum ordinationem ipsi partes non habuerunt. Hoc siquidem aequitati conforme apparet, et consentaneum conceptui ipsi qui ordinationem filiorum generationi, utique spirituali, assimilat; Pignatelli *Consult. 158 t. 8 n. 43*. Et est antiquae disciplinae apprime consonum. Tunc enim, ut scribit Vecchiotti *vol. 3 pag. 26-27,* « nulla habebatur ratio originis et domicilii, et proprius ordinationis Episcopus ille statim evadebat qui aliquem primum in clero adscripsisset... Huc referunt, ait, Origenis, Hieronymi, Augustini aliorumque illustrium virorum exempla... »

Et quamvis experientia suadente ad abusus coercendos alia hodie recepta sit disciplina; tamen adhuc canonica lex adeo sedulo cavet, ne Episcopus illis sacerdotibus gravetur, quos

Digitized by Google

ipse promoveri non permisit, ut hos illegitime absque dimissoriis ordinatos in suspensionem incidere ad proprii Ordinarii beneplacitum constabilierit. Idque quamvis hi absque culpa aut dolo, sed ex ignorantia ita promoti sint; ceu eruitur ex Tridentini verbis *sess. 23 cap. de reform.* et probatur ex S. C. C. decretis datis in *Valvensi* seu *Salmonensi 22* Martii 1732, et *Asculana* 7 Februarii 1732. Adeoque qui illegitime ordinantur suo Episcopo subiici videntur utique quoad poenam, et etiam ad id ut Ordinarius eos, si velit, apud se retinere valeat, non vero ad hoc ut eos recognoscat et necessario acceptet. Quod ceteroquin impingeret quoque in regulam a Tridentino constabilitam in *cap. 16 sess. 23*, videlicet « *ut nullus in posterum ordinetur, qui illi ecclesiae aut pio loco pro cuius necessitate aut utilitate assumitur non adscribatur.* »

Quae si concludenter probarent, dicendum in themate foret, sacerdotem Iosephum subditum proprium esse Episcopi bugellensis, cum in eius dioecesi domum Oratorii ingressus sit, ibique se ordinaverit absque dimissoriis vercellensis Ordinarii, a quo proinde factus extraneus videretur.

Quibus in utramque partem disputatis propositum fuit diluendum

Dubium

An et quomodo sit locus rehabilitationis in casu.

Resolutio. Sacra C. C. re disceptata, sub die 20 Decembris 1884, censuit respondere: – *Prudenti arbitrio Archiepiscopi et ad mentem, Secretario patefactam.*

Ex quibus colliges. I. Ex iure vetari ne clerici cum mulieribus de quibus aliqua subsit suspicio cohabitent aut aliquam servent consuetudinem vel familiaritatem cum eisdem , ita ut contra agentes habeantur quales concubinarii, etsi turpe non admittant peccatum.

II. Eos vero qui tam graviter delinquunt puniri posse ab Episcopis per prohibitionem a sacris ministeriis, si pensiones aut ecclesiastica beneficia non habeant.

Digitized by Google

III. Attamen culpa contumaciae iungi debet: nam pro solo crimine non est quis excommunicandus, sed solum pro contumacia, ex tali crimine descendente; eo quod contumacia quasi consummat causam censurae.

IV. Qua de re, contumaciâ cessante, pro qua poena inflicta fuit, et quum reus congruam dederit satisfactionem, absolutio quoque tribuenda est a censuris seu poenis medicinalibus, et rehabilitatio rei facienda.

V. Erui ex monito (1) S. C. Ep. et Reg. clericum excludi non posse a Dioecesi, etiam non sua, eoquod eidem non sit adscriptus; ita ut contraria praxis fundamento careat canonico.

VI. Sacerdotem in themate cum ex testimonio plurimorum, cessante contumaciâ, integram ducat vitam, et ortus sit in Dioecesi vercellensi, recipiendo tantum sacros ordines in Dioecesi bugellensi, rehabilitationis gratiâ dignum videri; quod tamen remittitur prudenti arbitrio Ordinarii.

SYRACUSANA

REDUCTIONIS CANONIS

Die 20 Decembris 1884.

Compendium facti. Eques Caietanus Perrotta exposuit sacratissimo Principi: anno 1865 fundum s. Mariae referri debuisse in censum, cuius canon rependitur Archidiacono Ecclesiae matricis e *Lentini*. Canonicum Ielo vices geren-

(1) Monitum evulgatum iussu Gregorii XVI: *Super clericis extraneis* sic se habet: « SSmus Pater certior factus est adesse periculum quod inolere possit in aliquibus Dioecesibus maxima esse in facultate Ordinariorum eiicere et non excipere in propriis Dioecesibus clericos extraneos, hac sola de causa quia ad illas Dioeceses non pertinent. »

SSmus Pater perpendens consequentias quae enasci possent, et volens ut hac in re gravi novitas non introducatur, novo dictam sententiam supposuit examini; atque praevio nonnullorum Emorum Patrum consilio, nequivit non prospicere, praeallegatam maximam basi destitui; ius enim quin eidem faveat, omnino obsistit, si aliae non subsint causae quae remotionem extraneorum clericorum suadeant. »

Digitized by Google

tem tunc temporis, arcessisse oratorem, eumque rogasse ut accederet ad publicam dicti fundi licitationem, ne canon iusto inferior permaneret quod ex condicto facere conabantur perversi homines. Eumdem vero canonicum oratori adpromisisse aequam reductionem quatenus canon in aestu licitationis nimis elevaretur. Canonem reapse valde elevatum fuisse, operâ oratoris; qui tamen a Vice Rectore, nunc defuncto, promissam canonis reductionem consequi nequivit.

Quamobrem ab Apostolica Sede nunc exposcere reductionem 716 libellarum in annua canonis praestatione, praesertim causâ publicorum vectigalium.

Rogatus super hac re Archiepiscopus die 24 Iulii 1883 retulit, neminem agnoscere promissionem reductionis canonis a defuncto Francisco Ielo oratori factam. Quoad vero petitionem equitis Perrotta, nunc e vivis sublati, et a filiis repraesentati, ait: eam exaggeratam esse, ceu constat ex perito ipso a Perrotta designato. Fundum maximarum meliorationum capacem esse; quibus tamen peractis, canon non augetur. Fertur unam tantum partem ex dictis terris, iam melioratam, integri canonis solutioni parem esse.

Disceptatio Synoptica.

Canon videtur reducendus. Canonem esse reducendum suadere videntur tum iustitia, tum aequitas: iustitia quidem, quia, teste Perrotta, pactum quoddam inter ipsum et vices Rectoris gerentem intercessisse videtur, vi cuius conventum est, quod si in aestu licitationis canon nimis extolleretur, in posterum ad aequitatem reduci deberet. Cum igitur hoc reapse evenerit, quia canon a Perrotta pollicitus fere in duplum superat verum fructuum valorem, prono alveo fluit locum profecto esse reductioni canonis.

Nihil enim magis humanae fidei congruit, quam ea quae mutuo consensu stabilita sunt servare, *L. 1 ff. de pactis. C. Iuris gentium* §. *Praetor erit ff. ead. Cap. 1 Antigonus de pactis* – ibi – « *inita pacta suam obtinent fir-*

Digitized by Google

mitatem, pacta custodiantur. » Concinit S. C. C. in *Vigilien. Inhibitionis 14 Augusti 1880* §. *Praeterea tralatitium,* Rota in sexcentis decisionibus et praesertim in *decis. 253 num. 9 part. 1 Rec.*

Nec interest quod ille cum quo Perrotta hoc pactum inivit supremum diem obierit, notum cum sit personae mutatione obligationum naturam non immutari, *ad text. in L. 2 ff. de verbor. oblig.* Constant. Vol. *decis. 269 n. 7,* Rota *decis. 46 num. 24 part. 5, et decis. 413 part. 9 Recent.,* et successorem teneri ex facto defuncti *Can. Diaconi sunt., vers. Mendicat infelix clericus 93 dist. C. ita supplicationem de renunc.* Glossa *in Cap. Ad haec in ver. Examinentur in fin. de offic. Archid.*

Ast non solum iustitia verum etiam aequitas canonis reductionem in themate postulare videtur. Et re quidem vera si iniquum est quempiam cum aliena iactura locupletari; ad *text. in L. Cum hoc natura C. de condic. indebiti et L. si me et Titium ff.* si *certum petatur;* id sane maxime dedecet Ecclesiam, quae iustitiae ac aequitatis mater est et cultrix; Barbosa in *Cap. Cum dilecti, num. 17 tit. emphyt. et vendit.,* et S. C. C. in *Senogallien. Transactionis 8 Maii 1819* §. *Esto enim.*

Quapropter si in constabiliendo canone emphyteusis bonorum ecclesiasticorum laesio intercedat, omnino praesto esse debet remedium *L. 2 C. de rescind. vend.* ut contractus ad aequitatem redigatur; Constant. *ad Statut. Urbis annot. 46 num. 162;* Sanch. *de laes. part. 2 cap. 8 num. 11;* Rota *decis. 250 num. 1 coram Lancetta* et in celebri voto *coram Emerix iun. decis. 1130 num. 26* S. C. C. in *Fabrianen. Remissionis 20 Decembris 1806* §. *In contractu.*

Laesio vero in hoc contractu intercedit si fructus rei emphyteuticae non sufficiant ad dimidiam canonis solutionem faciendam, ut docet Rota *decis. 468 num. 11 part. 14 Recent. et in Nullius seu Camerinen. Contractus 29 Novembris 1756* §. *9 coram Bussio,* nec non S. C. C. late

Digitized by Google

in *Praenestina Reductionis canonis 28 Ianuarii 1865* §. *Ubi igitur.* (1)

Immo sunt qui putant in emphyteusi ecclesiastica intercedere laesionem, nisi Ecclesia in emphyteusi ineunda sextam fructuum partem emphyteutae a canone liberam reliquerit, ut sancivit Imperator *in authen. de non alien. aut permut.* §. *Dudum autem* et tradunt Barbosa in *Authen. Praeterea C. de SS. Eccles. num. 6;* Parian. *de locat. et conduct. cap. 45 num. 35;* Rota *decis. 861 n. 4 coram Cerro,* et statuit S. C. C. in *Privernen. Emphyteusis 16 Iunii 1787.*

Huiusmodi quidem iustitiae et aequitati inhaerens s. Congregatio modo contractus rescissioni, modo canonum imminutioni locum esse respondit, prout nimirum rerum adiuncta postulare videbantur, ceu patet ex *Fabrianen. Rescissionis contractus 20 Decembris 1806 et ex Senogallien. Transactionis 8 Maii 1819.*

Haec in iure obtinent. In facto autem de quo agitur non solum, canone soluto, salva emphyteutae non relinquitur sexta fructuum pars, verum etiam nec sufficere redditus ad medietatem canonis solvendam satis constare videtur. Quandoquidem canon, quem spopondit Perrotta in aestu licitationis attingit summam 3846 libellarum; et verus valor reddituum, tempore initi contractus, ceu idem Perrotta asserit, ascendebat tantum ad summam 2116 libellarum, quae proinde vix sufficere poterant ad medietatem canonis solvendam. Quod magis magisque apparebit si consideretur etiam imminutio reddituum proveniens ex augmento publicorum vectigalium, ceu innuere studet Perrotta.

Neque haec initio tantum contractus contigisse videntur. Quandoquidem Perrotta affirmat quod redditus annui praediorum ab anno 1865 ad annum 1880 numquam excesserunt summam 2303 libellarum; ex quo factum est ut ipse quotannis iacturam perferret 2148 libellarum; quae, cum repeteretur per 15 annos, quot effluxerunt ab anno 1865

(1) Adest Vol. II, 81.

Digitized by Google

ad 1880, pro toto hoc tempore amisisse, ait, spectabilem summam 32228 libellarum.

Haec etiam confirmari videntur ex Periti depositione qui asserit redditus annuos praediorum solum attingere summam 1892 libellarum. Porro nemo est qui non videat hanc exiguam summam imparem esse ad dimidiam canonis solutionem perficiendam.

Reducendus igitur est canon, praesertim cum de canone agi videatur non pro recognitione tantum directi dominii, sed intuitu fructuum, ac ad. illorum compensationem convento, ceu perpendunt Reiffenstuel *lib. 3 tit. 18 de locat. et conduct. §. 6 de obligat. et Iure Emphyt.*, Zanch. *de laesion. part. 2 cap. 8 num. 140.*

Praetereundum demum non videtur, ceu asserit ipsemet Perrotta, nimirum quod dictus fundus redierit ad Capitulum operâ et mediis pecuniariis equitis Perrotta, in certamine habito cum *Demanio.*

Canon non videtur reducendus. Aliter tamen ab hac sacra Congregatione rem diiudicandam Archiepiscopus atque Canonici sustinuerunt. Suis enim contractus stant viribus; nam ad pactionem numeris omnibus absolutam ex laesionis labe irritandam non quaevis laesio, sed quae semissem excedat omnino requiritur, *L. 2 C. de rescind. vend.* et S. C. C. in *Maceraten. Emphyteusis 20 Septembris 1788 ad 1 dub.* et in *Tolentinaten. Reductionis canonis 13 Septemb. 1806* §. *Defensor.* Immo cum in themate agatur de emphyteusi iam contracta, non vero de contrahenda, de onerosa, non vero de lucrativa, non levis laesio, nec quae ultra semissem, sed enormissima, bessem excedens requiri videtur.

Porro hanc enormissimam laesionem exulare in themate compertum est: nam cum Perrotta spoponderit nomine canonis libell. 3846 atque Peritus a Curia deputatus, statuerit annuum fructum in libell. 1892 profecto procul abest laesio in bessem.

Ast et enormem laesionem abesse in casu facile demonstrari posse videtur. Quandoquidem ad effectum dimetiendi gravitatem canonis, considerandi sunt nedum fructus, qui actu

Digitized by Google

producuntur a praedio, sed etiam ii qui obtineri potuerunt, earum meliorationum causâ, quas ipsamet contractus indoles secumfert; ceu post *Theoricam* Paul. de Castr. in *Auth. L. Quas ruinas Cod. de SS. Eccles.* docuit Rota in *decis. 1186 num. 2 cor. Lancetta Nullius seu Carrarien. Contractuum 29 Nov. 1756 num. 10 coram Bussio*, et in confirmatoria *6 Iunii 1757 §. 9.*

Iamvero cum Archiepiscopus aperte fateatur quod fundus capax sit maximarum meliorationum, profecto dici debet, quod canon a Perrotta pollicitus, gravis non sit, cum iam absque meliorationibus solvi ferme integre possit, vel si gravis nunc est, in posterum levissimus evadet, illarum moliorationum causâ, ob quas praecise emphyteusis inventa est. Immo et nunc levissimum esse canonem idem Archiepiscopus innuit, dum asserit quod una tantum pars ex dictis terris iam meliorata pro integri canonis solutione satis esset.

Neque huic assertioni contradicere videtur relatio a Perito facta circa annuum fundi redditum: siquidem ipsemet Peritus in sua relatione deposuit, se iugiter in illa perficienda prae oculis habuisse fundum, qualis habebatur tempore quo censui suppositus fuit, posthabendo peractas ab emphyteuta meliorationes . Iamvero si rationem etiam de meliorationibus habuisset, forsan ad eamdem conclusionem ac Archiepiscopus devenisset. Integrum itaque canonem solvendum esse in casu manifestum videtur.

Quin aliquid in contrarium probari queat ex vectigalium augmento: siquidem explorati iuris est augmentum publicorum vectigalium haud iustam suppeditare causam reducendi canonem; Rota in *Romana Reductionis affictus 6 Iulii 1804* §. *6;* S. C. C. in *Firmana Emphyt. quoad reduct. canonis 17 Maii 1819* §. *Si.*

Ceterum recolendum est quod S. C. C. reductionem canonum iugiter denegandam censuit, licet emphyteutae ob fundorum sterilitatem, aut publicorum vectigalium augmentum conquererentur, adeo se exiguos ex fundis emphyteuti-

Digitized by Google

cis colligere fructus, ut vix duas ex tribus canonum partibus attingerent. Prostant exempla in *Tolentinaten. Reduct. Can. 13 Septembris 1807, in Firmana cit. 17 Maii 1817, in Senogallien. Transact. 8 Maii 1819, in Senogallien. Reduct. Can. 27 Augusti 1831, in Firmana Emphyt. quoad Reduct. Can. 26 Novembris 1536, in Praenestina Reduct. Canonis 28 Ianuarii 1865.*

Solummodo canonis reductionem tunc probandam existimavit, cum utilibus ab emphyteuta propositis conditionibus, controversiam transactione dirimendam partes iudicarunt, ut videre est in *Tolentinaten. Reduct. super transact. 12 Septembris 1807, et in Senogallien. Transact. 8 Martii 1819.*

Nec magis iuvare potest Perrotta promissio, quam ipse inter se et vices rectoris gerentem intercessisse edisserit. Haec enim promissio solius equitis Perrotta testimonio innititur, cui proinde nulla tuta fides esse potest, tum quia singularis testis est, *L: 8 Cod. de testibus et Cap. 10 et 28 eod. tit.* tum quia in sui favorem deponit, *L. 9 Cod. de testib. et Can. 1 et 1 c. 4 qu. 4.* Archiepiscopus enim retulit: neminem scire quod Praepositus Ielo sollicitaverit Perrotta ad publicam licitationem, promittendo canonis reductionem.

Porro notissimum est in iure quod non potest imponi certa obligatio quando de ea certo non constet, *L. Quidquid ff. de verb. oblig.* atque hoc eo vel magis in themate quia, ut idem Archiepiscopus insinuat, fabellam haec promissio redolere videtur.

Quibus praenotatis propositum fuit diluendum

Dubium

An et in qua summa sit locus reductioni canonis in casu.

Resolutio. Sacra Cong. Concilii, re perpensâ, sub die 20 Decembris 1884 censuit respondere: – *Negative in omnibus.*

Digitized by Google

Ex quibus colliges: I. Obiectum emphyteusis contractus antiquitus arva inculta fuisse, quae alicui concedebantur cum onere aliquod solvendi tributum in recognitionem dominii.

II. Tractu tamen temporis arva quoque fertilia subiici emphyteusi consuevisse, et canon modicus esse desiit, sed factum est ut fructibus responderet praedii; et ideo huius contractus indoles quodammodo fuit modificata: ita ut contractus locationis conductionis naturam quasi indueret.

III. In contractibus emphyteuticariis non dari canonis reductionem, nisi constet de laesionis labe, quae semissem excedat ceu evenit in aliis bonae fidei contractibus.

IV. Ex indole enim emphyteusis nedum prae oculis habendos esse fructus qui actu percipiuntur, sed etiam illos qni percipi possent, melioris culturae gratiâ.

V. Agi in themate de contractu emphyteusis onerosae iam contractae: ita ut nisi demonstretur canonem superare duplo plus fructus fundi emphyteuticarii, reductio concedi nequiret: praecipue si perpendantur fructus qui percipi possent melioris culturae causâ, ceu indoles fert huius contractus, ad agrorum culturam inducti.



FLORENTINA

DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE

Die 20 Decembris 1884.

Per summaria precum.

Compendium facti. Torquatus clericus Florentinae Dioecesis sacratissimo Principi exposuit: sese ab anno 1876 studiorum curriculo operam navare Florentiae, in Collegio Eugeniano, eo consilio ut adscribi clericali militiae, et promoveri valeret ad sacros ordines, quod vehementer avebat. Staturâ tamen pusillum esse; et a nonnullis irregularem censeri ob id: a qua irregularitate, quatenus existeret, hu-

Digitized by Google

militer dispensationem petiit. Antistes, retulit rogasse caeremoniarum magistrum de sua sententia quoad oratorem Torquatum. Magister morem gerens Antistiti censuit clerici staturam talem haud esse quae obstet ad sacros ordines promotioni: nam apud altare consistens, speciminis gratiâ, actiones SS. Missae sacrificii conficere sufficienter valuit.

Sciscitavi, ait Antistes florentinus, Consilium super promovendis ad sacros ordines; constat enim consilium eiusmodi gravibus omnique praeconio dignis Sacerdotibus: et responsum mihi dedit: parvam staturam, defectumque ingenii repellere ab ordinibus recipiendis oratorem.

Anceps tamen haereo, prosequitur Ordinarius, num clericum abscisse ab ordinibus reiiciam aut admittam, dum eius parentes a me id enixe efflagitent, et orator, etsi ingenio exiguo, tamen alacriter studiis incumbit, et optimâ utitur indole.

Disceptatio Synoptica.

Gratia deneganda videtur. Licet homines parvae staturae nullo iuris textu irregulares declarentur; datur nihilominus pro regula generali ex iure deducta, quod ille corporis defectus irregularitatem inducit, qui congruum ordinis exercitium impedit, aut qui notabilem deformitatem, horrorem prae se ferentem vel ad risum moventem, affert. Ita unanimi consensu tradunt Canonistae, quibus concinit S. C. C. in pluribus exemplis, sed praesertim in *Mexicana 12 Iunii 1721*. Porro talem esse in casu corporis defectum, ut hic et notabilem deformitatem afferat et congruum ordinis exercitium impediat, nullatenus ambigendum videtur. Orator enim, iuxta magistri coeremoniarum testimonium, statura adeo pusillus existit, ut spatium intercedens solum inter et oram sacerdotalis pallae, quam ipse induit ad experimentum peragendum, vix excedat mensuram vulgo nuncupatam *decimetro*. Quomodo igitur divina tractare mysteria ille valeat absque irreverentia, vel sin minus absque populi scandalo, intelligi haud datur.

Digitized by Google

Quod si demum perpendatur, Oratorem nullius fere ingenii esse, pro gratiae denegatione concludi posse videtur. Ad rem De Angelis in *tit. de corp. vitiat. num. 4,* ubi ad tramites sacrorum Canonum et praxis S. C. C. tradit: « Attento periculo irreverentiae Sacramento inferendae, et » populi scandalo, nisi gravissimae intercedant rationes, » praesertim eminens scientia aut sanctitas promovendi, » haec dispensatio non conceditur. »

Gratia indulgenda videtur. Ex altera vero parte animadverti potest corporis defectum in casu vel talem non esse ut irregularitatem inducat, vel sin minus non adeo notabilem esse ut expetitae dispensationi viam intercludat. In primis enim Archiepiscopus, cuius est diiudicare utrum hic vel ille corporis defectus sit adeo notabilis, ut aliquem reddat irregularem, ceu tradit *cap. 2 de corp. vitiat.* nec non decretum S. C. C. editum in *Mexicana 12 Iunii 1721,* de irregularitate dubitat. Magister vero coeremoniarum retulit, parvam staturam Clerici eam sibi videri, quae impedire nequeat quominus idem ad sacros ordines promoveatur. Huiusmodi votum magno in pretio habendum est, utpote editum ex officio ac post peractum experimentum. Ad summum hic de dubia irregularitate ageretur.

Ast posito huiusmodi dubio, oratori favendum esse videtur iuxta tritissimum adagium: *odia sunt restringenda, favores ampliandi.* Eo vel magis, quia S. C. C. nedum in similibus casibus, in quibus certo insuper constabat de irregularitate, sed et in casibus durioribus benignam se praebuit. Inter innumera exempla, quae afferri possent, unum tantummodo et alterum ex recentioribus citare placet. Ita enimvero in *Leodien. disp. ab irregul. 15 Iunii 1878* (1) laboranti gibbositate et parvae staturae defectu respondit: « Arbitrio et conscientiae Episcopi cum facultate dispen» sandi et habilitandi Oratorem ad omnes Ordines usque » ad presbyteratum inclusive, facto verbo cum SSmo. » In *Vicentina disp. ab irregul. 16 Martii 1883,* (2) eamdem

(1) Confer Vol. XI, pag. 423. (2) Adest relata Vol. XVI, pag. 9.

Digitized by Google

gratiam consequutus est Clericus Bonate, qui persimili staturae defectu atque gibbositate laborabat.

Nec deficiunt causae, quae expetitam gratiam magis ac magis suadere videntur. Archiepiscopus enim refert Oratorem bonis optimisque moribus praeditum esse, studiorum curriculo diligentem operam navare, ardenti flagrare desiderio se divino servitio mancipandi. Quae omnia ceu totidem supernae vocationis indicia haberi possunt.

Post haec frustra obiiceretur tarditas ingenii Oratoris. Iste siquidem bona cum sit praeditus voluntate, assiduo studio supplere posset ingenii defectui. Ceterum sacri Canones minime praescribunt ut sacerdotes sint etiam doctores, sed verius ut illam scientiam habeant, qua populum christianum in lege Domini erudire valeant. Hinc si cum Religionis hostibus in aciem descendere nequeat Orator, manebit saltem ad sarcinas, ubi etiam ipse de spoliis inimicorum partem recipiet et offeret Domino.

Quibus animadversis, quaesitum est quomodo oratoris preces essent dimittendae.

Resolutio. Sacra C. C. re cognitâ, die 20 Decembris 1884 censuit respondere: – *Arbitrio et conscientiae Archiepiscopi, facto verbo cum SSmo.*



EX S. RITUUM CONGREGATIONE

DECRETUM

ROMANA seu MEDIOLANEN. Venerabilis Servi Dei Glycerii Landriani Novitii Congregationis Clericorum Regularium pauperum Matris Dei Scholarum Piarum.

SUPER DUBIO « *An sit signanda Commissio Introductionis Causae in casu, et ad effectum de quo agitur?* »

Inter primos Sancti Iosephi Calasanctii asseclas, qui maioris Dei gloriae aeternaeque animarum salutis zelo succensi erudiendis pueris se dediderunt, sane eluxit Ven. Dei Servus Glycerius Landriani nobili Mediolanensi ortus familia, quae cum sancto Carolo Borromaeo coniuncta erat propinquitate. Ipse enim christianae perfectionis desiderio flagrans, vicesimo quarto aetatis suae anno divitiis

Digitized by Google

ac mundi pompis nuncium mittens, Scholarum Piarum Institutum amplexus est, in quo sub inclyti Calasanctii disciplina, toto quo adhuc vixit fere sexennio, vitae integritate, demississima obedientia, orationis assiduitate, suique contemptu, nec non caelestibus charismatibus, quibus a Deo ditari meruerat, ita floruit, ut magnam sanctitatis famam sibi comparaverit. Unde factum est, ut biennio post eius obitum, qui Romae contigit die 15 Februarii anno 1618, Processus super eius fama sanctitatis vitae, virtutum et miraculorum, Romanis civibus, multisque principibus flagitantibus, ordinaria auctoritate conditus fuerit, cuius dein acta ab ipsomet Sancto Iosepho Calasanctio ad Sacrorum Rituum Congregationem delata fuere. Haec tamen Causa, ob subsequentes Scholarum Piarum Congregationis vicissitudines intermissa, ad nostram usque tacuit aetatem.

Nuper vero quum in civitate Tusculana, ubi Ven. Dei Servus aliquando commoratus fuerat, additionalis Processus ordinaria auctoritate super continuatione eiusdem famae sanctitatis vitae, virtutum et miraculorum constructus sit, attentisque postulationibus plurium Emorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, Rmorum Antistitum, aliorumque Virorum tam civili quam ecclesiastica dignitate perillustrium, Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII benigne indulsit, ut de Dubio Signaturae Commissionis Introductionis Causae praefati Ven. Servi Dei agi posset in Sacrorum Rituum Congregatione Ordinaria, absque interventu ac voto Consultorum, licet nondum elapso decennio a praesentatione in actis eiusdem Sacrae Congregationis supradicti additionalis Processus Tusculani, neque ipsius Ven. Servi Dei scriptis adhuc de more perquisitis et examinatis.

Hinc a me infrascripto Cardinale Sacrae eidem Congregationi Praefecto, et huiusce Causae Relatore ad instantiam Rev. P. Andreae Leonetti, Sacerdotis Congregationis Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum, Causae ipsius Postulatoris, in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis subsignata die ad Vaticanum habitis, sequens Dubium discutiendum propositum est, nimirum: « *An sit signanda Commissio introductionis Causae in casu, et ad effectum, de quo agitur?* »

Emi porro ac Rmi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi rem omnem accurate expendentes, post auditum R. P. D. Augustinum Caprara, Sanctae Fidei Promotorem, qui sententiam suam voce et scripto protulit, rescribendum censuerunt: *Affirmative, seu signandam esse Commissionem, si Sanctissimo placuerit.* Die 28 Martii 1885.

Quibus omnibus Sanctissimo Dño Nostro LEONI PAPAE XIII per infrascriptum Secretarium fideliter relatis, Sanctitas Sua rescriptum Sacrae Congregationis ratum habens, propria manu signare dignata est Commissionem introductionis Causae praefati Ven. Servi Dei Glycerii Landriani praedicti, die 16 Aprilis anno eodem.

D. Cardinalis BARTOLINIUS S. R. C. Praefectus.

L. ✠ S.

Laurentius Salvati S. R. C. *Secretarius.*

Digitized by Google

LITTERAE SSmi D. N. LEONIS Papae XIII. ad Eminentissimum Parocchi, in urbe Vicarium, de studiis litterarum in sacro Seminario Romano provehendis.

LEO EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Plane quidem intelligis, quod saepe Nos et non sine caussa diximus, summa esse contentione et assiduitate enitendum, ut Clericorum ordo quotidie magis doctrinarum cognitione floreat. Cuius necessitatem rei maiorem efficit natura temporum: propterea quod in tanto ingeniorum cursu tamque inflammato studio discendi, nequaquam posset Clerus in muneribus officiisque suis cum ea, qua par est, dignitate atque utilitate versari, si quae ingenii laudes tanto opere expetuntur a ceteris, eas ipse neglexerit. – Hac nos de causa ad disciplinam eruditionis, praesertim in alumnis sacri ordinis, animum adiunximus: et a scientia rerum graviorum exorsi, philosophiae theologiaeque studia ad veterum rationem auctore Thoma Aquinate, revocanda curavimus: cuius quidem opportunitatem consilii is ipse, qui iam consecutus est, exitus declaravit. – Verum quoniam permagna doctrinae pars, et ad cognitionem iucunda et ad usum urbanitatemque longe fructuosa, humanioribus litteris continetur, idcirco nunc ad illarum incrementa nonnihil constituere decrevimus.

Quod primo loco illuc pertinet, ut suum Clerus teneat decus: est enim litterarum laus multo nobilissima: quam qui adepti sint, magnum aliquod existimantur adepti; qui careant, praecipua quadam apud homines commendatione carent. – Ex quo intelligitur, quale esset illud Iuliani imperatoris callidissimum et plenum sceleris consilium, qui ne liberalia studia exercerent christianis interdixerat. Futurum enim sentiebat, ut facile despicerentur expertes litterarum, nec diu florere christianum posse nomen, si ab humanitatis artibus alienum vulgo putaretur. – Deinde vero quoniam ita sumus natura facti, ut ex iis rebus quae sensibus percipiuntur ad eas assurgamus quae sunt supra sensus, nihil est fere ad iuvandam intelligentiam maius, quam scribendi virtus et urbanitas. Nativo quippe et eleganti genere dicendi mire invitantur homines ad audiendum, ad legendum: itaque fit ut animos et facilius pervadat et vehementius teneat verborum sententiarumque luminibus illu-

Digitized by Google

strata veritas. Quod habet quamdam cum cultu Dei externo similitudinem: in quo scilicet magna illa inest utilitas, quod ex rerum corporearum splendore ad numen ipsum mens et cogitatio perducitur. Isti quidem eruditionis fructus nominatim sunt a Basilio et Augustino collaudati: sapientissimeque Paulus III decessor Noster scriptores catholicos iubebat stili elegantiam assumere, ut haeretici refellerentur, qui doctrinae laudem cum litterarum prudentia coniunctam sibi solis arrogarent.

Quod autem litteras dicimus excoli a Clero diligenter oportere, non modo nostrates intelligimus, sed etiam graecas et latinas. Immo apud nos plus est priscorum Romanorum litteris tribuendum, tum quod est latinus sermo religionis catholicae Occidente toto comes et administer, tum etiam quia in hoc genere aut minus multi aut non nimis studiose ingenia exercent, ita ut laus illa latine cum dignitate et venustate scribendi passim consenuisse videatur. – Est etiam in scriptoribus graecis accurate elaborandum: ita enim excellunt et praestant in omni genere exemplaria graeca, nihil ut possit politius perfectiusque cogitari. Huc accedit quod penes Orientales graecae litterae vivunt et spirant in Ecclesiae monumentis usuque quotidiano: neque minimi illud faciendum, quod eruditi graecis litteris, hoc ipso quod graece sciunt, plus habent ad latinitatem Quiritium facultatis.

Quarum rerum utilitate perspecta, Ecclesia catholica, quemadmodum cetera quae honesta sunt, quae pulcra, quae laudabilia, ita etiam humanarum litterarum studia tanti semper facere consuevit, quanti debuit, in eisque provehendis curarum suarum partem non mediocrem perpetuo collocavit. – Revera sancti Ecclesiae Patres, quantum sua cuique tempora siverunt, exculti litteris omnes: nec in eis desunt, qui tantum ingenio et arte valuerunt, ut veterum romanorum graecorumque praestantissimis non multum cedere videantur. – Similiter hoc summum beneficium Ecclesiae debetur, quod libros veteres poetarum, oratorum, historicorum latinos graecosque magnam partem ab interitu vindicavit. Et, quod nemo unus ignorat, quibus temporibus bonae litterae vel per incultum et negligentiam iacerent, vel inter armorum strepitus Europa tota conticescerent, in communibus monachorum ac presbyterorum domiciliis unum nactae sunt ex tanta illa turba barbariaque perfugium. – Neque praetereundum, quod ex romanis Pontificibus, decessoribus Nostris, plures numerantur clari scientia harum ingenuarum artium, quas qui tenent eruditi vocantur. Quo nomine permansura profecto

Digitized by Google


memoria est Damasi, Leonis Gregoriique magnorum, Zachariae, Silvestri II, Gregorii IX, Eugenii IV, Nicolai V, Leonis X. Et in tam longo Pontificum ordine vix reperiatur, cui non debeant litterae plurimum. Providentia enim munificientiâque illorum, cupidae litterarum iuventuti passim scholae et collegia constituta: bibliothecae alendis ingeniis paratae: iussi Episcopi ludos aperire in Dioecesibus litterarios: eruditi viri beneficiis ornati, maximisque propositis praemiis ad excellentiam incitati. Quae quidem tam vera sunt, tamque illustria, ut ipsi saepe Apostolicae Sedis vituperatores, praeclare romanos Pontifices de studiis optimis meritos, assentiantur.

Quamobrem et explorata utilitate et exemplo decessorum Nostrorum adducti, curare diligenterque providere decrevimus, ut huius etiam generis studia apud Clericos vigeant et in spem gloriae veteris revirescant. Sapientia autem operâque tua, dilecte fili Noster, plurimum confisi, quod exposuimus, consilium in sacro Seminario Nostro Romano exordiemur: nimirum volumus, ut in eo certae destinataeque scholae adolescentibus aperiantur acrioris ingenii diligentiaeque: qui emenso, ut assolet, italicarum, latinarum, graecarumque curriculo litterarum, possint sub idoneis magistris limatius quiddam in illo triplici genere perfectiusque contingere. Quod ut ex sententia succedat, tibi mandamus ut viros idoneos deligas, quorum consilium atque opera, Nobis auctoribus, ad id quod propositum est adhibeatur.

Auspicem divinorum munerum, benevolentiaeque Nostrae testem tibi, dilecte fili Noster, Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die xx Maii Anno MDCCCLXXXV. Pontificatus Nostri Octavo.

LEO PP. XIII.



Digitized by Google

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

MOHILOVIEN.

NULLITATIS MATRIMONII

Die 24 Ianuarii 1885.

Sess. 24 cap. 9 - de Ref. Matrim.

COMPENDIUM FACTI. Operâ et coactione matris, magis quam intimo cordis affectu, puella Anna die 15 februarii 1870 in ecclesia Mscislaviensi nuptialem fidem spondebat Tolpyho; at quo infelici omine, cito exitus docuit. Siquidem post dissensiones ac iurgia et quamvis inter haec infantulus eis natus esset, brevi tamen mulier virum suum fugit, ac domum apud matrem se recepit, simulque apud consistorium Mohiloviense instetit, ut nullum, ex capite vis et metus suum matrimonium declararetur.

Et re quidem vera die 31 Augusti 1876 hoc ecclesiasticum tribunal favore mulieris iudicavit: sed cum causa in gradu appellationis transmissa esset ad consistorium Tiraspolense, istud sententiam primae instantiae revocare censuit; ex eo praesertim motivo, quia «etiamsi actrix reipsa coacta vi et metu fuisset, prout exposuerunt ipsa actrix, eius cognati et testes, tamen in hoc casu matrimonium eorum, ratione diuturnae cohabitationis mutuae, validum et ratum esset, iuxta *Cap. 21 lib. 4 titul. 1 de sponsal. et matr.*: Ad id. . . . quamvis ab initio invita fuisset ei tradita et renitens, tamen quia postmodum per annum et dimidium sibi cohabitans consensisse videtur, ad ipsum est cogenda redire etc.»

Quo audito, mulier vi passionum abrepta adeo dementavit, ut lutheranam haeresim amplecteretur, et apud lutheranum consistorium Petropolitanum recursum pro matrimonii nullitate haberet. Ibique tandem voti compos effecta,

Digitized by Google

sub initium anni 1880 Pastori, ut aiunt, evangelico lutherano nupsit.

Tum vero Tolpyho infelicem suum statum conquerens causam olim a sua uxore apud curiam Mohiloviensem promotam prosequi ipse apud S. C. C. decrevit. Adeoque patronum sibi elegit, qui peractis ordinariis de iure actibus, citata quoque muliere, quamvis absque effectu propter eius contumaciam, allegationem exhibuit cuius haec est summa.

Disceptatio Synoptica

Nuptiae invalidae videntur. Nihil magis in iure exploratum existere quam quod in nuptiis liber consensus exigatur: eo enim exulante ipsum matrimonium illico necessario corruit, ut praesertim tradit cap. *Tuae fraternitati 25 De spons. et matrim.* Docere autem Alexandrum III *in cap. 14 eod. tit.*, « quod locum non habet consensus ubi metus vel coactio intercedit. »

Neque ad consensus libertatem tollendam apertam vim magnamque formidinem requiri, sed machinationes dolumque sufficere iuxta S. C. C. decisionem in *Parisien. Matrimonii* 25 Iunii 1864; vel preces violentasque suasiones, ut habent Consci *De separat. thori lib. 1 cap. 55 num. 21;* Panimol. *decis. 62 n. 23.* Etenim longe maior libertas in matrimonio quam in ceteris contractibus requiritur. Hinc cit. Consci *cap. 8 num. 83* concludit: « Ad irritandum matri» monium, quod significat coniunctionem Christi cum ec» clesia, quae fundatur in amore libero ac voluntario, non » in coactione, satis minor metus requiritur, quam in ceteris » contractibus, propter maximam voluntatis libertatem. »

Porro in themate Annam vi et metu, non vero libero animi consensu Tolpyho nupsisse, pluribus argumentis probare contendit patronus; et primum ex testium depositione, ut facta est in Mohiloviensi iudicio. Horum quatuor enim iurati sunt, adeoque vel abundantius sufficientes ad plenam fidem faciendam ex cap. *Licet 23 De test.*, et cap. *In omni*

Digitized by Google

ib., cum Rota *decis. num. 146 num. 7 part. 3 Recent.* etc.

Ex hisce igitur Generosus testatus est coram iudice delegato consistorii Mohilovensis, se usque ad annum 1870 prope Annae domum habitavisse, cui etiam tamquam scriba aliquando famulatus est: et cognovisse Annae matrem; quae fuit mulier severa et iracunda, et in omnes ingerens metum et timorem. Severe egisse cum filia, quam obiurgabat, minando eam privare benedictione et successione, nisi nuptias iniret cum divite Tolpyho. Quadam vero die audivisse fletum et clamorem in quodam domus cubiculo; a quo vidit evolare matrem insequentem et percutientem filiam Annam. Similia deposuit Medicus.

Quibus duobus testibus adminiculantur pariter sub iuramento duo alii, qui ante-matrimoniales testes dicuntur, quia examini matrimoniali ante nuptias iuxta regionis morem peragendo interfuerunt.

Post haec patronus adduxit depositiones aliorum quatuor testium, quibus, quamvis absque iuramento auditis, affirmavit fidem adimi non posse; propinqui enim sunt, et cum praecedentibus cohaerent: ideoque veluti in confirmationem accipiendos esse, et valere. Isti omnes de matris severitate, et de filiae stricta submissione, de minis exhaeredationis, et de vexationibus matris in filiam, ut eam ad matrimonium flecteret, uno ore testati sunt.

Quibus ex depositionibus tot violentiae tum physicae tum morales apparent, quarum una tantum, ut advocatus ait, sufficeret ad tollendum liberum consensum, qui in celebratione matrimonii requiritur; cum ad illud irritandum satis est minor metus, quam in ceteris contractibus. Quod praesertim verificatur de puella in caeca erga matrem obedientia educata, ut s. Rota in decis. 326 coram Ludovisio declaravit « quia propter constitutionem corporis illi sexui naturalem, (haec) minus potest resistere metui quam vir. » Et fortius si ei incutiatur timor maternam successionem amittendi, qui a doctoribus gravis dicitur et cadens in con-

Digitized by Google

stantem virum; Sanchez *de matrim. lib. 4 disp. 5 num. 20 seq.*, Pignatellus *canon. consult. 77 tom. 7 num. 6.*

Post haec adiunxit patronus probationes indirectas, quas inter recensuit animi repugnantiam, quam mulier post matrimonium erga virum ostendit. Siquidem solâ violentiâ, aut gravium hortationum impulsione matrimonialia obsequia praestitit, ut deponunt sponsaė mater ipseque vir; sed praesertim iuratus testis medicus Okinczic. In maritali cubiculo clamores et muliebres fletus auditos aliquando fuisse aliqui testes affirmarunt cum Okinczic. Aliquibus veluti Michaeli Diakoff maritus tempore non suspecto patefecit, suam uxorem nolle secum cohabitare. Imo vix post mensem a matrimonio ipse noctem transegit apud amicum Zapolski, libentius ibi quam apud uxorem dictitans se mansurum, ut hic deponit cum iuramento: mulieri etiam aliquando imprecatus est « teneat eam diabolus » ut asseruit alius.

Porro ista omnia satis innuere violentiam, quam Anna in matrimonio contrahendo passa est: docente s. Rota in *decis. 326 coram Ludovisio n. 7*, nec non in *decis. 23 n. 17 part. 12:* « Ex nimia animi aversione et repugnantia arguitur metus et quod matrimonium non subsistit. » Denique si aliquid superesset dubii, quam profunde mulier contractas nuptias detestaretur, vel luculentius edoceri ex deplorabili facto desertionis a fide. Quae certe non evenisset, nisi mulier intimo animi sensu virum et coniugium odisset.

Hisce praenotatis, gradum fecit patronus ad confutandum argumentum praecipuum quod ex adverso obiici posset; nempe post diuturnam cohabitationem cum viro, quin coram ecclesiastica auctoritate reclamaret, mulierem omne ius amisisse postulandi divortium, et matrimonium esse sanatum, quamvis ex defectu consensus nullum ab initio extiterit.

Hoc enim esse erroneum affirmavit, sive ius decretalium, sive ius novissimum inspiciatur. Sane iure Decretalium ut copula et cohabitatio matrimonium redintegrarent, requirebatur tum scientia nullitatis matrimonii, tum cohabitatio omnino spontanea. Ita Schmalzgrueber *tom. 4 part. 1 tit. 1*

Digitized by Google

§. *421,* Sanchez *De matrim. lib. 4 disp. 18 num. 3 seq.* Hinc Barbosa *Vot. decis. lib. 2 Vol. 17 num. 168* negat, etiamsi inter coniuges spontanea cohabitatio adesset, posse matrimonium restaurari, non probata in uxore certa et plena scientia nullitatis. Iamvero in praesenti casu neutrum constare a patrono asseritur. Non primum, spontaneam nempe cohabitationem, quia aliquando mulier domo maritali fugisse dicitur, et tantummodo matris coactione ad eam rediisse.

Post Concilium Tridentinum vero neque cohabitatio omnino spontanea, neque scientia nullitatis ad matrimonium convalidandum sufficiunt, sed requiritur ut iterum contrahatur coram Parocho et testibus. Hoc PP. Tridentini praescripsere in *Cap. 1 Sess. 24 de refor. matr.* Rationem huius dispositionis refert Barbosa in *Vot. Decis. lib. 2 vot. 16 num. 178* – ibi – « Ratio est, quia omnis forma et solemni-» tas, quae debet intervenire in actu ut valeat, debet quo-» que intervenire in ratificatione. » Unde S. C. C. in *Hyspalen.* 20 Iunii 1609, *lib. II Decretorum pag. 58 tergo* respondit: « hodie post Tridentinum Concilium matrimonium » metu contractum, et purgato metu per cohabitationem » cum carnali copula aliosque actus, non convalidari, nisi » iterum contrahatur, adhibita rursus eiusdem Concilii for-» ma. » Eiusdem tenoris sunt resolutiones in *Panormitana Nullitatis matrimonii 20 Septem. 1719* §. *pro nullitate, Gesnerien. Matrim. 17 Decem. 1735, Costantinopolit. 2 et 16 Decembris 1634, Ventimilien. matrimonii 20 Martii et 20 Aprilis 1700,* aliaeque. Unus tantum casus excipitur, casus scilicet occulti impedimenti: sed si impedimentum, et cohaerenter ad praesentem rem, si metus sit quid notorium vel deductum in iudicium vel adsit periculum quod aliquando innotescat, tunc matrimonium ex spontanea coniugum cohabitatione convalidari non posse; sed oportere ut iterum contrahatur coram Parocho et testibus.

At vero in themate occultum fuisse metum puellae illatum, post dicta nemo certe tenet: adeoque, conclusit patronus, praefatum coniugium et nulliter esse contractum, ne-

Digitized by Google

que in posterum fuisse revalidatum; adeoque Curiae Tiraspolensis sententiam esse infirmandam.

Animadversiones defensoris s. vinculi. Altera sed vero ex parte defensor vinculi observavit quod matrimonium, rite iuxta Tridentinam formam celebratum, habet pro se iuris praesumptionem iuxta Barbosam *vot. 1, n. 2,* et ideo qui metum ex adverso allegat, hunc plene probare tenetur. Ulterius iuxta Barbosam *l. 5 num. 57,* et *vot. 17 num. 154,* et Sanchez *De matrim. l. 4 disp. 12 num. 21* quando in probatis sit, in matrimonii celebratione abfuisse personam quae de violentia insimulatur, praesentes autem fuisse amicos et consanguineos, praesumi aut nullimode intercessisse metum, aut hunc esse purgatum; et contrariam probationem non admitti, nisi apertissima sit, et clarior quam si amici non intervenissent. Porro in themate asseveratur et Annae matrem absentem extitisse, et vicissim propinquos et amicos.

Praeterea in facto est coniuges expletis nuptiis, insimul habitavisse imo et filium progenuisse. Porro ex *cap. 21 de spons. et matr.* praescribi « quod quamvis (mulier) 11 an» nos habens ab initio invita ei (viro) fuisset tradita et » renitens; tamen quia postmodum per annum et dimidium » sibi cohabitans consensisse videtur, ad ipsum est cogenda » redire; nec de cetero recipiendi sunt testes si quos me» morata mulier... nominaverit producendos. » Ideo et in themate praesumptionem iuris gravissimam militare contra existentiam metus et subsequam matrimonii nullitatem.

Argumenta autem quae ad id in facto evincendum allegantur invicti non videri valoris, ut matrimonii vindex loquitur et probare conatur per singula. Primo enim impetit testium examen; siquidem iuxta S. C. C. *Instruct.* diei 22 Augusti 1840 §. *Cum itaque,* §. *Expleto,* et §. *Deinde* testes audiendi essent sub sacramenti fide, cui legi et parentes et sponsi parere deberent: in themate autem quinque testes sunt admissi, quin iuramento de veritate dicenda obstringerentur.

Digitized by Google

Ulterius, notavit, sancitum et receptum est in forensi praxi, ut testes supponantur discretis rogationum formulis; quae cautela ad fraudum pericula praecavenda, in omnibus causis, sed praesertim in matrimonialibus, sarta tecta servanda videtur: at in casu depositiones testium exhibentur veluti continuas narrationes nulla interrogatione commixtas.

Sed secundo, missa parumper quaestione de examinis et testium valore, sacri vinculi assertor metus saltem gravis existentiam impugnavit. Ad irritandum enim matrimonium non quilibet metus sufficit; sed iuxta Barbosa *Vot. dec. 77, num. 46,* talis requiritur qui cadat in constantem virum: istiusmodi autem non esse, qui quinque hisce conditionibus non satisfaciat: 1.) quod malum quod timetur sit grave; 2.) quod imminere firmiter credatur; 3.) quod metum incutiens sit potens minas executioni mandare, 4.) imo et solitus sit; 5.) tamen quod timens se tueri non possit aut implorando alterius auxilium aut superiorem adeundo: Barb. ib. pluribus allegatis test. et DD.

Iamvero ad factum deveniens notavit, timorem sponsae incussum esse vel de haereditate amittenda, vel de indignatione matris occurrenda. Porro quoad primum, cum ageretur non de paterna, sed de materna haereditate, dici posset malum quod minabatur, non fuisse de poena damni, sed de amissione alicuius lucri. Porro « matrimonia debent esse libera a poena damni, non a poena amissionis lucri » iuxta *l. 70 §. 1 ff. De condit. et demonstr.* cum Panormit. in c. *Gemma n. 1 De spons.* et Barbosa *Vot. decis. 127 num. 15* – ibi – « Unde... poena quae consistit in amis- » sione lucri imposita alicui ut contrahat matrimonium » cum certa persona, illud non impedit nec annullat, quam- » vis dicatur metu non amittendi lucrum contraxisse. » Accedere quoque in themate quod ignoratur quaenam fuerit materna substantia, num unica domus; et ideo aestimari non posse quam lucri amissionem mater minitaretur.

Dicunt testes, matrem obiurgasse et exprobasse filiam minando eam successione privare, ni suam flecteret volun-

Digitized by Google

tatem: ast minae non semper exequuntur: ceteroquin vero « pater potest increpatione paterna cogere filium ad certum » matrimonium » Sanchez *De matr. l. 4 disp. 25 num. 5* et similiter Goffredus in *sum. tit. De desp. impub. n. 12.* Matrem autem erga filiam nimiam in sua coactione non fuisse ex eo liquido apparere, quod, expleto matrimonio, filiae domum redeunti et virum derelinquenti non restiterit. Idque cum asserta ex adverso indole duriori et pervicaci matris parum cohaerere, et indicium potius existere animi erga filiam obsequentis.

Et haec quoad minas: de colaphis autem defensor vinculi notavit, ex quinque qui de his loquuntur unum solummodo iuratum esse. Praeterea Adamum Tolpyho in contrarium asserere se numquam vidisse matrem aspere filiam tractantem. Neque de verberationibus aliquid dicere Michaëlem Zapolski qui « in intimis relationibus » cum familia mulieris vivebat. Tandem percussionum aut saevitiei narrationem exauctorari ex facto patris: hic enim qui vivebat et conspicuum gradum in militia habebat, quique autem ut coactor ad matrimonium non exhibetur, certe ita filiam suam vexari non permisisset, aut invitam ad matrimonium cogi.

Post haec defensor vinculi paucis se expedivit de silentio, aut, magis precise, de perturbatione animi, quam Anna in actu nuptiarum passa dicitur: hoc enim quid naturale appellat, et plerumque accidere: testes autem non deponere, Annam non respondisse, sed « unum vel alterum verbum pronuntiando tacuisse » aut « post quamdam reluctantiam respondisse quod erat necesse. »

De deliquio animi autem matrimonii vindex observavit, hoc indicium aut leve aut incertum esse de metu et de reluctantia ad matrimonium, ideo quia ex aliis causis prodiisse potest. Sed praeterea quid nomine deliquii praecise intelligatur et quando evenerit, non constat. Siquidem « filia mea conferendo se ad ecclesiam..... patiebatur animi deliquium » ait mater: Adamus Tolpyho vidit Annam patientem animi

Digitized by Google

deliquium in *domo sponsi*, et proin non nisi post hebdomadam ab expletis nuptiis: Apollinaris Boreisza refert Annam passam esse animi deliquium ante nuptias: Michael Diakoff dicit deliquium evenisse die matrimonii ad *vesperam inclinato*. Et inter haec Leo Leonoviwicz traducit Annam tempore convivii nuptialis utpote quae « nimis lacrymabat, et » patiebatur deliquium animi, ita ut efferretur de camera. »

Sed vicissim Michael Zapolski vidit Annam pridie nuptiarum « insolitâ laetitiâ » gestientem, et « nimis laeto animo » accurrisse ad sedentem sponsum, sedisse super genua, et » osculatum eum esse. »

Deveniens subinde vinculi defensor ad cohabitationem mulieris cum suo viro observavit, hanc spontaneam dici debere: neque enim praesumi potest quod mater filiam vi aut metu cogeret ad maritalem domum: si enim hoc esset, Anna adhuc in domo Tolpyho maneret. Porro spontaneam cohabitationem revalidare matrimonium deduci ex celebri oraculo S. Pii V de quo Benedictus XIII *Notif. 87 num. 63*, et DD. loquuntur. Utique ad hoc requiri quod impedimentum, seu metus, sit occultum: ast impedimentum ad hunc effectum occultum haberi quando non potest probari in foro externo, aut non innotescit « maiori parti paroeciae, viciniae, vel collegii » Liguori *Theol. Moral. lib. 6 n. l. 111*, Sanchez *l. 8 dis. 34 n. 55*.

Iamvero in themate metum incussum, si tamen extitit, occultum permansisse, matrimonii vindex, ex ipso causae processu eruit et affirmavit: adeoque conclusit, aut matrimonium fuisse valide ab initio contractum aut saltem et subsequenti et spontanea cohabitatione revalidatum.

Hisce breviter delibatis suppositum fuit diluendum

Dubium

An sententia Curiae Tiraspolensis sit confirmanda vel infirmanda in casu.

Resolutio. Sacra C. C. re cognitâ, sub die 24 Ianua-

Digitized by Google

rii 1883 censuit respondere: – *Ex deductis non satis constare de nullitate matrimonii.* (1)

Ex QUIBUS COLLIGES. I. Matrimonium iuxta formam Tridentinam celebratum habere pro se iuris praesumptionem; ita ut alleganti ex adverso metum onus incumbat eumdem plene probandi.

II. Praesumi ex doctoribus nullum adfuisse metum, aut purgatum fuisse, quando nuptiarum celebrationi non adstitit persona quae de violentia accusatur; sed adstiterunt amici et consanguinei: ita ut contraria probatio pro nihilo habeatur, nisi apertissima et concludens.

III. Non metum quemlibet matrimonium irritum facere, sed requiri, ad hoc, metum qui cadat in constantem virum; et qui habeat quinque conditiones communiter a Canonistis assignatas.

IV. In themate compertum esse, matrem quae de violentia insimulatur, non adfuisse nuptiarum celebrationi; et antea minitasse filiae suam indignationem, et amissionem haereditatis, quae quanta fuerit ignoratur, quatenus suam non flecteret voluntatem.

V. Matrimonia libera esse debere a poena damni, non a poena lucri; ita ut valide contrahat qui dicatur nuptias contraxisse ex metu lucrum amittendi.

VI. In themate minas ex parte tantum matris venisse; ita ut metus nasceretur ex poena amittendi lucrum, non vero ex poena damni quoad haereditatem patris, qui increpatione paterna cogere valeret filium ad certum ineundum matrimonium.

(1) Animadvertas velim, Emos Iudices prudenti consilio haud respondisse directe proposito dubio: et quamvis matrimonium insolutum maneat ceu resolverat Curiae Tiraspolensis, tamen id evenire posset, quia vis et metus evictus formiter non fuit. Dum ex iudicio Curiae, firmae mansissent nuptiae, quia revalidatae per longam cohabitationem. Quod evictu difficillimum est post sanctionem Tridentinam: quae fert ut nuptiae irritae ex quocumque impedimento publico, revalidentur coram parocho et duobus testibus. In themate vero arduum videtur evincere, formali ritu, an impedimentum *vis et metus*, si adfuit, publicum aut occultum permanserit. Hinc S. C. C. posthabito proposito dubio, respondit, non satis constare de nullitate matrimonii per ea quae adducta fuere: ita ut si in alio experimento evidentior fieret probatio de existentia adducti impedimenti, sententia sacri Tribunalis reformari, et nuptiae infirmari possent.

Digitized by Google

REGIEN.

IURISPATRONATUS

Die 24 Ianuarii 1885.

Compendium facti. Praepositura s. Nicolai civitatis Regiensis, cui animarum cura inest, vacavit die 4 Maii 1884. Reditus huius beneficii a familia Zoboli anno 1480 constituti, tangunt libellas 15000, sed reducuntur ad libellas 5000, impletis oneribus. Bulla erectionis non adest et ideo quaenam praecise fundationis lex fuerit rite cognosci non datur. Attamen sive Episcopus sive ceteri interesse habentes conveniunt, hoc beneficium esse s. Sedi immediate subiectum, ac proinde ab Apostolica Dataria semper conferri, non tamen libere, sed subsequenter ad praesentationem haeredum et descendentium a tribus fratribus Iacobo, Christophoro et Leonello Zoboli, qui beneficium erexerunt, quique agnatos aut etiam cognatos suos praeferri in beneficii provisione voluerunt. Quum autem Leonellus Episcopo cessisset suum ius activum seu unam ex tribus vocibus, hic in praesenti vacatione putavit ius praesentationis colligi exclusive apud se; quia ultimi compatroni, alias duas habentes voces omnia sua iura in dicto beneficio pro libellis 20000 vendiderunt quibusdam hebraeis (1). Et ideo ex sanctione ss. Canonum ius praesentandi in poenam amiserunt, ob censuras incursas ex venditione bonorum Ecclesiae.

Hinc Episcopus solus praesentavit ad dictum beneficium Aloysium de Medici, descendentem agnatum ab uno ex patronis, qui videntur tradidisse ius passivum propriis agnatis, qui ab eisdem originem ducerent.

Verum institutio concedi pacifice non potuit, quia illico ad Apostolicam Datariam plures aut ius activum aut passivum ad beneficium iactantes, vel sacerdotem De Medici

(1) Apud civile Tribunal evictum fuit, perperam factam fuisse eiusmodi venditionem, quia bona paroeciarum haud perculsa fuerunt lege civili diei 15 Augusti 1867.

Digitized by Google

ignorantiae, aliorumque coarguentes venerunt. Dataria igitur ad S. C. C. acta pro voto transmisit.

Disceptatio Synoptica

PRAESENTATIO INFIRMANDA VIDETUR. Profecto quae contra factam praesentationem oggeri possent, desumi primum deberent ex eo quod facta praesentatio sit, quin quidam audirentur qui ius patronatus activum ad beneficium iactant. Sed hoc argumentum parum urgeri potest, tum quia hi praecise non contradicunt praesentationi ab Episcopo peractae, imo in personam sacerdotis de Medici consentiunt, ut constat ex earum literis; et solummodo recurrunt ad hoc, ut, pauperes cum sint, ex beneficii reditibus succurrantur.

Hac via igitur impugnationis omissa, alia utilius aggredi posse videtur, ostendendo videlicet sacerdotem De Medici dignum non esse qui eligatur, et alios prae eo haberi qui et digni sunt, et validiori iure ad beneficium potiuntur. Sunt enim in actorum fasciculo epistolae quaedam, in quibus asseritur Aloysium De Medici ingenio carere, studia vix absolvisse, et difficulter ad ss. Ordines fuisse promotum, quin imo bis examini pro fidelium confessionibus audiendis se obtulisse, et bis reiectum fuisse: Episcopum tamen ei plurimum favere. Iamvero constat praeposituram animarum curam adnexam habere. Ideoque praesentatus ad huius oneris officium habilis esse debet: aliter enim tum ab ecclesiastica lege, tum ex praesumpta fundatoris voluntate repellitur; s. Rota *decis. 178 apud Tanari*, Schmalzgrueber *tit. De iure patron.* et praesentatio ita facta perinde habetur ac si facta non fuisset; s. Rota *decis. 13 n. 13 p. 9 th. 1 Recent. in compend. red.* idque quamvis nominatus esset passive quoque vocatus.

Ulterius sacerdos De Medici traducitur veluti plurium beneficiorum detentor et, quod gravius est, tamquam onerum beneficiis adnexorum non satisfactor, adeo ut dicatur quaedam millia missarum celebrare omisisse. Quae confir-

Digitized by Google

mantur ab Episcopo, qui ait: verum esse quod anno 1866 duo beneficia collata fuerunt per *modum unius* eidem Sacerdoti, habenti ad eadem ius passivum: pariter verum esse nonnullis oneribus eadem beneficia gravari, quae impleta non fuerunt.

Porro quamvis sacerdos De Medici eiusque pater, qui unius ex istis beneficiis administrator existit, se excusent de non impleta onerum satisfactione succensentes bonorum usurpationi et cuidam liti ad bona recuperanda intentatae, tamen hoc saltem extra dubitationis aleam positum videtur, sacerdotem De Medici duo vel tria beneficia iam detinentem, ulterius beneficium in Praepositura consequi non valere. Missis enim iis quae Tridentina Synodus iussit in *sess. 24 cap. 17 de reform.* et ea quae DD. de vetita pluralitate beneficiorum tradunt, ea referre sufficiat quae S. C. C. decrevit in *Bitecten.* relata in *Thesauro Resolutionum tom. 2 pag. 107* ubi ad dubia - I. *An obtinens primum beneficium sive liberae collationis, sive de iure patronatus laicorum, ad sui sustentationem sufficiens, possit absque dispensatione Apostolica retinere secundum de iure patronatus laicorum in casu - II. An obtinens duo beneficia sive liberae collationis, sive de iure patronatus laicorum, minime sufficientia ad congruam substentationem, possit retinere tertium et quartum de iure patronatus laicorum, absque dispensatione apostolica in casu* - S. C. C. respondit: *Ad 1 negative - Ad 2. negative.*

Quod sed vero districtius adversari videtur institutioni sacerdotis De Medici est recursus trium sacerdotum quorum unus est Aloysius Zoboli parochus loci *Saliceta;* alter vero prioris frater et parochus pagi *Cognento* appellatur Silvester Zoboli; tertius demum parochus et ipse loci *Roncocesi* cognominatur Angelus Zoboli. Hi enim tres ius habere et passive vocari ad praeposituram s. Nicolai praesumunt.

Hinc duo priores cum primum praeposituram s. Nicolai vacantem resciverunt, cito allegaverunt tabellam seu arborem genealogiae, in qua ostendunt per 13 generationes ipsos

in linea agnatitia coniunctos existere cum Iacobo Zoboli uno ex beneficii fundatoribus, simulque oraverunt ut ad suam assertionem probandam tempus sibi sufficiens largiretur. Notare tamen libet quod nihil ulterius ad acta est ab ipsis relatum.

Angelus Zoboli vero arborem genealogicam ipse quoque attulit, qua ostenderet se per agnationem et ex 11 generationibus Iacobo Zoboli coniungi: sed ulterius attestationes baptismales obtinere valuit pro singulis hisce generationibus. Porro fides baptismatum satis est ad descendentiam probandam iuxta s. Rotam *decis. 178 n. 5 apud Tanari*. Et ideo pro certo teneri debere Angelum Zoboli coniungi, cum fundatoribus lineâ agnatitiâ et per 11 generationes.

Vicissim inter De Medici et fundatores, ut fidem facit schema genealogicum, ab eodem De Medici relatum, et a Curia probatum, 12 personae inveniuntur, et sic 13 generationes; ulterius bis per mulieres cum fundatoribus ipse coniungitur: adeoque dicendus idem foret dupliciter remotior a fundatoribus prae Angelo Zoboli, nimirum tum nomine tum sanguine. Porro docet cum aliis Schmalzgrueber *De iure-pat. p. 4 tit. 38 n. 184* et Palma *tr. 13, D. 4, p. 9, n. 7*, quod si duo sint aeque propinqui, alius descendens per lineam masculinam, alius per femininam praeferendus sit primus, eo quod descendens per lineam masculinam semper praesumatur magis dilectus fundatori. Perpendendum insuper quod ubi agatur de praesentando consanguineo, patronos teneri propinquiorem praesentare, et non posse remotiorem nominare, nisi sit spes sic magis idoneum praesentandi.

At in themate verificaretur quod remotior, et quidem per lineam femininam descendens, ipse indignior existeret, iuxta superius dicta: tres alii enim iam parochi sunt. Ergo nominatio sacerdotis De Medici sustinenda non videretur. Eo vel magis quod patronus in casu Episcopus esset, seu persona ecclesiastica quae districtius tenetur ad digniorem praesentandum, sive praesentatio fiat in concursu sive extra, ut docet Ferraris *v. Iuspatronatus art. 4 n. 81*.

Digitized by Google

Sed quod rem contra De Medici prorsus conficere videtur, sunt quaedam verba quae leguntur in adducto Episcopi decreto: quae nempe innuunt, ex fundatione, ius passivum pertinere ad descendentes agnatos. Porro si agnatis conferenda est praepositura s. Nicolai, et De Medici tum ex nominis testimonio, tum ex schemate genealogico ab ipso proposito et admisso, agnatus non est, iam ex ipsa fundationis lege videretur exclusus.

Angelus autem Zoboli, aut etiam duo alii sacerdotes Zoboli, si tamen luculentius suam agnationem probent, dicendus potius esset passive vocatus ad praeposituram; atque hac patroni praesentatione proprie neque indigere iuxta s. Rotam coram Tanari *decis. 267 n. 1 t. 2,* et haberi iam pro nominato et praesentato s. Rota *decis. 132 n. 2 p. 14 Recent.; decis. 299 n. 3 p. 15; decis. 68 n. 16 p. 12 ibid.*

Praesentatio confirmanda videretur. Defensor autem sacerdotis Aloysii de Medici recolit in erectione Ecclesiae Parochialis s. Nicolai in Collegiatam ex propriis bonis concessam fuisse a Sixto IV et Alexandro VI annis 1481, 1482 et 1495 – *Iacobo, Cristophoro et Leonello De Zobolis ac eorum haeredibus et successoribus ius patronatus et praesentandi personas idoneas ad Praeposituram* –, vocemque *Leonelli* modo repraesentari ab Episcopo pro tempore Regiensi, ex donatione illi facta anno 1564 ab eodem *Leonello* et unico filio masculo *Ioanne* Zoboli, praeeunte s. Sedis veniâ: vocem *Iacobi* pertinere ad familiam De Medici, per medium comitissae Victoriae Grimaldi, nuptae notario Antonio De Medici regiensi: vocemque *Christophori* esse Comitum Georgii, Ferdinandi aliorumque Cassoli – Lorenzotti, Mutinensium, qua causam habentium a comitissa Eleonora Cesis, filia comitis Ferdinandi Cesis, nati a comitissa Cornelia Zoboli.

Ex qua tamen voce *Christophori* comites Georgium et Ferdinandum Cassoli – Lorenzotti decedisse, quia evertere tentarunt Collegiatam et Praeposituram, bona fundationis sibi vindicantes, tamquam patroni laici, et postea quoque

Digitized by Google

vendentes iura patronatus, accepto pretio, contra *Tridentinum Sess. 24 cap. 29* diserte vetans ne patroni suum ius – *venditione aut alio quocumque titulo in alios contra canonicas sanctiones transferre praesumant: si secus fecerint, excommunicationis et interdicti poenis subiiciantur et dicto iure patronatus ipso iure privati existant* –.

Fortius vero haec vindicatio bonorum et postera venditio nullitate laborat, quia facta est hebraeis, ex iure omnino incapacibus habendi rem sacram, quibus insuper interdictum est obtinere ex integro ius patronatus, etsi ea lege dotaverint et donaverint, ut ius illud acquirerent; *Fargna de iure patron. Tom. I part. 1 can. 4 cas. 13 n. 1.*

Vocem ideo horum descendentium *Christophori,* existentibus in patronatu aliis compatronis, iure tribui Episcopo, in concursu aliorum compatronorum; Lambert. *de iure patr. lib. 3, quaest. 8 art. 10 num. 1,* Card. De Luca *de iurepatron. disc. 56 num. 18,* Vivian. *de iurepatron. part. 1 lib. 4 cap. 5 num. 12,* ad differentiam casus patronatus *haereditarii unici,* unius tantum scilicet patroni, in quo ementes et vendentes iuspatronatus, eo privantur ipso iure, atque Ecclesia evadit libera *cap. consulere de simon.*

In vacatione itaque Praepositurae anni 1884, subdit orator, Episcopum regiensem habere omnium patronorum vocem: *Leonelli,* cuius erat donatarius, et *Christophori,* pertinentem ad fratres Cassoli – Lorenzotti; quamque hi perdiderunt ex vindicatione bonorum et venditione: dum in linea *Iacobi* aderat sac. Aloysius De Medici se ipsum praesentans.

Merito ergo Episcopus, qua patronus unicus, Datariae Apostolicae praesentavit hunc sacerdotem De Medici, quem dixit sacerdotem moribus integrum, et apostolicae addictissimum Sedi. Quod si maioris aetatis, qua potitur 33 annorum, aut profundioris fortasse doctrinae ipse expers est, observavit Episcopus, Praeposituram habere solum curam *habitualem* s. Nicolai; ita ut sufficiens dici queat ad id oneris, dum alias nemo adsit agnatus aptus Praepositurae consequendae.

Digitized by Google

Aut ergo, conclusit defensor, censeri debeat Episcopum, uti in praesentatione ratus est, duas voces in praesentatione habere, aut ex duabus vocibus Leonelli et Christophori de Zobolis, unam revera spectare ad Episcopum et alteram ad Carolum Cassoli, (1) consequens semper erit sac. Aloysium De Medici descendentem a *Iacobo* et semetipsum Superiori ecclesiastico exhibentem, omnes in vacatione quotquot sunt voces patronales sortiri, ideoque ad Praeposituram regiensem merito instituendum esse.

Sed nulla omnino praesentatione, orator ait, Aloysius De Medici, re intimius inspecta, opus habebat: nam in Bulla Alexandri VI haec adsunt verba: *Et quod recurrente de cetero dictae praepositurae vacatione, Clericus, si reperiatur, ex familia dictarum Iacobi, Christophori et Leonelli... idoneus praesentari, et in praesentatione huiusmodi quibuscumque aliis praeferri debeat, auctoritate Apostolica tenore praesentium statuimus pariter et decernimus.*

Dato itaque nedum *activo,* sed *passivo* quoque patronatu, atque ad hunc cum vocatus sit clericus existens in descendentia *Iacobi Christophori* et *Leonelli;* hic profecto est sac. Aloysius De Medici, descendens a linea *Iacobi,* qui proinde praesentari non oportebat, nam vocatus erat ab ipso fundatore; Piton. *de controv. patron. allegat. 17 num. 12 et allegat. 68 num. 10;* se tamen Curiae Episcopali exhibuit uti passive vocatum, et mox iterum in Datariam Apostolicam supplicavit pro institutione. Iam vero cum etiam Episcopus testatus sit, Aloysium de Medici, aptum esse Praepositurae moderandae, aliumque non adesse descendentem agnatum, ad hoc onus idoneum: ideo audiendos non esse alios, ait defensor, qui nullam sui iuris probationem exhibuerunt.

Quibus animadversis resolvendum propositum fuit

(1) Carolus Cassoli-Lorenzotti descendens a fundatore Christophoro quin participaverit cum aliis in venditione iurispatronatus, suam praestitit operam Praeposito modo defuncto in vindicandis Ecclesiae iuribus apud Tribunalia civilia, contra hebraeos ementes bona paroecialia.

Digitized by Google

Dubium

An et cui competat institutio in casu.

Resolutio. Sacra C. C. re disceptata sub die 24 Ianuarii 1885 censuit respondere: – *Affirmative, favore Sacerdotis De Medici.*

Ex quibus colliges. I. Ex Pitonio *de controv. patr. allegat. 9 n. 31* validam haberi nominationem tantum a nonnullis peractam; dum ceteri patroni, aut iure praepediti fuerunt, aut nominare neglexerunt: quia patroni in iure praesentandi sunt veluti consocii in re communi.

II. Iure passivo fruentes censeri nominatos ab ipso fundatore; ita ut si negligantur a patrono nominante, queunt iure proprio obsistere cuivis nominationi.

III. Nominatum ab Episcopo in themate colligere in se tum ius passivum tum activum; utpote qui descendere ab uno ex tribus fundatoribus; et unicum esse agnatum, ad munus idoneum, evincere plene valuerit.

IV. Patronos vendentes iuspatronatus ex *Trid. Sess. 24 cap. 29* poenis excommunicationis et interdicti subiici et ipso iure patronatus privari; ita ut si patronus haereditarius sit unicus iure suo despoliatur atque ecclesia evadit liberae collationis.

ORTONEN.

ERECTIONIS PRIMICERIATUS

Die 20 Decembris 1884.

Per Summaria precum.

Compendium facti. Canonicatus Cathedralis ortonensis sunt massae communis, ideoque aequalis annui reditus. Ast cum omnes et singuli adiunctam atque adnexam habeant praebendam, aliam aliâ pinguiorem, de more est, ut, vacante aliqua earum, exceptis tantummodo praebendis Archidiaconatus, Poenitentiarii, Theologi et Parochi a proprio

Digitized by Google

canonicatu inseparabilibus, Canonicus prior in tempore quoad possessionem, ad vacantem praebendam optandi ius habeat.

Evenit sed vero quod canonicus Franciscus Bonanni iamdiu, nimirum usque ab anno 1862, possideat praebendam quae dicitur s. Sophiae, quaeque, cum consisteret in fundo, nemoribus consito, parum ab initio reddebat, nimirum centum circiter libellas. Sed ipse vi suae industriae et proprio aere hunc fundum frugiferum adeo fecit, ut Episcopus referat praebendam hanc, praeter reditus Canonicatus proprios, nunc exhibere libellas 864,67.

Porro Canonicus iste veluti in benemerentiam expensarum et laboris, petivit, hunc suum canonicatum, cui adnexa est praebenda s. Sophiae, elevari ad gradum Canonicatus primicerialis cum eisdem privilegiis, quibus olim fruebatur; atque ita constitui in Capitulo alteram, post Archidiaconatus dignitatem. Optavit ulterius quod praedictus canonicatus concursui et examini subiiciatur ad beneplacitum superioris *pro tempore;* et ut huic dignitati, ita constitutae, onus duarum Missarum in quolibet anno, imponatur.

Episcopus preces amplissime commendavit; sed Capitulum assensum variis supposuit conditionibus, quas omnino reiecit Ordinarius.

Disceptatio Synoptica.

Quod huiusmodi Canonicatus ad Dignitatis gradum elevetur, difficultas esse non potest, cum et praebendam *reliquiarum omnium pinguissimam* habeat, ut Episcopus testatur; cum sive Episcopus sive Capitulum consentiant; idque vergat in maius decus Ecclesiae, quae pretiosas habet reliquias s. Thomae Apostoli, et in melius chori servitium.

Punctum igitur quaestionis in eo tantummodo esse videtur, quod conditiones Dignitati imponendas respicit. Etenim si acceptentur, ut Episcopus et Bonanni poscunt, iam laedi videretur ius ceteris Canonicis quaesitum, optandi scilicet ad vacantes praebendas. Ius enim « optandi ad » praebendam s. Sophiae supprimi deberet » in voto Cano-


Digitized by Google

nici Bonanni, ceu notat ipse Ordinarius. Id autem inpingeret in regulam « de iure quaesito non tollendo ».

Verumtamen considerari etiam oporteret, quod nonnisi expensis et laboribus ipsius Bonanni factum est, ut praebenda s. Sophiae ceteris emineret, et desideraretur. Et ulterius quod beneficii fundator, aut constitutor, potest in limine fundationis ei adiicere conditiones sibi benevisas, etiam iuri communi contrarias; *C. Significatum 11 De praeben., C. Praeterea 23 De iure patron.,* Ferraris *v. Beneficium* §. *1 num. 12,* et DD. passim. Ac tandem quod haec « secunda Capituli Dignitas personas exigeret vitae morumque probitate, nec non scientiâ ac ss. Canonum peritiâ, digniores. Quod, ait Episcopus, obtineri solummodo poterit posthac, ope praevii concursus, minime vero iure quaesito Capituli optandi. »

Quibus praenotatis, quaesitum fuit quonam responso essent dimittendae preces Canonici Bonanni.

Resolutio. Sacra C. C. re cognita sub die 20 Decembris 1884, censuit respondere: – *Pro gratia, facto verbo cum SSmo.*



TARRACONEN. ET OXOMEN.

ORDINATIONIS SEU EXCARDINATIONIS ET DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE

Die 20 Decembris 1884.

Per summaria precum.

Compendium facti. Antonius indigena Archidioecesis Tarraconensis, et in Episcopali Seminario Oxomenis rudimenta latini idiomatis nunc tradens, ac simul philosophiae studio incumbens, supplici oblato libello sub die 21 Februarii 1883, exposuit se, in aetate viginti annorum constitutum, ardenter cupere clericali militiae cooptari et ad ordines promoveri. Nequire tamen id perficere ex oppositione Archiepiscopi, a quo eiectus fuit e seminario, et a quo denegantur

Digitized by Google

litterae dimissoriales. Levibus autem orator adductis causis, petiit ut ei indulgeretur facultas recipiendi ordines a quocumque catholico Antistite.

Rogatus super his precibus Antistes oxomensis retulit, oratorem bonis praeditum esse moribus. Tarraconensis vero Archiepiscopus respondit quod omnia ab oratore relata veritate haud nituntur, si excipias eius e Seminario eiectionem, et litterarum dimissorialium negationem. Attamen, prosequutus est Antistes, tacuit Orator quod morbo laborat, quem *catalepsim* vocant, quemque insanabilem medicus dixit, et qui in insaniam aut certe in fatuitatem posset Oratorem traducere; quod novas deinceps, easque gravissimas, passus est *catalepsis* accessiones; quod ope ephemeridum, adiuvantibus etiam aliis, quos scandali socios sibi adscivit, in Seminarii moderatorem aliosque spectabiles Sacerdotes, et in ipsum etiam Antistitem petulanter insurrexit, convitiis eos lacessens, atque ridiculis nominibus deludens.

Nulla interposita mora rescriptum est, ut orator exhiberet iurata trium medicorum testimonia quoad eius integram valetudinem, attentis praesertim praecedentibus catalepsis accessibus; et interim retractaret iniurias et contumeliosa verba in Archiepiscopum prolata et veniam ab eodem humiliter peteret. Mandatis paruit Orator, preces simul instaurans ac remittens tum medicorum testimonia, tum emissae retractationis exemplar. Veruintamen Archiepiscopus retractationem haud excipere censuit, utpote quae res politicas respiceret tantum, de quibus ait sese sollicitum non esse, et confirmavit praecedentem informationem, addens, oratorem de praeteritis culpis non poenitere et ab incoepto non desistere. Rogatus tunc fuit tum Archiepiscopus, ut ipse transmitteret formulam retractationis, ab Oratore emittendae; tum Episcopus, ut referret an libenter Oratorem ad ordines promoveret et suo clero adscriberet. Ab isto affirmativum responsum acceptum est, ab illo autem litterae, in quibus magis ac magis ostendere studuit, Oratorem expetitâ gratiâ indignum esse.

Digitized by Google

Disceptatio synoptica

Gratia indulgenda videtur. Ex innumeris resolutionibus S. C. C. patet, Summum Pontificem concedere solere ut quis, renuente proprio Episcopo, ex una in alteram Dioecesim se transferre valeat, ad effectum suscipiendi ordines sive maiores sive minores. Causae autem quae plerumque afferuntur ad id consequendum, in themate haud exulare videntur. In primis enim cum Episcopus oxomensis testetur, se talem clericorum penuriam experiri, ut Oratorem accersire debuerit et magistri munus eidem concredere, satis apparet de necessitate vel saltem de evidenti Ecclesiae utilitate. Et cum praeterea idem Episcopus asseveret, Oratorem felici pollere ingenio, bonisque praeditum esse moribus, omnia concurrere videntur in casu, quae R. Pontificem ad benignitatem inclinare solent. Quod si Orator male se gesserit erga Archiepiscopum et alios, commiseratione tamen dignus apparet, tum ob iuvenilem aetatem, in qua incaute plerumque et absque ponderatione agitur; tum ob peculiaria adiuncta in facti specie relata; tum demum ob emissam retractationem.

Hisce in vado positis, parum vel nihil opponere iuvat catalepsis accessus, cum tres medici uno ore testentur, oratorem frui bonâ valetudine, et a duobus annis liberum esse a praedicto morbo, quo afflictabatur.

Animadversum tandem fuit causas adesse pro dispensatione, quatenus censeretur constare de irregularitate.

Gratia deneganda videtur. In contrariam sed vero sententiam abire suadet Archiepiscopus, sive ex prava Oratoris indole, sive ex morbo, quo iste laborat. Primum quod attinet, idem Praesul animadvertit, Oratorem nec poenituisse, nec poenitere eorum, quae peccavit; imo et ab incoepto nullatenus desistere. Dum enim Romae sibi ignosci postulat et se benigne exaudiri, Archiepiscopum, Seminarii Moderatorem, aliosque egregios ecclesiasticos viros verbo, litteris missis, offensionis ergo, ephemeridibus, lacessit: Seminarii etiam alumnos quos ad disciplinam evertendam

induxerat, quique ad officium redierunt, sollicitare pergit. Ex tristissima insuper experientia se didicisse asseveravit Archiepiscopus, illum ita effrontem et ore procacem esse, ut neminem vel dignissimum revereatur, et saepe pro petulantia insanire. In ea proinde sententia esse, quod si Orator inter clericos adscribatur, dedecori ipse sit futurus statui ecclesiastico, et petra scandali in Ecclesia.

Maximum praeterea obstaculum parat morbus, qui Oratorem a nonnullis abhinc annis vexat, quique insanabilis a medico iudicatus est. Et quamvis tres alii medici, vim morbi attenuent, ac eiusdem etiam causas disparuisse putent, id nihilominus facto parum consonum videtur. Nam Episcopus ipse Oxomensis, qui haud dedignatur Oratorem suo Clero adscribere atque ad ordines promovere, in postremis litteris missis sub die 3 Iunii 1884, ad S. C. C. post septem videlicet menses a die praefati testimonii, necessarium duxit animadvertere, eumdem *Oratorem epilepsià laborare*. Ex quibus verbis pronum est inferre illum vel novis morbi accessibus correptum fuisse, vel sin minus a praecedentibus non convaluisse. Verisimilius proinde apparet, quod Archiepiscopus alterius medici testimonio innixus refert, morbum videlicet, quo laborat Orator, et insanabilem esse, et hunc traducere posse in insaniam aut certe in fatuitatem.

Quibus animadversis, quaesitum est quomodo oratoris preces essent dimittendae.

Resolutio. Sacra C. Concilii re cognitâ, sub die 20 Decembris 1884 censuit respondere: *Negative*.

NULLIUS MONTIS CASSINI

CONCURSUS ET PRIVILEGII

Die 20 Decembris 1884.

Sess. 24 cap. 18 de ref.

Compendium facti. Abbas Cassinensis cupiens providere de idoneo pastore paroeçiam vacantem s. Andreae, edictum ad id promulgavit, quo invitabantur omnes qui ad paroe-

Digitized by Google

ciam concurrere vellent. Tres periculo se subiecerunt, videlicet Achilles Vitti, Angelus Manna et Thomas di Fiore. Synodales Examinatores, actis omnibus una cum requisitis dictorum concurrentium perpensis, sacerdotem Di Fiore digniorem iudicarunt, adeoque eligendum. Huic sententiae adhaesit Abbas et, cum ob lapsum temporis utilis collatio paroeciae S. Sedi devoluta esset, omnia examinis acta ad apostolicam Datariam transmisit, ac simul praedictum Di Fiore Sacratissimo Principi commendavit.

Id tamen aegre cum ferret sacerdos Manna, ac pro se militare autumans causas valde rationabiles, quibus alteri competitori praeferri mereretur, penes SSmum absque mora conquestus est de Examinatorum relatione, utpote qui non aeque ponderaverint merita utriusque competitoris, nihilque duxerint antiquissimum privilegium Abbatiae, quod scilicet beneficia eiusdem loci civibus conferri deberent. Ipse enim ad Cassini civitatem pertinebat, alii duo erant extranei.

Ad trutinam haec revocantes tres apostolicae Datariae Theologi, quibus actorum examen demandatum erat, votum sacerdoti Manna propitium ediderunt, eumdemque praeferendum esse existimarunt. Ne aliquid tamen hac in re decerneretur, inaudito Abbate, hunc rogavit a. Dataria, ut accuratissime referret tum de methodo ab Examinatoribus servata in diiudicandis concurrentium meritis, tum de praeallegato privilegio. Mandatis illico paruit Abbas, uti par erat.

Nihil interim praetermisit sacerdos Manna, ut assertum praelationis ius tueretur. Et cum praeterea institisset ut quaestio iuridice definiretur, apostolica Dataria acta omnia S. C. C. transmisit.

Disceptatio Synoptica.

Iamvero quod synodalium examinatorum iudicium sit iustum, recognosci videtur ab eodem Manna, qui in postremo supplici libello nihil amplius contra illud obmussitavit, ac super assertum privilegium insistendum tantummodo putavit.

Idque fortius est retinendum post ea quae adnotavit Abbas circa methodum ab Examinatoribus servatam in diiudicandis singulorum meritis; et circa suspiciones quae contra vitam sacerdotis Manna oggeruntur. In actorum enim fasciculo duo prostant recursus, de quibus licet habita non sit ratio, utpote anonymis et vera falsis commixta narrantibus, ex iisdem tamen colligi forsan potest, plurimorum opinionem haud probare mores sacerdotis Manna.

Ast dato etiam quod Manna cuncta, ut Di Fiore, meritus esset suffragia; tamen adhuc inter eos discrimen non modicum foret, quia Di Fiore alteri praecellit tum scientiâ, tum etiam bonae vitae famâ; ideoque si aetate iunior est, senior tamen ingenii culturâ et honestae vitae testimonio dicendus forsitan foret.

Hisce in vado positis, ad obiectum privilegium tota videretur coarctari controversia. Porro recolendum in primis est hoc privilegium ad annum 1496 remeare, quo Abbatia Montis Cassini commendata in perpetuum reperiebatur Cardinali Ioanni De Medicis; et Fridericus Aragoniae, rex Siciliae, supremam temporalem dominationem obtinebat super civitate s. Germani, nunc Cassini, eiusque Statu. Hunc profecto Regem suppliciter adierunt cives Cassinenses, ut confirmationem immunitatum ab eius praedecessore concessarum et alia privilegia simul consequerentur. Inter cetera vero capitula, in quibus nova privilegia postulabantur sequens reperitur: quod praedicta Maiestas Sua dignaretur iubere, ut officia et beneficia quae sunt in iurisdictione Montis Cassini conferantur civibus eiusdem iurisdictionis. Ast Rex dum ceteris petitionibus plene satisfecit per formulam: *Placet Regiae Maiestati;* ita respondit ad propositum capitulum de officiis et beneficiis: « Placet regiae Maiestati, quantum ad se spectat, quantum vero pertinet ad reverendissimum d. Cardinalem, ipsius Abbatiae commendatarium, *interponet partes suas,* quod dictis supplicationibus satisfiat. »

Ex quibus verbis colligi in primis datur, regem ipsum

Digitized by Google

Fridericum recognovisse expetiti privilegii concessionem sibi non pertinere, nec reapse istud concessisse, ea parte excepta, quae ad eumdem spectare poterat, quaeque nonnisi *regium placet* indigitare videtur. Verum equidem est, praefatum Regem asseverasse se interpositurum fore partes suas apud Cardinalem commendatarium, ut hic *dictis supplicationibus satisfaceret;* ast nullum documentum in actorum fasciculo inveniri datur, nullumque testimonium, ex quo argui posset Regis partes revera interpositas fuisse, et, quod magis est, Cardinalis commendatarii assensum intercessisse. Contrarium potius ostendi posse videtur ex Litteris a praefato Cardinali datis die 3 Augusti 1497, nempe post decem fere menses a die, quo rex Fridericus rescriptum, superius relatum, edidit. In illis enim litteris alia plura privilegia conceduntur civibus Abbatiae Montis Cassini, quin ullum saltem verbum proferatur de officiis et beneficiis, pro quibus Regis partes interponi debebant. Quod quidem argumentum magnam sibi vim conciliare videtur, si perpendatur praefatas Litteras esse plane correlativas regiis concessionibus. Nam Cardinalis ipse commendatarius expresse edicit se ad privilegiorum concessionem moveri, nedum ex probata civium fidelitate operibusque praestitis pro Abbatiae defensione etc.; verum etiam ut Regis vestigia, quantum in Domino poterat, sequeretur: « His igitur considerationibus digne moti; ac in- » tentioni, menti et voluntati dictae sacrae regiae Maie- » statis, quantum cum Deo possumus, volentes conformes » esse, et ipsius vestigia sequi et imitari... »

Sive igitur Regis partes interpositae fuerint, sive non, res in idem recidit, cum in utraque hypothesi Cardinalis Commendatarii assensus defuerit. Quinimo coniici potest, quod bona regis officia apud Cardinalem interposita sint quidem, hic tamen eis non cesserit; ut innuere videntur illa verba – *quantum cum Deo possumus.* –

Eo vel magis quia verisimile non est eumdem Cardinalem latuisse sacrorum canonum dispositiones, praesertim vero quae anno 1212 sanciverat Innocentius III, quaeque

Digitized by Google

leguntur in *cap. Ad decorem 4 de Institutionibus* – ibi – « Sicut nostris auribus est suggestum, Constantinopolitanus » Patriarcha aliarum nationum Clericos spernens, Venetos » tantum in Constantinopolitanis Ecclesiis satagit collocare, » non attendens, quod in omni gente qui facit iustitiam » acceptus est Deo, nec sanctuarium Dei convenit iure hae- » reditario possideri. Quocirca mandamus, quatenus moneatis » eumdem, ut viros literatos et alias idoneos, undecumque » originem duxerint, in praedictis Ecclesiis, et maxime in » maiori, instituere non postponat. » Quam quidem iuris dispositionem acu rem tangere videtur, finemque controversiae imponere. Imo dubium non aspernabile ingerit, num, etiamsi Cardinalis in sensum Civium Cassinensium tunc cessisset, et privilegium largitus esset, id reapse subsisteret. Iuri enim communi nonnisi supremus Princeps derogare valet.

Mirum proinde non est, si nullo unquam in pretio habitum hucusque sit idem privilegium, et beneficiorum provisio ad tramites iuris communis usque in praesens perrexerit. Quod quidem ex innumeris scatet exemplis, quorum nonnulla adducta fuere.

Iure igitur ac merito asseverare potuit hodiernus Abbas, rem inauditam esse obiectum privilegium.

Adversae vero partis Patronus, licet admonitus, nihil exhibuit: ideoque propositum fuit enodandum

Dubium

An constet de iure praelationis favore sacerdotis Manna in casu.

Resolutio. Sacra C. C. re cognita, sub die 20 Decembris 1884, censuit respondere: – *Negative.*

Ex quibus colliges. I. Quum Sanctuarium Dei haud conveniat iure haereditario possideri, ideo omnino decere ut viri probi, undequaque originem ducant, in Ecclesiis paroecialibus instituantur, qui gregem Christifidelium ad pascua salutis recto ducant tramite.

Digitized by Google

II. Ex iure ergo communi haud ammitti privilegium Paroecias conferendi tantum nonnullis ex aliqua civitate aut pago, excludendo alios, nisi id expresse constet manare ex pontificia auctoritate, cui solummodo competit iuri communi derogare.

III. Eiusmodi privilegium in themate haud formiter probatum fuisse: neque uti legitimum pro sua origine, neque uti inductum per longam consuetudinem; quia contraria praxis evicta fuit per quamplurima adducta exempla.



TRIVENTINA

ERECTIONIS FONTIS BAPTISMALIS

Die 24 Ianuarii 1884.

Sess. 21 cap. 4 de Reform.

Compendium facti. Agnone, civitas Dioecesis Triventinae, frequens circiter undecim millibus incolarum, septem habet paroecias; quarum Archipresbyteralis s. Marci, quae nunc vacat, fontem possidet baptismalem. Ab ista Ecclesia baptismali cum prae aliis paroecia s. Emidii distet, ab Apostolica Sede facultatem petiit fontem erigendi baptismalem in commodum fidelium. Retulit Antistes, vicarium curatum s. Marci oppositionem non facere huic petitioni, Ecclesiam s. Emidii fideles habere quatuor mille; et tribus distare chilometris ab Ecclesia s. Marci. Ecclesiam istam in culmine civitatis esse positam et ideo periculis plenum esse neonatis accessum ad eamdem tempore hiemali, quando nives cadentes per plures menses gelu concretae manent. Ecclesiam s. Emidii praeterea duos habere pagos a paroecia s. Marci quinque dissitos chilometris; quorum incolae ob itineris difficultatem ad proximiorem Ecclesiam, non propriam, parvulos baptizandos deferunt, et parochus s. Emidii proprios nescit filios.

Digitized by Google

Disceptatio Synoptica

Facultas deneganda videtur. Archipresbyteralis enim, utpote aliarum matris, iuxta Curatorem, (1) inter suas praerogativas ac privilegia quibus sex saeculorum lapsu pacifice gaudet, recenset ius privativum baptismalem fontem possidendi. Ideoque ius baptizandi quotquot in civitate nascuntur ex immemorabili ac privativa consuetudine eidem competit. Neminem profecto latet huic consuetudini tantam vim ex utriusque iuris censura inesse, ut scriptae legi aequiparetur *Text. in leg. sine scripto Instit. tit. De iure nat. et gent.* Cint. Peretius in *Comment. Instit. ad dict. leg.* Voet *in Comm. ad Pand. tit. 1 de Legibus lib. 1 num. 30 et lib. 3 tit. 13 de Praescriptionibus in 6.* Hinc mirum haud est, doctores unanimi consensu tradidisse, quod eadem praesumere facit titulum de mundo meliorem, supponit privilegium, vel contractum onerosum et Parochorum etiam iuribus derogat; *Cap. super quibusdam 96 §. Praeterea de Verb. signif.;* De Luca *de Benef. disc. 32 num. 2, et 4;* Schmalz. *De iure eccl. tom. 1 tit. 4 num. 31;* Piton. *Discept. eccles. 61 num. 25;* Rota in *Derthusen. Iurisdictionis 28 Ianuarii 1697 coram Pio* §. *11,* et in *Gerund. Ferialis 11 Decembris 1699 coram Lancetta.* Cum itaque huiusmodi immemorabilis ac centenaria consuetudo ab Episcopo et Parochis in dubium minime revocetur, sponte veluti sua fluere videtur ipsam meliorem de mundo titulum suppeditare pro exclusivo iure archipresbyteralis Ecclesiae adstruendo et vindicando.

Nec refert quod Episcopus matricitatis ius super alias eidem competere deneget. Nam privativum fontis baptismalis ius ex centenaria consuetudine legitime praescriptum ostenditur, quo in casu fontem alibi erigi non posse S. C. C. tradidit in *Ferentina Matricitatis,* et *Fontis Baptismalis 18 Martii 1797.*

(1) Praemonendum venit quod adlectus fuerit Curator, qui vacantis Ecclesiae iura tueretur.

Digitized by Google

Minus autem relevat exinde haberi paroeciales Ecclesias baptismali fonte destitutas. Quandoquidem Doctores tradunt id non esse de paroeciarum essentia; De Luca *de Paroch. disc. 37 num. 1,* Barbosa *de Iure Eccl. lib. 2 cap. 1 num. 23,* Gonzalez *ad Reg. 8 Cancell.* In facto autem constat plures inveniri paroecias baptismatis fonte carentes. Quod novissimi iuris dispositionibus refragari dici nequit, cum ipsum Trid. Conc. distinctionem inter Ecclesiam paroecialem et baptismalem innuat in *Sess. 21 cap. 4 de Reform.* – ibi – *Ecclesiis parochialibus vel baptismalibus,* Fagnanus *in cap. Cum contingat num. 39 de decimis.* Garz. *de Benef. part. 3 cap. 2 num. 167,* Cavalier. *tom. 4 cap. 4 num. 21,* ac proinde etiam in maximis quibusdam Italiae urbibus, ut Florentiae ac Bononiae unius Cathedralis Ecclesiae fons extat.

Cui quidem fontis erectioni Curator obsistit etiam, ex eo quod Archipresbyteralis Ecclesia iuri patronatus subiicitur, et patroni consensus requisitus minime fuit, dum exinde Ecclesiae iura minuerentur, ac haud leve damnum obveniret. Iamvero communis est Doctorum sententia explicitum patroni consensum accedere debere ut eiusdem ecclesiae praeiudicium aliquod inferri valeat, Pitonius *de Controv. patron. contr. 9, num. 40,* Gratian. *Disc. forens. 725. n. 11,* Rocca *Disp. iurid. cap. 127, num. 21.* Cum igitur expetita fontis erectio quaesitum Ecclesiae ius laedat, et in eiusdem damnum redundet, inconsulto patrono minime concedenda videtur.

Quod eo vel magis retinendum si perpendatur iustas causas requisitas in themate deesse videri. Sane inter rationabiles causas, iuxta Canonistarum doctrinam, utilitas ac necessitas recensentur. Cum scilicet distantia, quae incolas ab Ecclesia baptismali dividit tanta est, vel viarum difficultas et asperitas est huiusmodi ut tempore praesertim hyemali infantes qui ad Ecclesiam evehuntur manifesto vitae periculo exponerentur. Utramque porro in casu deficere videri.

Hisce rationum momentis demum accedit S. C. C. pra-

Digitized by Google

xis, ac doctrina: quae nos edocent novi fontis erectionem in quibusdam similibus ferme casibus fuisse denegatam, licet nempe Ecclesia in qua fons erigendus erat plusquam uno milliario distaret, atque via esset lubrica, et hyemali tempore ob ingentem nivis copiam asperrima; uti videre est in *Cassanen. Iurium Parochialium 9 Iulii 1672, Boianen. Iur. Paroch. 24 Maii 1732, Ferentina 18 Martii 1797.* Cum igitur ex dictis appareat rationabilem causam a iure requisitam exulare, sponte consequitur fontis erectionem in Paroecia s. Emidii minime permittendam esse.

Facultas concedenda videtur. Verum altera ex parte animadversum fuit communem esse Conciliorum ac Doctorum sententiam, ss. Canonum indoli consonam, ut omnes paroeciales Ecclesiae baptisterii fonte carentes, eo muniantur. Sane licet primis Ecclesiae saeculis soli Episcopi baptismi sacramentum contulerint, Benedictus XIV *Inst. Eccles. 1 num. 4,* ideoque Cathedrales Ecclesiae tantum, in quibus Episcopi residebant, huiusmodi baptisteria retinerent, Marten. *de Antiquiss. Eccles. ritib. lib. 1 cap. 1 art. 11,* nihilominus aucto deinceps Christifidelium numero, divisisque dioecesibus per parochias ordinarii baptismi ministri parochi evaserunt. Hinc admodum conveniens iudicatum fuit, ut omnes parochiales Ecclesiae propria baptisteria sibi construerent.

Ex quo temporis aevo nedum Concilia, sed et Doctores de huiusmodi re disserentes unanimiter tradiderunt, baptismalem fontem in omnibus Ecclesiis vere ac proprie parochialibus erigendum esse. Sane Concilium Meldense *cap. 7* decrevit, ut cuilibet paroeciae suus fons assignaretur. Item statuit Concilium Vemense relatum per Royam in *Instit. canon. lib. 2 titul. 14 de Paroch.* ac Concilium III Mediolanense a s. Carolo Borromaeo coactum. Quibus consonant Canonistae, quos inter Paulus Fusch. *de Visit. et regim. Eccl. lib. 1 cap. 7,* Barbosa *de Paroch. pag. 2 cap. 18 num. 7,* Ursaya *tom. 9 pag. 1 discept. 32, et 33,* Ioseph Crispino *Della visita pastorale pag. 5 §. 3 num. 1,* Fer-

Digitized by Google

raris *verbo Baptismus art. 4 num. 96,* Reclusius *de Erect. paroch. pag. 1 titul. 8 num. 91.*

Conciliis ac Doctoribus concinit s. Rotae tribunal, quod in pluribus decisionibus, et praesertim in *Romana Iuris baptizandi 12 Ianuarii 1753 num. 2 cor. Samniat.* ait: « Quin imo huiusmodi Ecclesiae disciplina summam habuit aequitatem et congruentiam, quia convenientissimum est, omnes Ecclesias parochiales suum habere fontem baptismalem, cum ita fiat, ut suus cuique Pastor sacramenta administret. »

Huiusmodi vero doctrinam S. C. C. in praxim quampluries perduxit. Sane in Urbinaten. die 15 Iunii 1624 rescriptum hisce verbis edidit: « *Censuit S. C. in omnibus Ecclesiis parochialibus debere esse fontem baptismalem.* » Ac deinceps in millenis resolutionibus fontis erectionem in paroecialibus Ecclesiis, ultro concessit. Hinc iure meritoque Leo XII in literis Apostolicis super nova paroeciarum Almae Urbis ordinatione cupiens « decori prospicere paroeciarum » omnium, nec non commodiorem promptioremque sacri » baptismatis administrationem inducere, fontes baptismales » in unaquaque paroecia extare voluit. » Cum igitur ex his omnibus satis evincatur Ecclesiae disciplinam ferme universalem inolevisse, ut singulae paroeciae baptismali fonte decorentur, consequi sponte videtur Parochi et Episcopi votis annuendum esse.

Quod si in aliquibus casibus id denegatum fuit, ex eo contigit quod vel agebatur de Cathedralibus Ecclesiis proprie baptismalibus, vel de illis matrici vere subiectis, ac eidem maxime proximis. At si quod dubium adhuc superesse posset hoc penitus diluitur ex iustis ac rationabilibus causis, quibus Episcopus motus suam petitionem pluries instauravit. Porro in more S. C. C. positum est, ut semper absque ullo dubio novis fontis erectio indulgeatur cum iustae causae suppetunt, quas inter recensentur populi multitudo, locorum distantia, viarum asperitas, aquarum aut nivium impedimenta, et alia huiusmodi; quae tamen ad hanc unam reduci

Digitized by Google

queunt, scilicet ad gravem difficultatem, seu magnum parochianorum incommodum baptismalem Ecclesiam adeundi. Iamvero praedictas causas in themate occurrere patere videtur ex superius relatis ab Episcopo ipso. Extantibus itaque recensitis legitimis causis, indubie prorsus novi fontis erectio permittenda videtur.

Perperam autem asseritur archipresbyteralem Ecclesiam matricis iuribus super alias pollere. Ad hoc enim refutandum Episcopus attulit conventionem quamdam Archipresbyterum inter et alios Parochos anno 1807 initam ad dissensiones omnes e medio tollendas, in qua, praemisso septem paroecias esse inter se independentes, aequali frui iurisdictione, curâque animarum, convenerunt ut Ecclesiae archipresbyterali matricitas concederetur, sed honoris gratiâ, ita ut esset prior inter aequales. Semel autem admisso, paroeciales omnes Ecclesias aequis iuribus gaudere, consequi sponte videtur, assertum privativum ius Archipresbyteralis fontem habendi in tennes auras abire. Quod si Archipresbyter tantum baptismi sacramenti hucusque contulit, id evenit eo quod, ut ait Episcopus, civitas haud tanta civium multitudine uti in praesentiarum erat referta.

Verum admisso etiam quod eadem Ecclesia praefato iure ab immemorabili perfruatur, tamen S. C. C. prae oculis iugiter habens principium illud, quod supradictis causis urgentibus, ac populi commodo exigente, novi fontis erectionem semper indulsit, et oppositum ius matricitatis, ius exclusivum ac consuetudinem centenariam nihili duxit, uti patet ex *Urbevetana Fontis bapt. 3 Augusti 1748.* Pluribus aliis resolutionibus, quae afferri possent, omissis, hoc idem statuit in *Viterbien. Fontis bapt. 19 Maii 1877.* (1)

Quibus animadversis propositum fuit diluendum sequens

Dubium

An sit locus erectioni Fontis baptismalis in casu.

Resolutio. Sacra C. C. re cognita sub die 24 Ianuarii 1885, censuit respondere: – *Affirmative et amplius.*

(1) Habes hanc quaestionem Vol. XI, 232.

Digitized by Google

Ex QUIBUS COLLIGES. I. Sacrorum canonum spiritum et iugem Ecclesiae iurisprudentiam Christifidelium commodo, seu animarum saluti omnino studere; ita ut opposita iura tertii, et contrariae consuetudines parvipendantur quoties omnia haec obstaculum ponant bono fidelium spirituali.

II. Qua de re Apostolica Sedes pluries nihil esse duxit matricis alicuius Ecclesiae ius exclusivum, etiam immemorabili consuetudine roboratum habendi fontem baptismalem, quoties ex hoc iure detrimentum caperent fideles.

III. Novi fontis erectionem concedi quum adsint iustae causae quae ad unam reduci queunt; nempe ad grave incommodum parochianorum adeundi Ecclesiam baptismalem.

IV. Huic inhaerendo iurisprudentiae, erectio novi fontis baptismalis in themate iure concessa fuit; tum quia unus fons impar evaserit populi numero, valde aucto, tum eo vel magis quia Ecclesia archipresbyteralis haud probare valuit sibi competere hoc exclusivum ius, titulo matricitatis.



ARIANEN.

CANONICORUM SS. CONFESSIONES EXCIPIENTIUM

Die 24 Ianuarii 1885.

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Huius Dioecesis Vicarius generalis exposuit: sese, primum obtinendo locum in Capitulo Ecclesiae Cathedralis, solere Canonicis concedere facultatem discedendi a choro, ut audiant tempore divinorum officiorum confessiones fidelium a quibus requiruntur, idque sive habeatur populi concursus, sive non. Quocirca, duo quaerere a S. C. C. nempe, utrum tam ipse quam canonici, qui tempore divinorum officiorum sacras Confessiones audierunt, tutâ conscientiâ possint sibi retinere integros suarum praebendarum fructus; cum hi solis quotidianis distributionibus constent, et utrum in posterum tum ipse, tum ipsius in dignitate successores supradictam facultatem canonicis concedere valeant.

Digitized by Google

Disceptatio Synoptica.

Praxis retinenda videtur. Animadversum fuit colligi non uno ex capite eiusmodi praxim retineri posse. Etenim, praeterquamquod, ut notat Vicarius generalis in sua epistola, maiorem fiduciam populus in canonicis reponit, ea est nostri temporis infelix conditio, ut nisi piis eorum qui sacramenta recipere volunt desideriis, cito satis fiat, merito timendum sit ne multorum charitas refrigescat.

Praeterea dum ex una parte tempus divinorum officiorum commodum dicitur fidelibus, ut sacrum Poenitentiae tribunal adeant, non raro contingit, ut Canonici ratione negotiorum, quibus sive ante sive post officium incumbere debent, confessiones alio tempore excipere non possint. His adde dispositionem statutorum Capitularium quae sic se habet: quoniam penes Capitulum est animarum cura, ideo a punctaturis eximuntur illi quos Archidiaconus deputat ad excipiendas sacramentales confessiones in Ecclesia: verumtamen ante omnes ad id obstringuntur Parochus et Poenitentiarius, deinde alii in subsidium. Quam dispositionem non illico improbandam esse patet ex sententiis DD. prouti Card. De Luca *Annot. ad Conc. Trid. Disc. XVI num. 5;* Garcia *part. 3 c. 2 num. 333*; Barbosa *De off. et pot. Episc. p. 3 alleg. 73 num. 129.*

Nec verendum est, quod ex tali agendi ratione sacrarum functionum dignitati minus consultum sit, cum hae et a remanentibus canonicis, et a mansionariis qui sat magno numero sunt, expleri valeant. Tandem animadvertendum est quod cum civitas Arianensis multis orbata fuerit Sacerdotibus et religiosis qui sacro ministerio assidue vacabant, confessariorum numerus adeo imminutus sit, ut fidelium necessitatibus vix satisfieri posse videatur.

Praxis improbanda videtur. At ex altera parte, concessioni de qua in precibus obstant ecclesiasticae praescriptiones quae iubent, Canonicos aliosque choro addictos sa-

Digitized by Google

cris functionibus interesse sedulo debere, idque « non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus » ut statuit Tridentinum *c. 12 sess. 24 de reform.;* contrafacientes vero distributiones eo ipso amittere; *Cap. Consuetudinem unic. De cleric. non resid. in VI.*

Et quamvis qui sacras confessiones audit aliquando ut choro praesens habeatur, et ideo distributiones percipiat; hoc tamen accidit, si talis, ex onere praebendae annexo, confessarii muneri incumbat, ut habet Schmalzgrueber, et apud eum Pirhing, *De cleric. non resid.*, et Benedictus XIV *Inst. eccles. 107;* aut etiam si ad id officii *in locum poenitentiarii ex necessitate et legitima causa* quis expresse ab Episcopo deputetur, ut S. C. C. probavit in *Lucana* 8 Martii 1635, *lib. 15 Decret. p. 175.* Quod autem omnibus indistincte canonicis pro arbitrio praefecti choro absentia permittatur nimium videtur, neque necessarium: adeoque S. C. C. in *Tranen.* 20 Decembris 1862, *Maceraten.* 14 Februarii 1776, *Neritonen.* 22 Iunii 1624, et in *S. Miniatis* 8 Februarii 1817, contrariam se praestitit, idque quamvis allegarentur consuetudines, vel statuta capitularia, aut etiam animarum cura penes capitulum residens.

Quapropter, si iis standum esset, et ex rigore iuris, cum in iis praebendis, quorum fructus solis quotidianis distributionibus constant, duae tertiae partes distributionum pro praebendae fructibus habeantur, et tertia pars quae superest pro distributionibus quotidianis stricte dictis accipiatur; Canonici qui tempore divinorum officiorum sacras confessiones audierunt, tertiam partem perceptarum distributionum restituere deberent, neque in posterum licentiam discedendi Archidiaconus concedere amplius posset.

Hisce praemissis, quaesitum fuit quomodo preces essent dimittendae.

Resolutio. Sacra Congregatio Concilii re cognitâ sub die 24 Ianuarii 1885 respondere censuit: – *Attentis peculiaribus adiunctis, pro gratia sanationis et condonationis quoad praeteritum. Quoad futurum vero pro gratia ad*

Digitized by Google

quinquennium, ita tamen ut damnum servitio non obveniat, facto verbo cum SSmo.

Ex quibus colliges: I. Excepto parocho et poenitentiario, Capituli canonicos nequire sacramentales confessiones fidelium excipere tempore divinorum officiorum, et haberi uti praesentes in choro pro distributionibus quotidianis, absque speciali apostolico indulto. (1)

II. In themate peculiaria adiuncta ea visa fuisse Emis Patribus, ut contraria consuetudo ad tempus admitteretur et sanatio pro tempore acto concederetur.

MATHERANEN.

LIBERATIONIS FUNDI

Die 24 Ianuarii 1885.

Per summaria precum.

Compendium facti. Raphael Sarra Matheranensis anno 1845 cupiens filio suo Andreae, iamiam ad sacros Ordines promovendo, titulum Ordinationis suppeditare, Capellaniam fundare excogitavit, servato sibi ac posteris suis patronatus sive praesentationis iure.

Ad comparanda autem beneficii bona egit cum Rosina Morcinelli sua consanguinea, ut obtineret duas domus, quas ipsa administrabat, et quarum reditus in missarum celebrationem erant impendendi. Eadem Rosina donavit etiam aliam domum suae proprietatis, adiecto aliquarum Missarum onere. Sarra autem agrum vineatum adiecit domibus praedictis pro dote constituenda. Uterque donans convenit apud tabellionem et legaliter enumerata sunt onera imponenda novae capellaniae, cuius reditus ad 51 ducatum pertingebat, et erat sufficiens titulo ordinationis.

(1) Iuris sanctioni accedit iurisprudentia S. C. Concilii in quamplurimis resolutionibus, et praecipue in una *Distributionum* diei 1 Aprilis 1876, Vol. IX, pag. 382; et in altera *Servitii Chori* diei 26 Iulii 1879, Vol. XIII, pag. 167 harum ephemeridum.

Digitized by Google

Paulo post, instante eodem Sarra, haec Capellania archiepiscopali decreto erecta fuit « in perpetuum Beneficium Ecclesiasticum de iure patronatus laicorum » –, concesso quidem fundatori eiusque haeredibus iure praesentandi Rectorem seu Capellanum, sed reservata Ordinario facultate eumdem instituendi et confirmandi. Clericus vero Andrea illico tunc a patre praesentatus Capellaniam consequutus est, eamque veluti ordinationis titulum obtinuit.

Pluribus sic pacifice annis elapsis, Sarra nunc petit ab huius Capellaniae bonis distrahere et sibi liberum concedi fundum vineatum, quem ipse ad beneficii dotationem contulerat. Filius enim suus Andreas iam sacerdos, cum hodie cooptatus fuerit in numerum Participantium Cathedralis amplius hoc beneficio vel tamquam titulo Ordinationis, vel tamquam honestae sustentationis medio non indiget. Ulterius, ut Orator ait, ipse non intellexit bona praefati predii in perpetuum largiri, sed ad tempus tantummodo, ut ad sufficiens patrimonium pro sacra ordinatione filii sui efformandum concurrerent. Adeo ut neque ullo missarum onere ipsa gravari voluerit.

Quod si haec limitatio in tabulis erectionis Capellaniae non fuit expressa, id potest forsan evenisse Tabellionis errore ut coniicit Ordinarius, qui ceteroquin precibus contrarius non est.

Disceptatio Synoptica.

Animadversum fuit obstare huic petitioni *reg. 51 iur. in VI: « Semel Deo dicatum, non est ad usus humanos ulterius transferendum. »* Si enim in humanis quod semel placuit amplius displicere non potest, iuxta regulam *21 in VI;* a fortiori in divinis. Praesertim cum neque causa aliqua necessitatis allegetur, ut e. g. Oratoris indigentia, cui succurrendum esset. Supponi autem non potest quod tunc temporis Sarra intentionem nullam habuerit contribuendi Capellaniae doti, cum sibi veluti fundatori iura omnia prae muliere servari voluerit.

Digitized by Google

Quod autem temporaneum quid offerre voluerit inadmissibile pariter videtur. Bona quae pro beneficii erigendi dote offeruntur, in perpetuum Ecclesiae data intelligi debent. Ulterius, cum sive in tabellionis actibus, sive in Episcopali decreto donator praedium suum veluti partem beneficii integralem accenseri permiserit; imo cum patronatus ius sibi, familiaeque suae in perpetuum servari voluerit, indicium praesto esse videtur, quod perpetui benefactoris animum tunc ipse induisset.

Quibus praemissis, quaesitum fuit quid precibus esset respondendum.

Resolutio. Sacra C. C. re cognitâ sub die 24 Ianuarii 1885 respondit: *Lectum.*



LITTERAE quibus Episcopis vetatur conferre clericis alienis honoris insignia.

Perillustris ac Rme Dne uti Fr.

Quamvis Ecclesiasticos Viros maxime deceat humanos honores non quaerere, sed de benefactis retributionem a Domino unice expectare, consuevere tamen Ecclesiae Praesules titulis, dignitatibus, aliisque honoris signis eos decorare, qui, prae ceteris, de re christiana meruerunt: dum enim praestantiores honorantur, virtutem ac scientiam in magno pretio esse habendas ostenditur, et insimul desides ad currendam viam Domini excitantur.

Ast non raro evenit, veluti nonnulli Episcopi conquesti sunt, ut dum sacerdotes, aetate ac omni virtutum genere venerandi, amant nesciri et pro nihilo reputari, iuniores et qui parum adhuc aut nihil in Ecclesiae bonum contulerunt dignitates appetant, insignia titulosque inhient. Et ubi nulla spes illis arrideat haec omnia apud suos obtinere, externos circumeunt Pastores, qui aliquando decepti eorum vota facile excipiunt. Quo saepissime accidit, ut miseri isti in propria Dioecesi, inscio Ordinario, et omnibus admirantibus, vel irridentibus, se alienis vestibus indutos exhibeant, seque novis titulis praeditos iactent, et ita meliores despiciant.

Porro Eminentissimi Patres Tridentini Iuris interpretes ac vindices dum acerbe deplorant, quod sensus Christi de die in diem in

Digitized by Google

quibusdam evanescat, confidunt Amplitudinem Tuam nil intentatum relicturam, ut omnes de Clero Tibi concredito, aemulentur charismata meliora, terrena despiciant, ament coelestia, et nonnisi in Cruce D. N. Iesu Christi glorientur.

Ne vero in posterum et dignioribus iniuria fiat, et honores ecclesiastici vilescant, ipsi Eminentissimi Patres, Sanctissimi mandata exequentes, auctores Tibi sunt, ut raro admodum et caute honoris titulos vel insignia tuis impertias, sed probatissimis tantum et optime de Ecclesia meritis; Clericis vero alienis nullum unquam conferas honoris signum aut titulum, inscio et invito Ordinario, cuius potestati subduntur.

Haec dum Tibi nomine S. C. significo, impensum animi mei studium profiteor Amplitudini Tuae, cui fausta quaeque ac salutaria precor a Domino

Amplitudinis Tuae

Romae 16 septembris 1884

Uti Fr. Stud.

EX S. CONG. S. R. U. INQUISITIONIS

DUBIA quoad excommunicationem minorem, quoad absolventes complicem, et quoad *craniotomiam.*

Illustrissime et Revme Dñe

Litteris diei 25 praeteriti Maii Amplitudo tua Supremae huius Congregationis examini proponebat tria sequentia dubia:

1. Fere omnes Constitutionis *Apostolicae Sedis* commentatores docent, excommunicationem minorem vi huius Constitutionis abolitam esse. Utrum haec sententia tuto doceri possit in seminario?

2. Iterum omnes eiusdem Constit. commentatores docent, illum confessarium excommunicationi non subiici qui complicem in peccato turpi absolvere fingit; sed reipsa non absolvit. Contrarium tamen declaravit S. Poenitentiaria die 1 Martii 1878. An potest Orator permittere ut in suo seminario doceatur praefata commentatorum sententia responso s. Poenitentiariae opposita?

3. An permittere potest in suo seminario tamquam probabilis doceatur nonnullorum recentiorum opinio, quod liceat infantem in utero matris occidere ad matrem relevandam, si alias mater et infans perituri sint?

Digitized by Google

Porro Emi PP. una mecum Inquisitores Generales in Congregatione habita Fer. IV, die 5 vertentis Decembris, ad examen revocarunt primum et alterum ex propositis dubiis. Siquidem tertium cum sit obiectum plurium petitionum, quae ab aliis quoque Ordinariis transmissae sunt, adhuc penes Supremum hunc Ordinem in studiis est.

Iam vero ad 1m iidem Emi PP. responderunt: *Affirmative*.

Ad 2m vero: *Negative*; facto verbo cum SSmo, quoad utrumque.

Cum autem SSmus D. N. has Emorum PP. resolutiones ac responsiones approbare ac plene confirmare dignatus sit, eas Amplitudini Tuae pro sui norma communico; ac impensos animi sensus Eidem testatos volo, cui fausta omnia a Dño precor.

Amplitudinis tuae

Romae, die 10 Decembris 1883.

Addmus uti Frater
ALOIS. CARD. BILIO

Illmo et Rmo
Dño Episcopo Petrocoricen.

DUBIUM quoad operationem chirurgicam, quae *craniotomia* **audit.**

Eme et Rme Dñe

Emi PP. mecum Inquisitores generales in Congregatione habita Feria IV, die 28 labentis Maii, ad examen revocarunt dubium ab Eminentiâ tuâ propositum - An tuto doceri possit in scholis catholicis licitam esse operationem chirurgicam, quam Craniotomiam appellant, quando scilicet, eâ omissâ, mater et infans perituri sint, eâ e contra admissâ, salvanda sit mater, infante pereunte? - Ac omnibus diu et mature perpensis, habita quoque ratione eorum quae hac in re a peritis catholicis viris conscripta ac ab Eminentiâ tuâ huic Congregationi transmissa sunt, respondendum esse duxerunt: *Tuto doceri non posse*.

Quam responsionem cum SSmus D. N. in audientia eiusdem feriae ac diei plene confirmaverit, Eminentiae tuae communico, tuasque manus humillime deosculor.

Romae 31 Maii 1884.

Emo Archiepiscopo Lugdunensi

Humillimus et addictissimus servus verus
R. CARD. MONACO

Digitized by Google

EX S. CONGREGATIONE DE PROPAGANDA FIDE

LITTERAE Emi Praefecti ad Emum Antistitem Vestmonasterien. quoad Universitates heterodoxas.

Em̃o e Rm̃o Sig. mio Ossm̃o

Roma 30 Gennaio 1885

Ho ricevuto la lettera di Vostra Eminenza in data del 20 decorso mese, dalla quale con dolore ho rilevato che da varie famiglie non si fa troppo conto delle ammonizioni della Santa Sede sull'inviare i loro figli alle Università Protestanti di Oxford e Cambridge. L'Eminenza Vostra mi accenna che ciò proviene piuttosto dallo scusare che facciano tale pratica con una supposta tolleranza da parte della S. Sede, che da malizia di volontà. La prego però, a fine di tutelare l'educazione superiore della gioventù cattolica di cotesti paesi da siffatto pericolo di perversione, di far noto ai fedeli che nulla si è cambiato riguardo alle istruzioni che su tale materia furono trasmesse all'Episcopato Inglese dall'Em̃o Cardinal Barnabò, mio Predecessore il 6 Agosto 1867 ed inserite nei Sinodi provinciali di Westminster. A questo scopo crederei opportuno di significare ai Vescovi di cotesta Provincia di richiamare alla memoria dei loro fedeli le suddette istruzioni.

Mi valgo intanto della presente occasione per rinnovare all'E-

Em̃e Rm̃e Domine Colm̃e

Romae Prid. Kal. Febr.

Accepi tuas literas, Em̃e Princeps, datas die 20 Decembris elapsi anni, ex quibus ingenti dolore didici, a plerisque familiis haud istic magni fieri s. Sedis monita, quibus patres ad ἑτεροδόξων Oxoniensem et Cantabrigensem publicas scholas filios mittere vetantur. Tu ipse, Em̃e Princeps, id exinde potius oriri innuis, quod ob quandam s. Sedis falso praesumptam tolerantiam, hanc consuetudinem excusandam esse arbitrentur, quam ex voluntatis malitia.

Te igitur rogo, ut ad superiorem catholicae iuventutis, quae in istis regionibus commoratur, educationem ab huiusmodi perversionis periculo tuendam, fidelibus populis notum facias, nihil in documentis, quae hac super re ab Em̃o Card. Barnabò, praedecessore meo ad Angliae Episcopos data sunt postridie idus Augusti anno 1867 et in Acta Synodorum Westmonasteriensium insertis, fuisse immutatum. Ad id assequendum, opportunum arbitror, istius Provinciae Episcopis per Te edici, ut populis sibi subditis eadem documenta in memoriam revocent.

Hac occasione utor ad humillimi

Digitized by Google

minenza Vostra i sensi del più profondo ossequio, con cui baciandole umilissimamente le mani ho l'onore di raffermarmi

Di Vostra Eminenza

Umilissimo Devotissimo Servitor vero
G. Card. SIMEONI *Prefetto*
✠ DOMENICO Arciv. di Tiro *Segretario*

obsequii erga Te mei sensa, Eme Domine, expromenda, quo manus deosculans tuas me glorior profiteri

Eminentiae tuae demississimum

Addictissimumque servum
I. Card. SIMEONI *Praefectus*
✠ DOMINICUS Archiep. Tyren. *a Secr.*

EX S. CONGREG. INDULGENTIARUM

DECRETUM quo tribuitur Indulgentia tercentum dierum recitantibus adnexam orationem pro conversione populi Scandinaviae.

Beatissimo Padre

Carlo Schilling, svedese, convertito dall'eresia di Lutero, e sacerdote professo Barnabita, prostrato ai piedi della S. V. instantemente supplica, che ad aiutare l'opera della conversione della Scandinavia si degni arricchire di qualche indulgenza la seguente Orazione.

Che della grazia.

ORAZIONE

per la conversione della Scandinavia

O buon Gesù, prostrato ai vostri piedi umilmente vi supplico per le vostre sacratissime Piaghe e il preziosissimo Sangue che spargeste per la salute di tutto il mondo, acciocchè vi degniate volgere uno sguardo di misericordia sopra i popoli della Scandinavia, sedotti da tanti secoli e giacenti

Beatissime Pater

Carolus Schilling e Suecia, ab haeresi lutherana ad Fidei catholicae professionem conversus, et Sacerdos Professus Congregationis S. Pauli Ap. a S. Barnaba nuncupatae, ad Sanctitatis tuae pedes provolutus, enixe flagitat et supplicat, ut ad promovendum sanctissimum opus, reducendi Scandinaviae gentes ad Catholicam fidem, hanc, quae hic subiicitur, precationem de Ecclesiae Thesauris ditare dignetur. Cuius rei.

PRO SCANDINAVIAE POPULIS

ut eiurata haeretica Lutheri secta ad Fidei catholicae professionem redeant ad Deum O. M. precatio.

O bone Iesu, ego ad tuos pedes provolutus Tibi demississime supplico per tua sacratissima vulnera, et pretiosissimum Sanguinem, quem pro totius mundi salute profudisti, ut super Scandinaviae po-

Digitized by Google

nelle tenebre dell'eresia, separati dalla Vostra Chiesa, e privi della partecipazione dell' adorabile Sacramento del vostro Corpo e del Vostro Sangue, e degli altri Sacramenti che istituiste a soccorso delle anime in vita ed in morte. Ricordatevi, o Redentore del mondo, che anche per quelle anime patiste acerba morte collo spargimento di tutto il vostro sangue.

Riconducete, o buon Pastore, quelle erranti pecorelle all'unico vostro ovile, ed ai salubri pascoli della vostra Chiesa, sicchè formino con voi un solo ovile sotto la guida vostra e del Vostro Vicario in terra, il Sommo Pontefice, a cui nella persona dell'Apostolo s. Pietro commetteste di pascere gli agnelli e le pecorelle vostre. Esaudite, o buon Gesù, le nostre preghiere, che vi porgiamo colla più viva fiducia nella carità del vostro Cuore; ed al vostro Santissimo nome ne sia lode, gloria ed onore in tutti i secoli. Cosi sia.

pulos, tot abhinc saeculis in errorem vi fraudeque inductos, in haereseos umbra sedentes, a tua Ecclesia seiunctos, venerando Sacramento Corporis et Sanguinis tui, aliorumque Sacramentorum, quae Fidelibus tuis sive dum vivunt, sive dum ex hac vita decedunt, iuvandis instituisti, participatione destitutos, oculos misericordiae tuae convertere digneris. Memento mundi Redemptor, Te pro animabus etiam illis acerbissime toto sanguine effuso, olim passum fuisse. Reduc, o bone Pastor, et illas errantes pecudes ad unicum ovile tuum, et ad salutaria Ecclesiae tuae pascua, ut sint nobiscum unum ovile sub Vicarii tui in terra Romani Pontificis, ductu; cui in persona Petri Apostoli agnos et oves pascendas commisisti. Exaudi, o bone Iesu, preces nostras, quas fidentissima spe in Cordis tui Charitate fundimus: tuoque Sanctissimo nomini sit inde gloria laus et honor in saecula saeculorum. Amen.

Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII in Audientia habita die 18 Aprilis 1885 ab infrascripto Secretario Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, omnibus utriusque sexus Christifidelibus corde saltem contrito ac devote recitantibus supradictam precem, Indulgentiam *tercentum dierum*, semel in die lucrandam, benigne concessit. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae in Secretaria eiusdem Sac. Congregationis die 18 Aprilis 1885.

I. B. Card. Franzelin *Praef.*

Franciscus Della Volpe *Secret.*

Digitized by Google

EX SACRA RITUUM CONGREGATIONE

DECRETUM

MEDIOLANEN. Beatificationis et Canonizationis Venerabilis Servi Dei Antonii Mariae Zaccaria Fundatoris Congregationis Clericorum Regularium Sancti Pauli Barnabitarum.

Decimoseptimo kalendas Novembris anni 1883 a Sanctissimo Domino Nostro LEONE PAPA XIII benigne concessum fuit, ut in Congregatione Sacrorum Rituum Ordinaria ageretur, absque interventu et voto Consultorum, de validitate Processuum Apostolica Auctoritate in Ecclesiastica Curia Bononiensi, Aesina et Cremonensi constructorum, super quatuor Miraculis quae praefati Ven. Servi Dei Antonii Maria Zaccaria intercessione a Deo patrata feruntur. Hinc Emus et Rmus Dnus Cardinalis Lucidus Maria Parocchi, huiusce Causae Ponens, ad instantiam Rev. P. Ignatii Pica Sacerdotis e Congregatione Clericorum Regularium Sancti Pauli Barnabitarum, in Ordinario speciali Coetu ipsius Sacrae Congregationis, iuxta peculiares eiusdem Sanctissimi Domini Nostri sub die 20 Novembris 1878 editas praescriptiones constituto, ac subsignata die ad Vaticanas aedes coadunato, sequens Dubium discutiendum proposuit, nimirum: *An constet de validitate Processuum Apostolica auctoritate in Curia Bononiensi, Aesina, et Cremonensi constructorum super Ven. Servi Dei Miraculis testes sint rite ac recte examinati, et iura producta legitime compulsata in casu et ad effectum de quo agitur?*

Sacra porro eadem Congregatio, omnibus maturo examine perpensis, auditoque voce et scripto R. P. D. Augustino Caprara s. Fidei Promotore, sic rescribendum censuit: *Quoad Processus Bononiensem, et Aesinum, Affirmative, seu Constare de Validitate; quoad Processum Cremonensem, Dilata et ad mentem.* Die 9 Decembris 1884.

Facta autem de his Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per infrascriptum Secretarium fideli relatione, Sanctitas Sua sententiam sacrae ipsius Congregationis ratam habuit, et confirmavit die 11 eiusdem mensis et anni.

Quum vero deinceps menti eiusdem Sacrae Congregationis quoad Processum Cremonensem satisfactum sit, eadem Sanctitas Sua validitatem quoque huius Processus approbare dignata est die 13 Aprilis 1885.

D. Cardinalis BARTOLINIUS S. R. C. *Praefectus.*

Laurentius Salvati S. R. C. *Secretarius.*

Digitized by Google

EX AEDIBUS VATICANIS

EPISTOLA Emi D. Card. Iacobini exteris Pontificiae Ditionis negotiis curandis praepositi ad Excellentissimum Nuntium Apostolicum Matriti commorantem, quoad nonnulla principia perniciosa ab ephemeride « *siglo futuro* » publicata.

Nel periodico *Il Siglo Futuro* dei 9 marzo si è pubblicato un articolo intitolato: « *La misma cuestion* » e quivi si afferma che un vescovo ha il diritto di prescindere affatto dal Rappresentante della santa Sede in cose che toccano gli interessi religiosi, bastandogli consultare la propria coscienza; che nel censurare la condotta di un governo, in materia politico-religiosa, il diritto di un Vescovo prevale a quello del Nunzio apostolico in ampiezza ed estensione; che l'azione del Nunzio resta impedita da umani riguardi, laddove quella di un vescovo ne è libera; che l'ufficio del Nunzio apostolico si riferisce alle relazioni esterne e diplomatiche tra la Chiesa e lo Stato, mentre quello dei Vescovi ha cura delle relazioni interne e sostanziali che Iddio ha stabilito tra i due poteri; non essere vero ciò che si dice diariamente che il Nunzio rappresenta le relazioni essenziali tra la Chiesa e lo Stato, e per conseguenza nè i cattolici, nè i Vescovi debbono rivolgere i loro sguardi alla Nunziatura a-

In Ephemeride « Siglo futuro » die IX Martii Caput quoddam editum fuit, cui titulus « La misma Cuestion » ubi Episcopis fas esse asseritur, ab illius auctoritate, qui romani Pontificis personam gerit, se in rebus quae ad Religionem attinent, subducendi, quum ipsis propriam conscientiam consulere satis sit: in iis quae et civilem simul et religiosum rerum ordinem attingunt, sive legibus, sive factis cuiusque Dominatûs censoriae severitatis notam inurendi potiori cum quoad amplitudinem, tum vero etiam quoad extensionem, prae Nuntio apostolico, Episcopum iure pollere: Nuntii actionem humanis rationibus praepediri, Episcoporum vero liberam esse: Nuntii item Apostolici officium iis negotiis, quae ad exteras iurisque publici inter Ecclesiam civilemque Dominatum relationes spectant, contineri; Episcoporum vero (officium) internas, atque ad rei ipsius naturam pertinentes, quas inter utrumque Principatum Deus statuit, relationes attingere: haud verum esse, quod, ut ipse scriptor ait, ephemeridum more asseritur, Nuntium essentiales Ecclesiam inter et civilem Principatum relationes praeseferre; ideo-

Digitized by Google

postolica per conformarvi la loro condotta; che la superiore Rappresentanza Pontificia si aggira circa un ordine speciale (il diplomatico) interamente distinto dall'ordine nel quale si muovono i cattolici, e da quello che costituisce la sfera propria di ciascun prelato; onde, a ragione di esempio, quando il Rappresentante pontificio ha affermato in un documento officiale, esistere tra la santa Sede ed il governo spagnuolo, rapporti benevoli e cordiali, i cattolici, e con essi tutti i Vescovi, affermano essere *detestabili* le relazioni esistenti tra la Chiesa ed il governo spagnuolo, potendo essere *diplomaticamente* vero ciò che realmente non lo è. Si conchiude con una minaccia, vale a dire colla ostentazione del fermo proposito di ribadire tanto siffatta dottrina, finora inaudita nella Spagna, che prevalga e passi alla categoria di assioma, onde impedire che i cattolici ed i Vescovi si ricuoprano sotto un vile silenzio, sotto una falsa prudenza, sotto un rispetto errato verso certe autorità, che altro non sono che la s. Sede e coloro che la rappresentano adempiendone le veci.

Alla penetrazione della S. V. Illma e Rma non isfugge certamente quanto perniciose ed offensive siano queste massime, per le quali si richiamano a vita le vecchie teorie dei Gallicani, e

que neque Catholicorum, neque Episcoporum debere in Nuntii apostolici praecipientis auctoritatem oculos esse conversos, ut ipsius mandatis vitae suae rationem conforment: Eius qui Pontificis romani personam gerit, officium potestatemque in quodam speciali rerum ordine, qui ad ius publicum pertinet, versari; quique ab eo ordine quo Catholici continentur, itemque ab eo, quo cuiusque Praesulis actio circumscripta est, apprime distinguitur: ex quo, exempli gratia, factum esse ait, ut qui romani Pontificis in Hispania vicem gerit, scripto quopiam typis edito et publici iuris facto, amicas atque sinceras inter s. Sedem et Hispaniae Dominatum relationes intercedere ex officio affirmaverit; quum et Catholici, omnesque Episcopi, quae inter utrumque Principatum relationes intercedunt, detestabiles prorsus esse affirment; posse quippe ratione iuris publici et gentium aliquid verum esse, quod reapse non sit. Concluditur Caput minitatione, seu firmi propositi ostentatione, etiam atque etiam huiusmodi doctrinam (huc usque in Hispania novam atque inauditam) adeo instanter insinuandi, ut ea praevaleat, transeatque in 'Αξιωμάτων κατηγορίαν; *« ne posthac Catholici atque Episcopi vili se silentio, falsâve prudentia abdant, vel irrationali reverentia erga quasdam auctoritates quae profecto aliae non sunt, quam ipsa s. Sedes, atque ii qui illius vices gerunt.*

Praeclarissimum quidem inge-

Digitized by Google

Febbroniani, già riprovate e condannate dalla s. Sede e nominatamente dalla sa: me: di Pio VI nella celebre opera *Responsio super Nuntiaturis*, che, prescindendo da ciò, non sarà malagevole di dimostrare che tali massime sono false e ripugnanti al vero concetto delle Nunziature Apostoliche, non che a quello della suprema Autorità Pontificia. E siccome le stesse massime comprendono due questioni, l'una di fatto e l'altra di diritto, così gioverà cominciare dalla seconda, come quella dalla quale dipende la prima.

Nel Concilio Vaticano, non solamente fu confermato il domma del Primato del romano Pontefice sopra la Chiesa universale, ma fu altresì dommaticamente definita tale autorità del Primato *Esse supremam potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam, non solum in rebus quae ad fidem vel mores, sed etiam in iis quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent... et hanc eius potestatem esse ordinariam et immediatam in omnes ac singulas Ecclesias, sive in omnes et singulos Pastores et fideles*... Per questo motivo, lo stesso Concilio dichiarò che *erga eam* (autorità del Primato) *cuiuscumque ritus et dignitatis pastores, tam seorsim singuli, quam simul omnes, officio hierarchicae subor-*

nium tuum, Illme ac Rme Dne, haud fugit, quam perniciosa atque iniuriosa sint haec ἀξιώματα, *per quae Gallicanorum Febronianorumque vetusta placita suscitantur, a s. Sede, praesertim vero a S. M. Pio VI in percelebri Opere, cui titulus* « Responsio super Nuntiaturis » *iampridem reprobata atque damnata: atque hac ipsa damnatione seposita, haud difficile fore demonstrare, huiusmodi* ἀξιώματα *falsa omnino esse, atque ipsi naturae officii, quo apostolici Nuntii funguntur, ac supremae Pontificiae auctoritatis ideae repugnantia. Quoniam vero duas haec* ἀξιώματα *quaestiones attingunt, iuris videlicet et facti, a priore, a qua altera pendet, exordiri iuvat.*

In Vaticano Concilio non modo Primatûs dogma confirmatum est romani Pontificis in universam Ecclesiam, sed et huius Primatûs auctoritas ut Fidei dogma definita fuit: nimirum « Esse supremam » potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam, non solum » in rebus quae ad Fidem vel mores, sed etiam in iis quae ad » Disciplinam et regimen Ecclesiae per totum Orbem diffusae » pertinent... et hanc eius potestatem esse ordinariam et immediatam in omnes et singulas Ecclesias, sive in omnes et singulos Pastores ac Fideles... » Hac eâdem de causa idem Concilium ita declaravit « Erga eamdem » (Primatûs auctoritatem) cuiuscumque ritûs et dignitatis Pastores, tam seorsim singuli, » quam simul omnes, officio Hie-

Digitized by Google

dinationis, veraeque obedientiae obstringuntur, ita ut custodita cum Romano Pontifice tam communionis, quam eiusdem fidei professionis unitate, Ecclesia Christi sit unus grex sub uno summo Pastore.

Risulta da questa dottrina: 1. che il Romano Pontefice, in forza del suo primato, è vero Pastore e Vescovo della Chiesa universale; 2. che Egli, sempre e in qualunque caso, può intervenire autorevolmente in tutti gli affari risguardanti le singole Diocesi; 3. che i Vescovi, in ogni caso d'intervenzione per parte del sommo Pontefice, sono obbligati di obbedirgli e di stare alle sue decisioni. L'affermare pertanto che i Vescovi, nel trattare gli interessi religiosi, non debbono consultare se non la propria coscienza, importa la negazione di quella subordinazione gerarchica e di quella obbedienza alla Santa Sede, dai Vescovi a lei necessariamente dovuta. I Vescovi, nel trattare affari religiosi, debbono certamente consultare la propria coscienza, uniformandosi però alle norme prescritte dal Sommo Pontefice, dalle quali non è loro mai lecito di dipartirsi.

Il Concilio Vaticano inoltre, come corollario del Primato, dichiarò essere diritto del Romano Pontefice *libere communicandi cum pastoribus et gregibus totius Ecclesiae, ut iidem ab ipso*

» rarchicae subordinationis, veraeque obedientiae obstringuntur; » ita ut custodità cum Romano Pontifice tam communionis, » quam eiusdem Fidei professionis » unitate, Ecclesia Christi sit unus Grex sub uno summo Pastore.»

Qua ex doctrina consequitur; 1. Romanum Pontificem ratione sui Primatûs verum esse universae Ecclesiae Episcopum atque Pastorem. 2. Eumdem semper quoquo eventu, in rebus ad Dioeceses spectantibus propria se auctoritate ingerere posse. 3. Episcopos, si quando suae Dioeceseos agendis rebus Romanum Pontificem intervenire contingat, eidem obtemperare, eiusque definitionibus se subiicere debere. Asserere igitur, Episcopis, in negotiis quae ad Religionem pertinent, non nisi propriam conscientiam consulendam esse, idem est ac subordinationem ἱεραρχικήν, atque obedientiam, quam s. Sedi omnino debent Episcopi, evidenter excludere. Consulant utique Episcopi in suae Dioeceseos negociis agendis conscientiam, sed romani Pontificis praeceptiones sequantur oportet, a quibus vel latum unguem recedere nunquam ipsis fas est.

Vaticanum Concilium praeterea romano Pontifici ius asseruit, tanquam Primatûs πόρισμα, « Libere communicandi cum Pastoribus et gregibus totius Ecclesiae, ut iidem ab ipso in via salutis doceri ac regi possint » tum reprobandos damnandosque esse ait « qui hanc Supremi Capitis cum Pasto-

Digitized by Google

in via salutis doceri ac regi possint„ e doversi riprovare e condannare coloro *qui hanc supremi capitis cum pastoribus et gregibus communicationem licite posse impediri dicunt*. Dalle quali parole apparisce che è a tutti indistintamente vietato l'impedire che la santa Sede per sè stessa ed immediatamente possa comunicare con i fedeli e trattare o definire i loro religiosi interessi. È altresì manifesto che questo diritto della santa Sede riuscirebbe vano, qualora i Vescovi, nel governo delle loro Diocesi, non dovessero strettamente attenersi alle prescrizioni della medesima e potessero fare diversamente da quello ch'esse stabiliscono.

Se il Romano Pontefice, a causa del Primato, ha sulla Chiesa universale una autorità piena e suprema, e s'Egli può esercitarla immediatamente e direttamente, ha eziandio il diritto di mandare ovunque gli piaccia i suoi Legati o Rappresentanti e ad essi commetterne l'esercizio in quella misura ch'Ei crede. Ma i Nunzi apostolici sono veri rappresentanti del Sommo Pontefice, da cui deriva la loro autorità, da esercitarsi nel modo e forma dal medesimo ad essi prescritta. Conseguentemente, se l'autorità dei Vescovi deve rimanere sempre soggetta a quella del Pontefice e mai può essere esercitata contro

ribus et gregibus communicationem licite posse impediri dicunt. » *Ex quibus verbis apertissime patet, cuique vetitum esse impedire, quominus s. Sedes per se et proxime cum fidelibus sibi subditis Episcopisque communicet; cum iisque negotia ad Religionem spectantia tractet atque definiat. Manifestum item est, hoc s. Sedis ius supervacuum cessurum, si Episcopis in suae Dioeceseos administratione ab eiusdem praeceptionibus vel hilum recedere, aut secus agere, quam per illas praecipitur, fas esset.*

Iam vero si Romanus Pontifex, ratione sui primatûs, in universam Ecclesiam plena ac suprema auctoritate pollet; si hanc Ipse per se et proxime exercere potest, Legatos etiam, qui ipsius vicem gerant, quibusque Pontificiae potestatis exercitium, qua velit mensura exequendum, attribuat, quocumque ipsi placeat mittendi profecto ius habet. Atqui Nuntii apostolici Romani Pontificis, a quo auctoritas eo modo exercenda ac forma ab ipso praescripta in illos derivatur, reapse vicem gerunt; proindeque si Episcoporum auctoritas supremae Pontificis auctoritati subiecta esse debet, neque contra Eius voluntatem legesque ab Ipso statutas exerceri unquam potest, inde consequitur, episcopalem auctoritatem contra Nuntii apostolici praescripta nunquam exseri posse, praesertim vero quum iste velut ὄργανον auctoritate plenum, quo Pontifex, ut cum Fidelibus atque Episcopis communicet, op-

Digitized by Google

il volere e contro le regole da Esso tracciate, è evidente che l'autorità vescovile non può esercitarsi contro le prescrizioni del Nunzio apostolico, tanto più che questi, come organo autorevole di cui si serve il santo Padre per comunicare con i fedeli e con i Vescovi, conosce perfettamente le vere intenzioni del medesimo.

Asserire, come si fa nel precitato articolo del *Siglo futuro*, che il diritto dei Vescovi sorpassa in ampiezza ed estensione il diritto del Nunzio, è lo stesso che o negare ad esso la qualità di delegato e Rappresentante pontificio, o volere definire le attribuzioni del medesimo con un criterio diverso dalla volontà del Pontefice, o meglio negare al Pontefice il diritto d'immischiarsi negli affari delle Diocesi; cose tutte che ripugnano non solo alla dottrina cattolica circa il primato del sommo Pontefice, ma altresì al concetto della delegazione, ben conoscendosi che il delegato rappresenta il delegante, e la sua autorità in quanto al principio s'identifica coll'autorità stessa del delegante.

Conviene poi notare che nello stesso articolo si afferma la preminenza del diritto dei Vescovi sopra quello del Nunzio intorno alle questioni riguardanti le relazioni tra la Chiesa e lo Stato, senza però avvertire che questioni siffatte, appunto perchè han-

portune utitur, quid iste velit omnium maxime agnoscat.

Asserere igitur, ut in adducto Capite Ephemeridis – Siglo futuro –, ius Episcoporum amplitudine atque extensione Nuntii praecellere, idem profecto est ac vel eidem Legati pontificii officium dignitatemque denegare, eumque romani Pontificis vices-gerentem esse inficiari; aut alio iudicio, quam ipsius Pontificis voluntate et arbitrio Nuntii officia muniaque eius propria definire velle; aut potius Pontifici in Dioeceseon negotia, quae Religionem attingunt, sese ingerendi ius invidere: – quae quidem non doctrinae solum catholicae de romani Pontificis primatu, sed et ipsimet delegationis ἰδέᾳ repugnant; quum apprime notum sit Delegatum Delegantis vicem et personam gerere, atque utriusque auctoritatem, quod ad principium attinet, unam eamdemque esse. — Tum vero notandum est, in eodem capite, iuris Episcoporum supra Nuntii apostolici ius, in quaestionibus relationes inter Ecclesiam civilemque Principatum attingentibus, praecellentiam asseri; quin scriptor advertat, huiusmodi quaestiones, hac ipsa de causa quod catholicae Religionis, vel Catholicorum intersint cuiuslibet civilis Dominatûs, quo plures Dioeceses contineantur, ad eum praecipue, qui romani Pontificis vicem gerit, pertinere: actionemque ἀναλόγην Episcoporum, sive hi singillatim, sive una simul coniuncti in quoquo civili Dominatu considerentur, supremo Ecclesiae

Digitized by Google

no rapporto cogli interessi di tutto il cattolicismo o dei Cattolici di un dato Stato, nel quale sono comprese più Diocesi, appartengono in particolare maniera al Rappresentante del Sommo Pontefice; e l'azione relativa dei Vescovi, sia singolarmente presi, sia presi collettivamente in uno Stato, deve essere sempre subordinata al Capo Supremo della Chiesa ed in conseguenza a chi lo rappresenta.

Erra quindi l'autore dell'articolo allorchè afferma che il diritto del Vescovo ha cura delle relazioni interne e sostanziali che Iddio ha stabilito tra i due poteri.

Venendo poi alla questione di fatto, è evidente che il Nunzio apostolico, quale delegato e rappresentante del Sommo Pontefice, non ha altra missione, nè altra autorità fuori di quella che il Sommo Pontefice a lui concede; come pure è evidente che solo il Romano Pontefice delegante può dire quale sia la missione e quale l'autorità del suo Nunzio. È però vero che il Sommo Pontefice dà ai suoi Nunzi una missione puramente diplomatica senza veruna autorità sopra i pastori ed i fedeli esistenti negli Stati presso i quali sono essi accreditati? Può ammettersi che il Santo Padre mandi i suoi Nunzi come i Governi civili mandano i loro Ministri e Rappresentanti? Dai relativi Brevi ed istruzioni apparisce invece che i Nunzi aposto-

Capiti, ac proinde ei, qui illius vicem gerit, subiectam esse oportere.

Errat igitur illius Capitis scriptor affirmans, ius Episcoporum ad internas et substantiales, ut aiunt, relationes, quas inter utrumque Principatum Deus statuit, curandas extendi.

Ut autem ad facti rationem accedam, manifestum est, Nuntium apostolicum, quatenus romani Pontificis legatum, Eiusque vices-gerentem, aliam missionem, aliamque auctoritatem, praeter eam quam illi idem Pontifex adtribuit, non habere: manifestum item est, solum Romanum Pontificem, qui delegat, quaenam sui Nuntii missio, quaenam auctoritas huic attributa sit, certo edicere posse. At verum ne est, romanum Pontificem suis Nuntiis missionem tantummodo civilem, quae ad ius publicum, seu gentium, pertinet, conferre, sine ulla auctoritate in Fideles ac Pastores, qui in iis Principatibus existunt, penes quos iidem Nuntii gerendorum negotiorum causâ fidem publicam possident? Credibile ne est, summum Pontificem ea ratione suos Nuntios mittere, qua civiles Dominatus suos Ministros, et qui Principis vicem gerant, mittere solent? Immo ex ἀναλόγοις Romani Pontificis Literis Mandatisque patet, Nuntios apostolicos non eam tantummodo, quae ad iuris publici negotia pertinet, missionem habere; sed quae Fideles remque religiosam auctoritate curandam attingit.

lici hanno una missione non puramente diplomatica, ma autoritativa riguardo ai fedeli ed alle cose religiose.

Inoltre il Nunzio Apostolico, come rappresentante del Sommo Pontefice, non è soggetto nè ai fedeli, nè ai Vescovi della nazione presso la quale egli risiede; quindi nè gli uni, nè gli altri hanno il diritto di determinargli le attribuzioni e molto meno giudicare della legittimità de' suoi atti, i quali d'altronde devono essere rispettati dai fedeli e dai Vescovi, salvo ad essi il diritto di ricorrere alla santa Sede, qualora vi fossero motivi per credere, che il Nunzio uscisse dai confini della sua missione, o abusasse della sua rappresentanza. Come adunque si può sostenere che il Nunzio apostolico ha una missione puramente diplomatica senza alcuna autorità?

Nè meno riprovevole è l'asserzione del giornalista, che cioè il Nunzio apostolico, appunto perchè semplice diplomatico possa dichiarare come buone, o almeno come tollerabili, certe condizioni che taluni credono *detestabili*. Se quest'asserzione fosse vera, potrebbe, anzi dovrebbe ammettersi che la s. Sede stessa ammettesse come buono e tollerabile quello che realmente è in rovina della Chiesa e della religione; giacchè gli atti del Nunzio, non sconfessati nè riprovati dalla s. Sede

Praeterea Nuntius apostolicus, ut summi Pontificis vicem gerens, neque Fidelibus, neque illius Nationis Episcopis, ubi ille commoratur, subditus est; ideoque neutri officia eidem sive imponendi, sive definiendi ius habent; multoque minus eius acta iudicandi, quae cum a Fidelibus, tum vero etiam ab Episcopis sunt reverenda, salvo ipsis iure, si quando rationes suspicandi suppetant, Nuntium suae missionis terminos praetergredi, suoque Legati munere abuti, ad s. Sedem confugiendi. Quomodo ergo affirmari potest, Nuntium apostolicum ad ea tantum negotia curanda, quae iure publico sive gentium continentur, sine ulla auctoritate circa ea quae Religionem etiam attingunt, missionem suscipere?

Nec minori censura dignum videtur quod eiusdem Ephemeridis scriptor asserit, Nuntium scilicet apostolicum, hac ipsa de causa quod ad ea tantummodo negotia, quae sunt iuris publici, curanda Legatus mittitur, quasdam conditiones, quas detestabiles *quidam arbitrantur, bonas nihilominus, aut saltem* tolerabiles *edicere posse. Quae quidem assertio si vera esset, exinde profecto, quod Ecclesiae Religionique reapse perniciosum est, id bonum ac tolerabile s. Sedem declarare posse consequeretur: acta enim Nuntii, quae virgulâ censoriâ a s. Sede notata non sunt, nec reprobata, tamquam huius acta haberi iure possunt: haec igitur assertio supremo Ecclesiae Capiti nimium*

Digitized by Google

possono a ragione ritenersi come atti suoi: asserzione questa troppo ingiuriosa al Capo supremo della Chiesa, e perciò degna di ogni riprovazione.

È finalmete un controsenso l'altra affermazione del giornalista, nella quale si dice che il Nunzio, per umani riguardi, trovasi impedito dal manifestare la verità e sostenere la giustizia, mentre i Vescovi godono d'una maggiore libertà. Il Nunzio, come rappresentante d'un sovrano indipendente, nulla ha da temere, come nulla ha da sperare dal governo presso il quale è accreditato.

V. S. Rma chiami presso di sè il signor Nocedal; gli dia lettura delle osservazioni contenute in questo dispaccio, e lo inviti a rettificare nel suo giornale le sue erronee ed ingiuriose asserzioni, facendogli intendere al tempo stesso che, qualora egli si rifiutasse di fare tale rettificazione o di farla adeguatamente, la Santa Sede si troverebbe nella penosa necessità di valersi di altri mezzi all'effetto.

Dopo ciò ecc.

Roma, 15 aprile 1885.

L. Card. Jacobini

iniuriosa est, ideoque omnino reprobanda. — Postremo nec veritati consonum est, quod idem Ephemeridis scriptor affirmat, Nuntium videlicet, quo minus veritatem prodat, iustitiam asserat, humanis rationibus praepediri; Episcopos vero maiori libertate pollere. Nuntio quippe Apostolico, ut qui Principis nemini subiecti vicem gerit, a civili Dominatu, penes quem Legati munere fungitur, quemadmodum nihil sperandum suppetit, ita nihil est timendum.

Tu igitur, Excme Praesul, scriptorem D. Nocedal accersito; quae in his literis disputata sunt, illi legenda exhibito: eumque ad ea quae in sua Ephemeride falso et iniuriose asseruit, corrigenda comiter provocato: quod si ille, et quidem ut ius postulat, facere renuerit, eidem edicito, s. Sedem, quamvis aegre, mediis, quae necessitas suggerit, imponit, esse usuram.

Interim etc.

Romae die XV Aprilis ann. MDCCCLXXXV.

Lud. Card. Iacobinius



Digitized by Google

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

SARZANEN.

ELECTIONIS

Die 13 Septembris 1884.

Sess. 7. Cap. 3. et Sess. 24. Cap. 18. de Reform.

Compendium facti. In pago *Nicola* Dioecesis sarzanensis extat Parochialis Ecclesia ss. Philippi et Iacobi, cuius Rector a patribusfamilias eiusdem loci, in vim, uti fertur, iurispatronatus eligitur; institutionem vero tituli collativam a Capitulo Ecclesiae cathedralis recipit, ceu ab immemorabili tempore factum esse perhibetur. Cum exinde vacatio praefatae paroeciae contigisset die 23 Novembris 1881, patresfamilias, temporis prorogatione a Capitulo obtenta, die 25 Martii 1882 convenerunt ad peragendam novi pastoris electionem; ad quam optabant duo presbyteri, videlicet Coelestinus Cipollini, loci *Nicola* et Santinus Rezzasco, pagi *Vernazza,* qui Oeconomi spiritualis munere tunc fungebatur in praefato pago *Nicola*. Atque instituta calculorum ratione, hic 116 suffragia favorabilia et 135 contraria retulit; ille vero favorabilia 167 et contraria 86 suffragia habuit.

Consessus itaque electum declaravit Coelestinum Cipollini, et die 30 Martii 1884 hunc pro canonica institutione Capitulo praesentavit. Praesentationem Capitulum admisit, et interim duos delegavit Canonicos ad negotium examinandum; imo et edicta promulgavit, quibus omnes ius habentes vocabantur ad electioni contradicendum, si vellent. Et reapse infra tempus ab edictis praefinitum, quamplures patresfamilias loci *Nicola* contra memoratam electionem insurrexerunt; allegantes praesertim violatam electorum libertatem, non servatam electionis formam a iure praescriptam, exclusionem nonnullorum ab electorum coetu et ad-

Digitized by Google

missionem aliorum, ius non habentium, ad suffragium ferendum, et tandem electi ineptitudinem ad parochi munus gerendum. Haec fundamento haud destituta putantes Canonici ad negotii examen delegati, atque controversiam amicabiliter dirimere cupientes, operam illico dederunt, ut Coelestinus Cipollini resignationem emitteret cuiuscumque iuris ex electione acquisiti, sicuti iam peregerat illius aemulus. Ast sollicitudinibus omnibus in irritum cessis, alter Canonicus duobus praefatis adiunctus fuit, atque causae actis completis, solemne iudicium institutum fuit coram Capitulo, quod, universa negotii relatione audita, ac perpensis testium depositionibus, partium allegationibus, aliisque ad rem facientibus, die 27 Aprilis 1883 definitivam sententiam protulit, qua nullam renunciavit electionem peractam, simulque mandavit, ut nova electio infra quatuor menses fieret.

Cui sententiae haud acquiescere existimans pars Coelestini Cipollini fautrix, ad Curiam episcopalem provocavit. Et cum haec, die 2 Aprilis 1884, Capituli sententiam confirmaverit, rursumque nullius roboris declaraverit Coelestini electionem ac novam fieri mandaverit, ad S. C. C. appellavit.

Disceptatio Synoptica.

Sententia curiae confirmanda videtur. Ac principio animadversum fuit, Capitulum Ecclesiae cathedralis sarzanensis habere ius conferendi canonicam institutionem ad beneficium parochiale, loci *Nicola*, sicuti et ad quaedam alia. Incontroversum in themate id est, et ceteroquin liquet ex actis episcopalis visitationis et ex immemorabili observantia. Qua de re ambigi non posse videtur Capitulo ius quoque esse inquirendi, imo et iudicium ferendi de iis omnibus, quae cum collatione canonicae institutionis intime connectuntur. Et cum canonica institutio in casu conferenda sit ad praesentationem patrumfamilias, apparet insuper Capitulum nec munus suum prudenter obire posse, nisi prius de legitimitate praesentationis ac de praesentati qualitatibus

Digitized by Google

iudicare valeret. Ceterum difficultatem omnem hac in re tolli prorsus videtur a Curiae episcopalis Cancellario, qui testatur: Capitulum Cathedralis ab immemorabili fuisse iudicem *primae instantiae* quoad causas beneficiorum, quorum collatio ad idem pertinet.

Posito autem quod Capitulum iure ac merito huiusmodi causam pertractaverit usque ad sententiam definitivam inclusive, quae deinde confirmata fuit a Curia episcopali, eo ipso contra appellantes exurgit argumentum litis peremptorium, videlicet res iudicata, proveniens ex duplici conformi sententia; Devoti *Instit. Can. lib. 3 tit. 15 de Appell. in nota 5 ad n. 7.* Idipsum docuit S. C. C. in *Castrimaris 5 Aprilis 1884,* ubi, propter duplicem conformem sententiam, appellationem recusavit, et causam in folio poni iusssit *super restitutione in integrum.* (1)

Ex his plane consequi videtur appellantes audiendos non esse, nisi evidenter constet de causis restitutionis in integrum, de nullitate videlicet vel iniustitia rei iudicatae, ceu monet textus in *Cap. 1 De in int. restit., L. 4 §. Condemnatum ff. de reiudic., L. 17 ff. eod. tit. et LL. 1 et 2 ff. de restit. in int.* Ast, ut de evidenti iniustitia prius sermo sit, nullum argumentum ab appellantibus affertur quo indubie demonstrari queat, aliquam legem spretam aut violatam fuisse, vel documenta ac testimonia, quibus innititur sententia falsitatis notâ laborare. Nec insuper aliquid novi deducitur, quo verosimiliter dici queat, causam faciem mutasse, novaque iura inducta esse. De nullitate praeterea parum dicere vacat, cum omnia utriusque iudicii acta ad iuris tramitem expleta appareant, nihilque proficiant exceptiones, quae ex adverso contra unam vel alteram sententiam passim opponuntur. Istae siquidem exceptiones ad haec potissimum revocari possunt: 1. Capitulum suam potestatem excessisse, iudicando de electi idoneitate, nec sententiam collegialiter tulisse, quia indictis comitiis sex tantum Canonici interfuerunt, quorum unus a suffragio quoque

(1) Confer Vol. XVII pag. 65.

Digitized by Google

ferendo et a sententia subscribenda sese abstinuit: 2. Vicarium generalem, qui priorem sententiam confirmavit, iudicem inhabilem fuisse, quia ipse in iure canonico non est doctor; et quia est patruus procuratoris illorum qui electioni contradicebant.

Porro neutrum ex obiectis consistere videtur. In primis enim, cum capitularia comitia regulariter indicta fuerint, nihil prorsus interest quod sex tantummodo Canonici convenerint ad sententiam ferendam, et alter etiam istorum sese abstinuerit a voto suo promendo. Sciunt siquidem omnes, negotium quodcumque capitulariter decisum censeri quando maior pars eorum, qui ex vocandis et vocatis convenerunt, in eamdem sententiam ivit. Et dicitur expressim de iis, qui convenerunt, quia, uti docet De Angelis *Praeelectiones Iur. Can. lib. 3 tit. 11 n. 5:* « cum omnes vocati sunt, si alii » qui non compareant, ceteri possunt in negotio procedere, » et sibi imputent absentes quod non comparuerint, et sic » iuri suo pro illa vice renuntiaverint, ut tenet Glossa » in *cap. 42 v. qui volunt de elect.* Sufficit autem nu» merus trium, ut Capitulum habeatur, ut cum communi » Doctorum tradit Ceccoperius lib. 4 tit. 2. » Nihil pariter interest Capitulum de electi idoneitate iudicasse. Huiusmodi enim iudicium, ut de ceteris taceam, cumulative ac concomitanter se habuit cum altero de ipsius electionis validitate; limites haud excessit factorum ex actis causae emergentium et notorie cognitorum; ab utraque contendentium parte promotum fuit atque expresse petitum. Haud immerito exinde infertur et Capitulum infra potestatis suae limites se continuisse, et iudicialem intercessisse contractum inter partes quo Capituli competentia hac quoque in re cognita fuit.

Deterius insuper altera opponitur exceptio, inhabilitas videlicet iudicis, desumpta ex defectu doctoratus et ex consanguinitate cum altero contendentium procuratore. Sane quoad primum, in facto est, Vicarium generalem in assessorem assumpsisse D. Marium Gaggioli, in iure canonico doctorem. Secundum vero quod attinet, animadvertere iuvat,

Digitized by Google

nullibi in iure inhabilem declarari iudicem ob consanguinitatem vel affinitatem, sed caveri tantummodo ne ille, qui in aliqua causa postulavit, in eadem postea iudex sit. *L. Eos in princ. Cod. de Appell. L. Praetor de iurisdict. omn. iudic., Cap. Nullus umquam 1. et Cap. Nullus introducatur. 2 caus. 49 4.* Verum equidem est quod litigantes facultate polleant recusandi iudicem suspectum; ast recusationis exceptionem proponere non valent nisi infra 20 dies ab oblatione libelli et ante litis contestationem; *Auth. Offeratur Cod. de lite contest. Cap. quod suspecti caus. 3 q. 1.* Secus in iudicem consensisse ac recusationis exceptioni renuntiasse censentur, ceu docet Glossa in *cap. Inter de sent. et re iud. v. Subeundo.* Iamvero appellantes, ut de exceptionis merito taceam, quamvis vocati iam a die 7 Augusti 1883 ex mandato Vicarii generalis, et consequenter probe noverint, personam iudicis eiusque propinquitatem cum partis adversae procuratore, exceptionem tamen recusatoriam nonnisi paullo ante sententiam definitivam proposuerunt, ceu ex actis causae constat. Nullatenus igitur ambigendum videtur de iustitia ac validitate rei iudicatae; et ideo forsan concludi posset nec appellationi esse locum in casu.

Verum et hoc parumper praetermisso, talia concurrere videntur in themate, quae confirmationem sententiae Curiae sarzanensis omnino suadeant. Quod ut clarius appareat, nonnulla obiter praenotanda sunt a iure requisita in electionis negotio. Ac praeprimis omnes, qui ius suffragandi habent, vocandi sunt; *Cap. 18, 35 et 42 de election.;* ita ut si unus vel alter sit spretus, hic agere possit ad irritandam electionem peractam; Glossa in *cap. 8 de elect. in 6;* Fagnanus in *cap. 42 eod. cit. num. 38;* Reiffenstuel *in tit. de elect. num. 115.* Quaecumque itidem electio libera omnino debet esse, ita ut aliter facta, sit ipso iure nulla; *Cap. 14 de elect. Cap. 3 eod. tit. in 6 §. Ceterum* - ibi - « Cessat electio dum libertas adimitur eligendi. » Huiusmodi vero libertas deesse censetur etiam in casu subornationis,

Digitized by Google

quae fit importunis precibus, comminationibus, vituperationibus, donis, promissis aliisque mediis, artibus et modis illicitis, sufficientibus ad commovendum, seu moraliter cogendum ad dandum suffragium uni determinato. *Cap. 3 de iis quae vi metusve causa fiunt; Cap. 26 de elect.* Quod si electio peragenda sit ad tramites *cap. 42 de elect.*, et scrutinii forma prae ceteris adhibeatur, haec, praeter alia, ulterius servanda sunt sub poena nullitatis: tres videlicet scrutatores eligendi sunt de collegio, seu de iis, qui debent, volunt et possunt interesse; singulorum suffragia colligi debent *secreto, singillatim, diligenter et ordinate;* suffragiorum tandem facienda est *collatio numeri ad numerum, zeli ad zelum et meriti ad meritum.* Ita cum communi sententia tradit Ioan. Andr. in *cit. cap. 42 de elect. n. 28.*

Cum autem forma electionis a notissimo *cap. Quia propter 42 de elect.* praescripta locum habeat *quoad ea Beneficia, ex quorum vacatione, propriis pastoribus viduatae remanent Ecclesiae,* ceu traditur apud Ferraris *V. Electio art. 1 num. 1 nov. add.* necnon a sacra Rota *coram Caprara decis. 558 et 573 num. 1.,* haud ambigendum videtur eamdem electionis formam in casu quoque servari debuisse. Nam, teste Reiffenstuel *in Reg. 10 iuris num. 1,* sub nomine pastoris veniunt etiam parochi; et in communi usu loquendi parochus appellatur quoque sponsus Ecclesiae parochialis, et haec, dum vacat, viduata dicitur.

Quibus positis, facili negotio evinci posse videtur peractam electionem talibus scatere vitiis, ut nulla prorsus ac irrita renuntianda sit. Animadversum siquidem fuit in primis album electorum promulgatum haud fuisse tempore debito, cum ad valvas ecclesiae parochialis affixum non fuerit, nisi, eodem mane, quo fiebat electio et ideo defecisset prima conditio canonicae electionis. Vim autem huius argumenti frustra extenuare conantur appellantes animadvertendo, praefatum album in domo municipali affixum mansisse diebus 21, 22 et 23 Martii 1882. Id siquidem ceu omnino falsum deprehendunt actores: tum quia album a curionibus munici-

Digitized by Google

palibus approbatum non fuit nisi die 22, et consequenter promulgari non potuit nisi die sequenti; tum quia municipalis curio Ioannes Maria Francisci, sub iuramenti fide, testatus est idem album in domo municipali nullatenus promulgatum fuisse. Depositionem hanc maximi faciendam esse, utpote testis qualificati, apprime informati atque iuridice excussi ad instantiam ipsorum appellantium.

Ast graviora urgent actores, ex eo quod nonnulli iure suffragandi destituti, inter electores recensiti fuerint, neglecti vero qui praefato iure pollebant. Isti autem cum illico de spreto reclamaverint ac egerint, nemo inficias ibit, electionem iure ac merito irritam declaratam fuisse. Imo in radice nullam reputandam esse subdunt actores, ex eo quod suffragaverint etiam non electores, quia ceteri de gremio in illos compromiserint vel consenserint.

Libertatem praeterea in electione defecisse sustinuerunt actores, pluribus testibus adductis. Re sane vera testis Francisci audivit Bonifacium Barbieri, Syndici patrem, proferre minas contra eos, qui transiissent per agros suos, quique suffragium sacerdoti Cipollini denegassent. Idem testimonium dixit Dominicus Belletti, et alii quamplures. De gravitate itidem istarum pressionum nullatenus ambigendum esse aiunt actores, si perpendatur Syndicum fuisse praecipuum illarum auctorem; Vincentium Bottiglioni, utpote sacerdoti Cipollini contrarium, dimissum fuisse ab eiusdem Barbieri agris, quorum partiarius erat; Iacobo Cervia ablatam fuisse hac de re parmulam pauperis, quam ei deinde restituit Syndici uxor dicens: vir meus te videbit in suffragiorum collatione.

Haec confirmare studuerunt actores ex eo quod praefatae subornationis artes adhibitae sint etiam post electionem, ut subscriptores recursus proprium nomen revocarent. Istos enim ad se vocavit Syndicus, ceu ulterius deponunt testes Carchini et Angelini, eosdemque deterruit, ac de triremibus quoque comminatus est, ut optatam subscriptionum reprobationem consequeretur.

Digitized by Google

Cum libertate insuper exulasse quoque videtur substantialem electionis formam. Sane de praevia scrutatorum electione neque verbum, neque vola in actis occurrit. De secreta suffragiorum collatione contrarium prorsus deponunt omnes testes ab actoribus inducti.

Abs re tandem non erit nonnulla animadvertere circa sacerdotis Cipollini idoneitatem ad curam animarum gerendam, cum Conc. Trid. *sess. 7 cap. 3* expresse statuat: « Inferiora beneficia ecclesiastica, praesertim curam animarum habentia personis dignis et habilibus et quae in loco residere ac *per seipsas* curam ipsam exercere valeant. . . . conferantur: aliter autem facta collatio sive provisio omnino irritetur. . . . » Et S. C. C. apud Gallemart in *Annot.* ad Conc. Trid. *sess. 5, cap. 2* decrevit: « cogendos esse curatos ad subeunda per seipsos et non per substitutos ea munia, ad quae tenentur. »

Porro ipse sacerdos Cipollini ad electionem proponi cupiens, scripsit: sperare onera, officio inhaerentia, sese impleturum auxilio parochi idonei. Confessus enim est, se parochi munus valetudinis causâ obire non posse et una tantum vice praedicasse. Actores insuper retulerunt eum alienum esse ab ecclesiasticis ministeriis, sacramentorum administrationem neglexisse; et, quod magis dolendum est, non semel infirmos ex hac vita migrasse absque assistentia et extremis Religionis subsidiis; quia, graviter aegrotante Parocho, nullus alius Sacerdos praesto erat, praeter Cipollini, qui hoc officium praestare renuit, quamvis ad id etiam ex iustitia teneretur, utpote pollens beneficio, cui est adnexum onus coadiuvandi Parochum.

Sententia curiae infirmanda videtur. Ex parte vero appellantium animadversum fuit, Curiae sententiam omnino fuisse revocandam, utpote quae praecedentem sententiam, Cathedralis Capituli nomine prolatam, aperta nullitate et iniustitiâ infectam confirmavit. Etenim evidens est quod si primum iudicium nullo modo consistere valeat, nec posterius, prioris confirmatorium, validius sustineri possit.

Digitized by Google

Et primo de nullitate sententiae primi gradus agentes, eam evidentissimam dixerunt ex capite incompetentiae. Casum hic esse vere singularem de sententia Curiae episcopalis, in *secundo* iurisdictionis gradu prolatam, eo quod quidam Canonici Capituli cathedralis pro tribunali sedentes verum iudicium in forma coram se institui decreverint sententiamque, iuris ordine servato, ediderint de idoneitate praesentati a patrono laico, ad beneficium curam animarum adnexam habens. Id cum egerint, contentiosae iurisdictionis exercitium usurpasse Canonicos illos. Neminem namque latere, omnem iurisdictionem vel ordinariam esse debere, vel delegatam. Iamvero neque ordinariam neque delegatam in Capitulo contentiosam iurisdictionem esse, praesertim in iis quae ad Episcopum privative pertinent. Nam quod respicit ordinariam iurisdictionem eam tribus tantum modis acquiri: vel ex privilegio Pontificis, vel a lege seu canone, vel ex consuetudine legitime praescripta; Ferraris *iurisdictio n. 12.* Primis duobus modis exclusis, qui a Capitulis abhorrent, tertium superesset. Ast consuetudinem legitime praescriptam dari non posse in his, quae expressa legis sanctione Ordinario ita privative reservata sunt, ut neque alios ad eam exercendam delegare possit.

Nec oggerendum; ius Capitulo pertinuisse ad collativam praesentato institutionem concedendam, ideoque ius eidem fuisse ad electionis legitimitatem praesentatique idoneitatem inquirendam. Misso enim quod institutio collativa de iure communi pertineat ad Episcopum loci, in quo situm est beneficium, ceu ex *Cap. Omnis basilicae 10 causa 16 q. 7, Cap. ex frequentibus 3 de institutione, Cap. cum ex iniuncto 12 de haereticis in fine,* et ex communi auctorum; cum ex privilegio vel fundatione vel consuetudine aut praescriptione legitime completa, institutionis collativae concessio Capitulo spectare queat, fieri potuisse ut si de simplici beneficio actum esset, vel ex privilegio vel ex fundatione vel etiam ex consuetudine, Capitulum institutionem collativam concedendi ius haberet. Ast rem esse in casu de be-

Digitized by Google

neficio curam animarum adnexam habente, quod nonnisi *authorizabili* institutione conferri debet. Huiusmodi vero institutionis concedendae ius Ordinariis pertinere privative, non ad praelatos inferiores, et nonnisi post quam praesentatus idoneus repertus sit ab examinatoribus prosynodalibus, Ordinariis facultatem concedi praesentatum instituendi. Aiunt enim statuisse Concilium Tridentinum *sess. 7 cap. 13 de reform.* nullos clericos posse institui etiam praetextu « *cuiusvis privilegii seu consuetudinis etiam ab immemorabili tempore praescriptae, nisi fuerint prius a locorum Ordinariis examinati et idonei reperti.* » Et de praesentatis a patrono laico praescripsisse eamdem s. Synodum *Sess. 24 Cap. 18 de reform. Quod si iuspatronatus laicorum fuerit, debeat qui a patrono praesentatus erit ab eisdem deputatis ut supra examinari, et nonnisi idoneus repertus fuerit admitti.* Ergo de praesentati idoneitate examen iudiciumque privative examinatoribus prosynodalibus esse reservatum, et ipsis de idoneitate testantibus, institutionis concedendae ius ad Episcopum spectare, ceu docet Benedictus XIV *De synodo Dioeces. lib. 4 cap. 8 num. 9.*

Igitur aperte Ordinarii iura invasisse primi gradus sententiam patet, quia Capitulum iudicavit de idoneitate electi parochi, sibi soli vindicans ius dandi canonicam institutionem in paroeciali beneficio.

Idoneitatis vero defectum hausisse iudices ex ore testium qui electionem impugnaverunt, depositionibus testium a reis conventis productorum omnino posthabitis. Huiusmodi argumento potiorem sententiae partem innixam fuisse. Eam sed iam condemnasse S. C. C. in magistrali resolutione causae *Iurisdictionis ordinariae vel exemptionis*, actae coram particulari Congregatione die *27 Novembris 1856.* Ex viginti dubiis quae proposita sunt, nonum ita se habebat. « *An ius examinis et institutionis auctorizabilis cum cura et in praebendis theologali et poenitentiali spectet ad Episcopum vel ad Capitulum in casu.* » Et responsum prodiisse ad 9 « *Ad Episcopum* ». Quae cum ita sint, con-

Digitized by Google

cluserunt, iudicium omnem excessit Capituli, etiam collativae institutionis iure exercentis, competentiam. Ergo primi gradus sententia ex capite incompetentiae manifestâ nullitate laborat: eodemque vitio infectum est Curiae iudicatum, quo prior sententia confirmata est, idemque illud argumentum repetitum, quo primi iudices usi sunt.

His accedit, quod iudicatum haberi nequit tamquam a Capitulo editum: cum potius illis tantum Canonicis, tamquam singulis, tribuendum sit, qui illud subscripserunt. Etenim nulla habetur probatio nullumque indicium quod ostendat iudicium revera Capituli proprium fuisse. Nihilque pandisse assertionem quod die 27 Aprilis Capitulum, rite convocatum, adstiterit lectioni et publicationi sententiae: nam aliud est causae discussioni adesse et in iudicio votum ferre, et longe aliud sententiae iam confectae lectioni, cum publicatur, adsistere. Atqui constat quod die 27 Aprilis sententia in vulgus edita fuit, at non constat Capitulum rite convocatum discussioni causae adstitisse resolutionemque, edidisse. Quamobrem potius quam Capituli qua Collegii, singulorum Canonicorum, qui sententiae subscripserunt et collegium nullum conficiunt, iudicium habendum esse, quod cum Capituli nomine manifesto ex abusu editum fuerit, hoc quoque ex capite nullitatem continere.

Sed non nullitate tantum sententiam laborare, verum et iniustitiâ. Iniquum enim ante omnia fuisse inhabilem, electum decernere, eo quod testes de eorum numero qui contra D. Cipollini electionem recursum Capitulo obtulerant, de eius idoneitate iudicium expresserint, quorum quidem testium non omnes, sed quidam tantum suam peculiarem sententiam expresserunt, vel nulli argumento positivo innixam, vel ex causis quae apertum mendacium continent. Ceterum cum de idoneitate quaestio est, quomodo sit procedendum S. C. C. ostendisse in causa *Ferentina Theologalis diei 1 Decembris 1866:* in qua cum ageretur de electione ad praebendam Theologalem, favore cuiusdam beneficiati, admittenda vel non, praesertim quia de praesentati

Digitized by Google

idoneitate dubium moveretur. S. C. dubium « *An sustineatur electio favore NN. ad Canonicatum theologalem in casu* » resolvendum esse censuit per responsum « *Sustineri praesentationem, et institutionem dandam esse favore NN., facto experimento idoneitatis.* »

Sententiae iniustitiam, prosequuntur, haud minus apertam haberi cum electum comparavit illi qui ad renuntiandum cogitur ex titulo *quem mala plebs odit.*. A secundo hoc capite incipientes afferebant nullam dari de casu ad casum paritatem. Etenim cum vota Coelestinus habuerit propria 167, contraria vero tantum 82, tuto teneri posse maiorem sanioremque populi partem illi adhaerere.

Quoad electionis vitia animadversum fuit, sententiam de illis iudicium tulisse ac si de electione praelati actum esset in casu. At in oculos insilire differentiam inter electionem Episcopi, quam Capitulum peragit, vel praelati a regularibus explendae, et electionem parochi a populo peragendam. In illis iure novo, cum forma scrutinii adhibeatur secretum esse servandum, non vero in hac quae *ad iuris communis* tramites explenda est, teste Card. De Luca *Adnot. ad s. c. t. Disc. 38 num. 1 et 2 et de iurepatr. Disc. 61 num. 24.*

In maiori pretio habendum fore vitium contemptus, si existeret. At constare ex actis, die 19 Martii Ecclesiae affixum fuisse monitum, ut patresfamilias diebus 21, 22 et 23 Martii ad schedulas accipiendas accederent, pariter constare omnino quod catalogus patrumfamilias in lucem editus fuit et electorum examini subiectus. Constare de his qui praesentes fuerunt, neminem contra ad suffragium ferendum admissos reclamasse. Constare unum Angelum Verrucchia de contemptu questum fuisse: ast non directe, nam ostendere nequivit se inter patresfamilias merito fuisse cooptandum: sed indirecte hoc est quia aliqui, quos ipse dixit pari sibi in conditione versari, ad suffragium ferendum admissi fuissent.

In sententia Curiae episcopalis pro certo dari eumdem

Digitized by Google

Verrucchia aliosque de contemptu egisse tempore utili: verum eorum recursus una cum sententia secundi gradus primum lucem vidisse: nam antea ad acta nunquam extitisse, nec ipsam primi gradus sententiam de illis sermonem fecisse. Dato autem sed non concesso inter suffragium ferentes quosdam extraneos inveniri, scitum est non ideo electionem irritari; De Luca *De Regul. disc. 53 n. 13.* « Et quoad interventum monachorum qui non erant in sa-
» cris, iustificabatur in facto Monasterii consuetudo. Ac
» ulterius cum vota fuissent concordia nihil referebat dictus
» interventus: cum mixtura non habentium votum non con-
» tradicta non praeiudicet electioni quae ab aliis conclusa
» sit: cum difficultas cadit quando talia vota illegitima
» ipsam electionem concluderent. Secus autem, ubi ipsis
» etiam non intervenientibus, actus esset bene conclusus. »

Hisce pro utraque parte expositis, diluendum propositum fuit

Dubium

An sententia Curiae episcopalis sarzanensis sit confirmanda, vel infirmanda in casu.

Resolutio. Sacra C. Concilii re cognita, sub die 6 Septembris 1884, censuit respondere: *Sententiam esse confirmandam.*

Ex quibus colliges. I. Ex iure communi duas sententias conformes rem iudicatam efficere: ita ut appellantes audiendi non forent, nisi constet de nullitate vel iniustitia rei iudicatae quae habentur uti causae pro restitutione in integrum.

II. Restitutionem in integrum concedi quoties demonstrari queat, aliquam legem spretam aut violatam fuisse, vel documenta aut testimonia, quibus innititur sententia falsitatis notâ laborant.

III. In themate omnia haec abfuisse videri; quum appellantes evincere nequiverint legis alicuius violationem aut documenta, quibus duplex fulcitur sententia, falsa esse.

IV. Ex iure communi institutionem in beneficia paro-

Digitized by Google

chialia conferri a solo Episcopo, postquam examinatores prosynodales idoneum retulerint praesentatum.

V. In themate videri admissum fuisse, pertinere ad Capitulum *ex immemorabili consuetudine*, iudicare in *prima instantia* quaestiones quoad beneficia simplicia et curata, quorum collatio ad idem spectat Capitulum; ita ut Capitulum cathedralis constituerit tribunal diversum a tribunali Ordinarii, et de idoneitate praesentati iudicaverit.

APPENDIX

Appendicis instar adiicimus quaestioni iam relatae, sequentem causam quae apud S. C. Episcoporum et Reg. acta est quoad electiones populares paroeciarum. Rarae apud nostras ephemerides reperiuntur eiusmodi quaestiones, et ideo quamvis non recens, eamdem referimus.

Diebus 18 Septembris 1875 et 4 Februarii 1876.

VENETIARUM PAROCHIALIS

COMPENDIUM FACTI. Anno 1864 Parochia s. Donati vidua proprio mansit pastore. Tunc familiarum capita consilium inierunt eligendi ad hoc beneficium presbyterum Tommasini; qui a Curia primus inter agitatores habebatur, et causa princeps simultatum inter paroecianos. Cognito hoc consilio favore presbyteri Tommasini, Vicarius paroeciae vacantis Pavanelli, oppositionem paravit illius electioni, curavitque ut septem familiarum capita vocarent ad concursum vacantis Paroeciae presbyterum Barbini, qui desideria vocantium, etsi invitus, excepit.

Tunc Vicarius Pavanelli nihil intentatum reliquit, ut maiora quae posset colligeret suffragia pro sacerdote Barbini, et a Tommasini subduceret. Et in hunc finem, aiunt, usum fuisse etiam sacramentali confessione ad cogendos renitentes. Fertur etiam Vicarium generalem spopondisse, sese curaturum ut Barbini paroeciam consequeretur, etiamsi Tommasini pluralitatem suffragiorum obtineret.

Examinatores pro-Synodales, facto examinis periculo, approbarunt sacerdotem Barbini plenis suffragiis, Tommasini vero duobus suffragiis favorabilibus, contra Antistitis sententiam; qui censebat, secundum candidatum omnino carere requisitis ad animarum curam aptis.

Quum populus deveniret ad parochi electionem, iam in duas partes divisus erat: quarum una pro

Digitized by Google

Barbini, altera vero pro Tommasini decertabat, modis haud omino probandis. Attamen ex votatione Tommasini 130, Barbini vero 123 consequutus est suffragia.

Dum pars victrix laetitiâ gestiret, de simonia utraque pars apud ecclesiasticam Curiam accusata fuit: quoniam neutra pecuniae et minis pepercit, ut adversarium superaret. Instructo apud Curiam processu, die 31 Maii 1865 sententia lata fuit; cuius conclusio fuit, concurrentes immunes fuisse a simonia; electionem tamen nullam fuisse ex defectu iuris in aliquo ex votantibus pro Tommasini, et ex defectu libertatis in electores nonnullos, causâ minarum partis adversae; electionem Tommasini fuisse simoniacam, quoniam pecunia et vestes nonnullis electoribus collatae fuerunt.

Contra sententiam Curiae appellatum est apud S. C. Ep. et Reg. ut valida haberetur electio, et novus concursus, a Curia indictus, non haberetur.

Sub die 18 Septembris 1875 Emi. Patres s. Congregationis Ep. et Reg. responderunt – « *esse locum novae electioni, seu praesentationi inter approbatos ab Ordinario, inclusis in iis Henrico Barbini et Marcello Tommasini.* »

Resolutio haec ultra decennium dilata fuit varias ob causas, et ad evitandos novos populares motus, qui comitari solent eiusmodi electiones, quas Sedes Apostolica deplorat. Interdum tamen Emus. Patriarcha, datis litteris, quaesivit declarationes nonnullas super lata sententia, quoniam presbyter Barbini iam ad aliam paroeciam promotus fuerat.

Iterum quaestio proposita fuit sub duobus dubiis sequentibus:

I. An et quomodo vi latae sententiae, Barbini, etsi parochus in alia paroecia, possit sese praesentare novae votationi capitum familias, paratus derelinquere actualem paroeciam, quatenus suffragia eidem essent favorabilia.

II. An sufficiat renovare votationem, seu an et quomodo novus indicendus sit concursus, et uniendi Barbini et Tommasini iam approbati, et quomodo omnes indistincte novae votationi praesentandi sint.

Resolutio. Sacra C. Ep. et Reg. re discussâ sub die 4 Februarii 1876 censuit respondere: « *Ad primum et secundum: novus instituendus concursus; et attenta pacifica possessione alterius Paroeciae, a Barbini assecutae, qui approbandi ab Emo. Ordinario, si qui erunt, omnes novae electioni subiiciantur, una cum Tommasini, iam approbato.* »

Digitized by Google

MELEVITANA

REMOTIONIS NIHIL TRANSEAT

Die 24 Ianuarii 1885.

Sess. 24 cap. 1 de reformat.

COMPENDIUM FACTI. Franciscus dioecesis Melevitanae indigena, uxorem ducere cupiebat Mariannam, viduam: et iam omnia ad nuptias ineundas parata erant, cum Francisci parentes apud ecclesiasticam curiam impedimentum, quod vocant *nihil transeat*, celebrationi matrimonii interposuerunt.

Primum siquidem asseruerunt filium suum Mariannae affinem existere: deinde vero, post obtentam ab hoc impedimento dispensationem, ne matrimonium celebraretur, allegaverunt differentiam aetatis sponsum inter et sponsam nec non periculum dissensionis facile oriturae inter familias sponsorum.

Re itaque formiter apud Curiam discussa, haec die 10 Maii 1884 sententiam tulit, Francisco apprime favorabilem. Ita enim: « Dicimus et declaramus eumdem Franciscum solutum ab impedimento supradicto, liberumque esse contrahendi matrimonium. »

Non acquieverunt tamen parentes eius; sed ad S. C. C. appellaverunt.

Disceptatio Synoptica.

IURA PARENTUM. Ex officio animadversum fuit parentes Francisci merito sese opponi eius matrimonio cum Marianna. Nativum enim ius ac obligatio parentibus inest liberos suos recte instituendi et gubernandi, maxime cum de nuptiis ineundis agitur, ne iuvenes consilii expertes, passionum aestu potius abrepti, quam rationis maturitate ducti, ea foedera contrahant ex quibus innumera mala, et animorum praesertim dissociationes oriuntur. Quod naturalis legis principium tum civile tum ecclesiasticum ius confirmarunt, sanciendo parentum assensum in liberorum coniugiis requirendum fore, *L. 2 et 18 ff. De ritu nupt. Can. Aliter 1, et Can. No-*

Digitized by Google

strates 3 caus. 30 quaest. 5, in quo Nicolaus I ad Bulgarorum postulata respondens ait: *Foedera consensu eorum, qui contrahunt et eorum in quorum potestate sunt celebrantur.*

Nec obstare videtur Tridentinum decretum *sess. 24 cap. 1 de reform. matrimonii:* nam cum Patres ibidem hoc unum statuerint, liberorum nempe nuptias, absque consensu parentum initas validas esse, censendum est integram ipsis potestatem reliquisse easdem, ut antea, impediendi iuxta vulgatam iuris regulam, quod « multa facta tenent, quae de novo fieri prohibentur. » Idque eo vel magis admittendum apparet cum statim subdant: *Nihilominus sancta Dei Ecclesia ex iustissimis causis illa* (matrimonia) *semper detestata est, atque prohibuit.* Hinc Fagnanus in *cap. In tua num. 23 De Despons. impub.* Tridentinam dispositionem expendens ait: « Verum etsi haec ita se habeant quoad nullitatem matrimonii, tamen quod spectat ad rem praesentem constat, ea coniugia adeo esse sacris canonibus invisa et exosa, ut appellent adulteria, fornicationes et stupra; unde cum tam Ecclesia, quam civilis politia tantopere ab illis abhorreant, non videtur annuendum ut filia inire possit matrimonium cui pater expresse, et ex legitima causa contradicit. »

Verum equidem est parentes in hac potestate exercenda legitimas causas adducere teneri, quae tamen in casu minime deesse videntur. In primis enim inter sponsos affinitatis vinculum intercedit, cum Marianna sponsi avunculum antea duxerit.

Quin opponatur dispensationem ab hoc impedimento largitam fuisse. Nam parentes eam obreptionis vinculo laborare contendunt, quia si Romano Pontifici eorum dissensus innotuisset gratiam probabiliter denegasset. Verum dispensationis valore parumper admisso, affinitas, quae exinde non exulat, adhuc iuxta ipsos quamdam inaequalitatem inter sponsos inducit.

Sed maiorem difficultatem exurgere sustinuerunt ex spon-

Digitized by Google

sae viduitate, ac maximo inter eosdem aetatis discrimine: nam Franciscus trigesimum annum; mulier vero quinquagesimum ageret. Ideoque iure merito angi videntur quod filium nimis sero poeniteat, ob provectam mulieris aetatem, prolem suscipere non posse. Iam vero inaequalitatem personae legitimam causam parentibus praebere coniugia filiorum impediendi tradunt Schmalzgrueber *De Despons. impub. n. 78 et 84.* Vagnereck *in cap. Tua 1* hoc tit. *Engl. hic* §. *2 n. 6*; Menoch. *Cons. 69 n. 34.*

Aliam insuper magni ponderis rationem addentes pro certo habent ex huiusmodi matrimonio perennes dissensiones inter sponsorum consanguineos orituras esse. Eorum autem assertioni fidem adhibendam patet, tum quia filii bonum unice prae oculis habent, tum etiam quia sponsae ac eiusdem familiae indolem apprime noscunt. Porro DD. tenent ob huiusmodi discordiarum timorem parentes nedum posse, sed imo debere filiorum nuptias impedire. Audiatur sane laudatus Schmalzgrueber, qui *loc. cit. num. 84* de his filiorum coniugiis agens, ait: « Tunc enim parentes impedire » illud possunt, et debent, implorata etiam auctoritate iu» dicis ecclesiastici ad cuius officium pertinebit cavere, ne » talia matrimonia contrahantur, ex quibus scandala et in» felices exitus evenire solent. » Cui consonant Card. De Luca *tom. 3 disput. 22 art. 17*, Pignatelli *Consult. Can. tom. 4 cons. 11*, Piton. *Discept. Eccl. discept. 52 n. 87.*

Semel igitur ostenso parentum oppositionem legitimis causis inniti, sponte veluti sua sequi videtur, Curiae sententiam infirmandam fore. Ecclesiasticae enim potestati munus incumbit omni vi eniti ne matrimonium celebretur, ex quo infelices exitus et graves familiarum dissensiones oriantur.

Iura filii. Franciscus contra sententiae confirmationem expostulavit, tum quia iuxta sacros Canones parentum assensus in filiorum nuptiis haud necessario requiritur, tum quia suorum auctorum oppositio irrationabilis prorsus est. Ad primum autem evincendum sufficit afferre unius D. Thomae

Digitized by Google

sententiam, qui in *2-2 q. 114 art. 5* docet, quod *non tenentur nec servi dominis, nec filii parentibus obedire de matrimonio contrahendo vel virginitate servanda, aut aliquo alio huiusmodi*. Statim enim ac quis pubertatis annos attigerit, si sit liberae conditionis, non est amplius sub alterius potestate quoad ea quae suam personam spectant, ideoque etiam invitis parentibus valet connubium inire, vel religionem ingredi, prout hac de re quaestionem instituens idem s. Doctor resolvit in 4 *sent. dist. 23 art. 3 ad 1* et *dist. 38 art. 1* ad 2.

Quibus principiis Tridentina Synodus adamussim inhaerens *cap. 1 sess. 24 de reform. matrim.* filiorum libertatem hac in re solemniter confirmavit ac anathemate perculit tum illos, qui sustinerent nuptias initas a filiis familias sine consensu parentum irritas esse, tum parentes qui eas ratas vel irritas facere praesumerent: prohibitio vero superius memorata clandestina coniugia respicere videtur.

Huiusmodi sapientem dispositionem S. C. C. prae oculis habens, pluries filiis concessit matrimonium inire, licet parentes et consanguinei reluctassent, uti pluribus omissis videre est in *Florentina 12 Ianuarii 1726*. Agebatur sane de quodam Thoma Delconte qui uxorem ducere cupiebat quamdam Camillam Manganella, quibus nuptiis obstabant mater, frater aliique consanguinei ob conditionis disparitatem, ac praesertim quia avus maternus Camillae ob quaedam furta damnatus fuerat per triennium ad opus in portu Liburni. Ast sponsi postquam a Vicario generali sub excommunicationis poena prohibiti fuerant matrimonium contrahere, sese Romam contulerunt, et actis transmissis cognitaque causa responsum fuit, matrimonium esse contrahendum. Cum itaque parentes neque ex Tridentino Concilio, neque ex S. C. C. praxi filiorum nuptias impedire valeant, minime dubitandum apparet, quin Curiae sententia suum vigorem exerere debeat.

Potiori iure id admittendum Franciscus edicit, quia parentum dissensus iniustus ac vexatorius est, ita ut dolum et calumniam importet ex *Gloss.* in *cap. finali verb. Ma-*

Digitized by Google

litiose De desp. impub. Quod facile patet si rationes adductae paulisper expendantur. Nam affinitas per dispensationem sublata est, discrimen aetatis minus officit, cum Ecclesia nuptias etiam adolescentis cum sene licitas habeat. Conditio autem Filii ea est, ut ope parentum nullimode indigeat. Timorem dissensionum sibi parentes effingunt et iugi oppositione alunt, quin ullo argumento demonstrare valeant.

Quod si aliqui DD. ob sponsorum inaequalitatem, ac timorem discordiarum memoratam potestatem parentibus faciunt, eam tamen inaequalitatem requirunt, quae dedecus secumferens infamiae notam familiae inureret, inimicitias vero gravissimas exigunt, certo certius eventuras, ac tales ut ad easdem compescendas nullum medium suppeteret, Sanchez *de Matrim. lib. 4 disp. 26,* Gutierez *lib. 1 cap. 2 n. 18,* Dicastill. *disput. 4 n. 18,* Abbas Panormit. *in cap. Requisivisti num. 4 de Spons.* Cum igitur in casu sponsorum inaequalitas, et rationabilis discordiarum timor prorsus absint, ambigendum minime videtur quin Curiae sententia confirmari debeat.

His itaque hinc inde perpensis, propositum fuit diluendum sequens

Dubium

An sententia Curiae Melevitanae sit confirmanda vel infirmanda in casu.

Resolutio. Sacra C. C. re perpensa sub die 24 Ianuarii 1885 censuit respondere: — *Sententiam esse confirmandam et amplius.* (1)

(1) Nihil adiiciendum duximus his quae per nos adnotata fuere in quaestionibus huic consimilibus, relatis Vol. XIII pag. 440 et Vol. XIV, 455. Conclusiones vero haud differre possent ab illis quae collegimus Vol. XIII, pag. 444.



Digitized by Google

RIPANA

CONCURSUS

Die 7. Martii 1885.

Sess. 24 cap. 18 de reform.

Compendium facti. Quum in hac Dioecesi vacasset ecclesia ss. Iustinae et Cypriani in oppido Colonnella, municipium quod, utpote patronus, iure pollebat tres presbyteros Episcopo praesentandi, maluit ab hoc iure exercendo abstinere, ut Episcopus posset, ad tramites sacrorum canonum, idoneum rectorem ecclesiae vacanti praeficere. Hinc ordinarius die 18 Augusti concursum indixit, quindecim dierum lapsum praefinivit, ut, qui vellet concurrentium albo nomen inscriberet; ac huiusmodi edictum, ut municipio morem gereret, etiam in finitimis dioecesibus promulgari petiit; quod tamen Theramensis Antistes, quia contra consuetudinem inibi vigentem, noluit peragere.

Nullus utili tempore, die 2 Septembris hoc desinente, periculum aggressurus comparuit; verum Antonius in pago Civitella del Tronto Theramensis dioecesis commorans, die 1 memorati mensis suam petitionem ad Episcopum transmisit, quam die tertia hic accepit. At Ordinarius die 5 dicti mensis eidem significavit, suas preces excipere non posse, tum quia fatalia elapsa iam erant, tum quia oeconomum Antonium Vagnoni ad examen solvendum adegerat, eidem promittendo, ut si ab examinatoribus idoneus fuisset habitus, absque ullo competitore paroeciam obtinuisset.

Porro Antonius huiusmodi repulsâ gravatum se reputans die 4 Octobris penes S. C. C. recursum interposuit, efflagitans ut ad concursum peragendum admitteretur, quia sua petitio, re adhuc integra pervenit, ac si paulo serius, id ex legitimo impedimento contigit; ideoque postulabat, ut S. C. C. dignaretur paroeciae collationem suspendere, et quatenus locum habuisset decernere eius collationis nullitatem, utpote quae peracta fuisset post oratoris oppositionem,

Digitized by Google

et contra sacrorum canonum sanctionem quoad paroeciarum concursus.

Episcopus rogatus de more respondit quum die 2 Septembris terminus expiraret temporis utilis ad concursum, sese dedisse litteras ad Antonium Vagnoni, eumdemque rogavisse, ut concursum ageret, cum certitudine paroeciam consequendi quatenus examinatorum prosynodalium approbationem consequutus esset. Illum, prosequutus est Antistes, quasi adegi ad concursum, quoniam probe noveram eius optimas qualitates ad eamdem regendam paroeciam; dum ipse abstinebat a concursu, nimis demisse sentiens de se. Certior fieri tamen volui de moribus, aliisque requisitis Sacerdotis oppositionem facientis; et comperii, eumdem talia egisse quae omnino Sacerdotem dedecent. Quibus cognitis a concursu eum repuli praetexens, eius petitionem pervenisse quum iam fatalia expirassent. Addidit insuper, memoratum sacerdotem fidelibus invisum fore, ac proinde municipium exoravisse, ut Curia in proposito eumdem a concursu repellendi, persisteret.

Sciendum etiam est, praefatum Vagnoni die 22 Septembris examini subiectum, eodem mense episcopales collationis litteras obtinuisse, quibus regium placet, ut audit, Ianuario mense consequi valuit.

Disceptatio Synoptica.

Quae contra episcopum facere videntur. Paroeciae collatio ab Episcopo peracta minime sustinenda videtur. Doctores enim tenent quod cum quis legitimo impedimento detentus, post lapsum temporis in edicto praefiniti, re tamen adhuc integra, petit ad concursum admitti, licet alii concurrentes obsistant, repelli nequit; secus enim ipse posset a tali denegatione appellare; Garcias *de Benef. part. 9 cap. 2 n. 206*, Ferraris *V. Concursus art. 5 n. 17*, Gonzalez *Gl. 9, §. 1, n. 115, et 183*. Reclusius *de Concurs. p. 1 tit. 3*, Nassabr. *in Praxi hab. conc. requis. 3 dub. 2*; Mareschot. *Variar. resol. lib. 1 cap. 52 n. 59*, Argirò *lib. 7 discept. 25 n. 22 et 33*. Et iure merito cum id ae-

Digitized by Google

quitas et favor ecclesiae requirat, cuius maxime interest plures oppositores concurrere. Hinc Garcias cit. loc. observat: « Cum principaliter agatur de re et utilitate Ecclesiae, ea » attendenda est, et terminus non praefigitur ut postea alii » nequeant admitti, sed ut sciatur non esse amplius expe» ctandum. »

Quae quidem sententia confirmatur resolutione S. C. C. anno circiter 1600 edita, et a laudato auctore relata, in qua proposito dubio: « *An occurrente beneficii vacatione, in concursu providendi, ad quod intra terminum in edicto praefixum plures sint oppositi, si dicto termino elapso alter superveniat, re integrà, debeat admitti.* » S. C. censuit: *Re integra esse utique admittendum:* ac idem statuit in *Lancianen. Archipresbyteratus 19 Septembris 1761* ac in *Melevitana Parochialis 15 Septembris 1764*, Quibus consonat s. Rota in *Calaguritana Dimidii* seu *Portionis 22 Aprilis 1602* coram *Ortembergo* et in *Valentina Beneficii 27 Iunii 1607* coram *Penna*. Perpendendum insuper est, quod in ipso Curiae edicto statuitur admitti qui legitimo detentus impedimento, praefixo tempore comparere nequiverit – ibi –: « praefixo termino elapso, nisi de legitimo do» ceatur impedimento, nemo, praeter iam adscriptos, ad» mittetur. »

Quod autem Antonius iusta de causa suam petitionem antea transmittere non potuerit facile evincitur. Cum enim in Theramensi dioecesi concursus edictum vulgatum non fuerit, ipse testatur, nonnisi vespere diei 31 Augusti id rei fortuito notitiam accepisse, et statim postero mane suas preces ad Episcopum misisse, quas hic die 2 Septembris accepisset, nisi longius tempus, quam ordinario requiritur, praeterlapsum fuisset antequam eidem deferrentur. Cum igitur ex iuris regula 60 in 6° non sit in mora qui potest exceptione legitima se tueri, cumque legitimum oratoris impedimentum indubitanter evincatur, sponte consequitur ex allata DD. sententia, repelli a concursu peragendo non debuisse, ac proinde paroeciae collationem nullitatis vitio laborare.

Digitized by Google

Quod magis magisque suadetur si perpendatur, neminem ad periculum subeundum comparuisse. Iamvero cum nullus concurrentium albo inscribi postulat, vel nullus adest qui examen subire velit, Episcopus nequit statim beneficium conferre, sed aliud tempus assignare debet, vel iterum edictum promulgare, et si adhuc nemo comparet, vel alias nemo reperitur idoneus, tunc tantum beneficium, absque concursu conferre potest: Ferraris *Bibl. can. v. Concursus art. 2 n. 22,* Garcias *de Benef. p. 9 c. 2 n. 218,* Barbosa *D. de Officio et pot. Parochi p. 1 cap. 2 n. 51;* Massobr. *in praxi can. requis. 3 dub. 9.*

Canonistarum sententiam affabre confirmat sequens responsum a S. C. C. Episcopo Vicentino die 4 Martii 1592 datum et a Prospero de Augustino in *Summa bullarii verb. collatio paroch. beneficior.* relatum: « Vacante aliqua pa» rochiali ecclesia, si intra terminum edicti unus solum » comparuit, et noluit se examini subiicere, nec parochia» lem curet obtinere, censuerant Illmi PP. qui Trid. Conc. » decretis interpretandis SSmi D. N. auctoritate praelecti » sunt, ab amplitudine tua assignandum esse aliud edictum, » rursumque vocandos oppositores. » Ex quibus erui videtur Episcopum potestate caruisse paroeciam absque novi concursus indictione conferre.

Nec obiiciatur, Episcopi iudicio remitti quos censet indignos a concursu repellere, ac proinde cum ex acceptis relationibus indignum reapse recurrentem reputasset; hinc, sin minus ex hoc capite, preces eiusdem merito reiecit. Nam licet huiusmodi ius Episcopo denegari nequeat, repellendus tamen non est, nisi quis indignus et incapax concludenter apparet, Garcias *de Benef. part. 9 cap. 2 n. 391,* Pignatelli *Consult. tom. 1 n. 27,* Rota *in Caesaraugustana Canonicatus Poenitentiarii 14 Martii 1746 §. Sane, coram Vicecom. confirmata 20 Ian. 1747.*

At Antonius nullo pacto talis habendus videtur. Siquidem ipse refert ab anno 1855 praedicationis munus in quadragesima fungi, ab anno 1860 usque ad 1878 paroeciam

Digitized by Google

in Theramensi dioecesi rexisse, et deinceps ad clericos seminarii Pinnensis erudiendos adlectum fuisse. Quin imo cum Pro-Vicarius generalis ripanus de recurrentis indole ac moribus Vicarios generales Theramensem, ac Pinnensem percontatus esset, hi talia retulerunt, quae in eiusdem laudem cedere videntur.

Nec apparet oratoris iuri quidquam officere petitionem Municipii, sive quum Episcopum efflagitabat, ne a proposito eumdem excludendi recederet, sive quum adivit S. C. C. et peractam parochi electionem maxime probans, exponebat quod si haec sustineri non posset, vellet praesentationis ius exercere. Nam semel ac statuit hac vice suo iuri valedicere, ut parochi electio fieret, nequit amplius hac in re partem ullam habere. Siquidem regula iuris est, quod semel placuit et probatum est, non valet amplius displicere, vel reprobari *Cap. Quod semel de Reg. Iur. in 6*, *Leg. Pomponius ff. de negoc. gest.* Jason *Cons. 231 num. 2,* Menoch. *Cons. 941 num: 2,* Rota in *Recent. Decis. 10 num. 10 p. 9.* Cui et alia 75 Iur. civ. in themate convenit. Nemo potest in alterius iniuriam consilium mutare.

Cum igitur ex his omnibus appareat nec ob utilis temporis lapsum, nec ob indignitatem a concursu repelli Antonium potuisse, consequi sponte videtur peractam electionem sustinendam non esse.

Quae favore Episcopi facere videntur. Verum ex adverso argumenta plura suadent oratoris recursum excipiendum haud esse, ac proinde paroeciae collationem in suo vigore subsistere. Sane Benedictus XIV in notissima constitutione *Cum illud, num. 16* §. *II* haec habet: « Publico » evulgetur edicto notitia concursus, congruo et ab Episcopo » praefinito tempore celebrandi: eodemque edicto omnes clare » et aperte moneantur, ut interim decurrente termino as» signato... suarum qualitatum, meritorum... documenta » exhibeant: alioquin dicto termino elapso documenta hu» iusmodi quaecumque, et qualiacumque ea sint, nullatenus » recipientur. » Cum autem actoris petitionem post praefixi

Digitized by Google

temporis lapsum Episcopus acceptaverit, cumque nulla de legitimo impedimento mentio facta fuerit, quod innui profecto debebat, suo iure usus fuisse videtur, illam excludendo.

Praeterea etsi concedatur iusta de causa Antonium in mora fuisse, non exinde ad assertum ius tuendum aliquid proficit. Indubium siquidem videtur huiusmodi exclusionem conciliaris formae contemptum minime secumferre. Porro Tridentina Synodo cautum est, ut *omnes qui descripti sunt examinentur*.. Quae quidem verba descriptionem iam factam supponunt, ideoque integrum relinquunt casum, quando nempe quis descriptus non est. Ceteroquin vero ad Episcopum pertinet ex perspicuis eiusdem Concilii verbis nominare clericos, qui digni et idonei sint ad regendam Ecclesiam; eorumque nomina recipere ut postea de illorum meritis et peritia diligens per examinatores inquisitio fiat, prout animadvertit S. C. in *Asculana Parochialis 24 Novembris 1781*. Quo posito fundamento illud sequi videtur, ut liberum Episcopo sit diiudicare quos aptos atque dignos existimet. Si quis igitur inter concurrentes describi postulans, nec dignus nec idoneus ab Episcopo reputetur, reiici posset, nec de huiusmodi reiectione conqueri valeret, uti animadvertitur in una *Tarentina Archipresbyteratus 7 Decembris 1720*, et *s. Marci et Bisiniani Concursus 22 Iunii 1850*. Indignus autem censetur, qui inhonestam vitam ducit, vel crimine praesertim venereo diffamatus est; Reclusius *de Concurs. p. 1 tit. 1 num. 20*, Argirò *Discept. 26 n. 11*.

Hisce positis ad Antonium quod attinet gravia contra eum oggeruntur et quoad depravatos mores et quoad eius genus vitae, quae omnino Sacerdotem dedecet. Etenim relatum fuit a testibus, fide dignis, ab aliqua Dioecesi expulsum fuisse, in altera eidem prohibitum fuisse litare missam, ob scandala quae dederat quum praedicaret quadragesimam in Cathedrali eiusdem Dioecesis. Cum igitur ex iis evidenter eruatur eam vitae rationem Antonium ducere, quae Christi ministrum prorsus dedecet, merito a concursu exclusus videtur.

Digitized by Google

Recolendum insuper est quod Episcopus die 5 Septembris eidem significavit suam petitionem excipere non posse. Hic autem nonnisi post unius mensis lapsum rem S. C. C. detulit. Porro dato, sed non concesso, appellationem in themate admitti posse, ea tamen interponenda fuisset intra tempus statutum pro appellatione a mala relatione examinatorum, vel irrationabili iudicio Episcopi, quod ad decem tantum dies protenditur, ut S. C. statuit die 16 Novembris 1720 in resolvendis quibusdam dubiis, concursum respicientibus. Si quod igitur ius Antonius iactare potuisset, hoc ob interiectam moram penitus amisit.

Ad obiectionem autem, quod Episcopus debuisset concursum iterum indicere, reponi posset, id nec a Tridentina Synodo, nec a Benedicto XIV in allata Constitutione ullimode praecipi; ideoque paucorum doctorum sententia, et S. C. C. decisio in peculiari casu edita, tanti ponderis esse minime videntur, ut peractam electionem infirmare valeant. Animadvertendum tandem est Vagnoni etiam regium placet, ut aiunt, obtinuisse, ac municipium S. C. C. efflagitare, ut eiusdem electio confirmetur.

Quibus animadversis, propositum fuit diluendum

Dubium.

An collatio paroeciae ab Episcopo peracta sustineatur in casu.

Resolutio. Sacra C. C. re cognitâ, sub die 7 Martii 1885 censuit respondere: – *Affirmative et amplius.*

Ex quibus colliges. I. Quum ad Episcopum pertineat nominare clericos, qui digni atque idonei sint ad aliquam regendam Ecclesiam, ideo Episcopis denegata non videtur a iure facultas reiiciendi aliquem, adscribi petentem inter concurrentes, si ab Episcopo reputetur nec dignus, nec idoneus.

II. Indignum vero ad regendam paroeciam apprime censetur qui vitam inhonestam ducit, vel qui venereo diffamatus est crimine, quia eius ministerium apud fideles vilescit.

Digitized by Google

III. Ex Tridentino omnes examinari debent, qui in albo concurrentium descripti fuerunt, quique suarum qualitatum et meritorum documenta exhibuerint, utili tempore; et ideo exclusionem aliorum, quos omisit lex, haud secumferre contemptum formae conciliaris.

IV. Appellationem a mala relatione examinatorum, et ab irrationabili iudicio Episcopi protendi tantum ad decem dies.

V. In themate vero appellatum fuisse post unius mensis lapsum, ob causam quae etsi uti legitima haberetur, tamen appellantis genus vitae illud esse relatum fuit, ut reiici potuisset ab albo concurrentium ab ipso Episcopo ante periculum concursus.



MONASTERIEN.

INTERPRETATIONIS VOLUNTATIS

Die 7 Martii 1884.

Per summaria precum.

Compendium facti. Canonicus Gherardus de Millingen instituit per testamentum anni 1439 Vicariam perpetuam in Oppido s. Martini, praecipiens ut Vicarius *pro tempore* tres in qualibet hebdomada litaret Missas, servando suis posteris iuspatronatus. Ordinarius autem canonice erigens hoc beneficium, Vicario perpetuo onus trium Missarum in hebdomada imposuit, talem esse existimando fundatoris mentem.

Attamen Vicarius actualis, descendens ex fundatoris stirpe, unam tantum Missam applicavit, quavis hebdomada, ex quo beneficium possedit; neque declarationi Vicarii generalis monasteriensis acquiescendum duxit, qui eum nuper admonuit de obligatione alias duas Missas applicandi et omissiones pro praeterito compensandi.

Quare Episcopus S. C. C. adivit expostulans, ut quinam sit Missarum celebrandarum numerus declaretur, simulque,

Digitized by Google

si trium Missarum obligatio urgeat, Vicario succurratur, eidem benigne sanationem de praeteritis concedendo.

Disceptatio Synoptica.

Tres Missae applicandae videntur. Porro extra omnem dubitationis aleam positum est, conditiones in fundatione iurispatronatus de consensu Ordinarii appositas religiose esse servandas, licet iuri contrarias; De Luca *de Iurep. disc. 67 num. 9 et 10*, et s. Rota *apud Garciam decis. 48 num. 12, et decis. 49 num. 2.* Iam vero ex erectionis litteris, superius allatis, satis aperte constituitur Vicarium perpetuum ad tres Missas infra hebdomadam applicandas teneri, et quidem diebus distinctis et horis, arbitrio Decani et Capituli statuendis.

Quod si de una tantum ex his specifice dicatur pro animae suae suorumque suffragio esse applicandam, non exinde sequitur, alias duas Missas non esse iuxta fundatoris generalem intentionem celebrandas, licet de harum scopo expresse non caverit. Eo vel magis quod si qua est in allegatis verbis obscuritas, ea damnum inferre nequit iuri testatoris et piae causae, cui favor iuris assistit. Licet enim favor piae causae non suppleat voluntatis defectum, tamen est *considerabilis in ordine ad magis benignam interpretationem in casu mere ambiguo*, ut monet de Luca *de fid. disc. 107 n. 14.*

Quo vero ad praeteritum omissio missarum, in hypothesi quod hae iuxta dicta volitae a testatore fuerint, compensanda equidem videtur. Res enim conscientiae foret, et stricti iuris, quae imo in damnum vergere posset animarum ex familia fundatoris in purgatorio poenas luentium. Nec videtur Vicarium posse se bonae fidei exceptione tueri, cum haec post Ordinarii monitum exulare prorsus debuerit.

Una Missa applicanda videtur. Verum ex alia parte Vicarius animadvertit, fundationis tabulas unius tantum Missae applicationem praecipere, de aliis duabus vero non-

Digitized by Google

nisi diem et horam celebrationis praescribere, non vero applicationem. Unde rationabiliter argui potest, quod si fundator voluisset, ut etiam aliae duae Missae applicarentur, ad certam intentionem, etiam de iis aperte loquutus fuisset. Ad rem facit tritum adagium: « Testator quod voluit expressit, quod noluit non expressit. » Quod fulcitur ex supposito, eoque probabili fine, quem testator habuisse videtur in Vicariae fundatione, nempe, ut ait hodiernus beneficii detentor, cultum divinum augere et populo devoto occasionem praebere Sacrum faciliter audiendi eo tempore, quo raro presbyteri celebrare solebant.

Dubium si quod remanet in verborum interpretatione, id damno haud esse debet beneficiato, qui notissimam invocat Regulam XV Iuris in VI: « Odia restringi et favores convenit ampliari. » Neque ex eo quod agatur de pia causa urgeri potest obligatio. Vulgatissimum enim in iure est, defectum voluntatis nec a favore piae causae posse suppleri; De Luca *de Test. disc. 8 num. 6, disc. 4 num. 12 De Legat. disc. 32 num. 5 et 9.*

Praeterea refert hodiernus Vicarius, defunctum Parochum qui eum in beneficii possessionem immisit, uti rem indubiam sibi declarasse unam tantum Missam quavis hebdomada esse applicandam, ceteras vero liberae esse intentionis. Accedit quod hanc tenuit sententiam et tunc temporis Vicarius generalis monasteriensis, nec non praedecessor beneficiatus, qui unam tantum Missam in hebdomada applicare solebat. Ex quibus omnibus videtur quamdam consuetudinem fluere, quae cum sit iuris interpretativa vim legis haberet et in casu tutâ conscientiâ retineri posset.

Ceterum licet trium missarum applicatio liquida esset, tamen quoad praeteritum Vicarius putat se ad compensationem minime teneri. Eas enim bona fide omisisset, et interea beneficii fructus percepisse et consumpsisse quin tamen ditior evaderet. Adeoque ad restitutionem non teneri iuxta *L. 25 Sed etsi ff. de haered. petit. et L. 20 ff. eiusd. tit.* Agitur enim de beneficio cuius fructus annui summa

Digitized by Google

990 Marcorum Imperialium, seu 247 scutorum Romanorum, non excedunt, quae in oppido praedicto, ipse ait, ad honestam sacerdotis sustentationem minime sufficiunt.

Et colligi etiam debet beneficiatum ex fundatoris stirpe existere, ideoque cum eo facilius esse indulgendum de iuris rigore. Praesertim cum ipse quoque Ordinarius eum vehementer commendet, et putet « applicationes omissas esse ex » Ecclesiae thesauro compensandas, aut ad minimum magna » ex parte reducendas. »

Hisce praenotatis, quaesitum est quodnam esset tribuendum responsum.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re perpensâ, sub die 7 Februarii 1885, censuit respondere: *Vicarium non teneri nisi ad unius Missae applicationem.*

EX QUIBUS COLLIGES. I. In dubiae voluntatis interpretationem retinendum est id quod est verisimilius, et magis consonum menti et fini, quem testator prae oculis habuisse appareat, dum pium institueret legatum.

II. Regulariter loquendo retineri potest, pium testatorem voluisse Missarum applicationem quando earumdem celebrationem ceu onus Beneficio imposuit.

III. Verum in themate, mentem testatoris eam fuisse videri, ut una tantum Missa applicaretur; pro qua usus est verbis praecisis; finem vero celebrationis aliarum, illum fuisse ut divinus cultus proveheretur, christifideles facilius sacrum audirent, adigendo ad sacrum litandum praesbyteros qui raro celebrare solebant. (1)

(1) Recole Vol. VIII, pag. 661.

EX S. CONGR. S. R. U. INQUISIT.

DUBIA quoad Confessarium et Medicum qui duellantibus assisterent.

Illme et Rme Domine

Litteris diei 24 septembris superioris anni datis, Vicarius generalis Amplitudinis Tuae proposuit tria sequentia dubia, scilicet:

1° Potestne medicus rogatus a duellantibus duello assistere cum intentione citius finem pugnae imponendi, vel simpliciter vulnera ligandi ac curandi, quin incurrat excommunicationem summo Pontifici simpliciter reservatam?

2° Potestne saltem, quin duello sit praesens, in domo vicina vel in loco propinquo sistere, proximus ac paratus ad praebendum suum ministerium, si duellantibus opus fuerit?

3° Quid de confessario in iisdem conditionibus?

Emi PP. una mecum Inquisitores generales, haec dubia ad examen revocarunt in Congregatione generali habita feria IV die 28 labentis maii, ac re mature perpensa, respondendum censuerunt:

Ad 1m Non posse, et excommunicationem incurri.

Ad 2m et 3m Quatenus ex condicto fiat, item non posse et excommunicationem incurri.

Dum haec Tecum communico, ut pro opportunitate nota fiant, fausta omnia ac felicia Tibi precor a Domino.

R. P. D. Episc. Pictavien.

Romae, 31 maii 1884.

Addictissimus in Domino
R. Card. MONACO

Digitized by Google

EX S. CONGREG. INDULGENTIARUM

RESCRIPTUM quo indulgentia bis centum dierum conceditur recitantibus adnexam orationem ad s. Thomam.

BEATISSIME PATER

Ioannes Maria Andreas Vidal, professor in Seminario Nannetensi in Gallia, ad pedes Sanctitatis Vestrae humiliter provolutus postulat, ut S. V. aliquam Indulgentiam benigne concedere dignetur Christifidelibus recitantibus sequentem orationem ad s. Thomam, Scholarum catholicarum Patronum.

Doctor angelice, sancte Thoma, Theologorum princeps et Philosophorum norma, praeclarum christiani orbis decus et Ecclesiae lumen, scholarum omnium catholicarum coelestis patrone; qui sapientiam sine fictione didicisti et sine invidia communicas, ipsam Sapientiam Filium Dei deprecare pro nobis ut, veniente in nos spiritu sapientiae, quae docuisti intellectu conspiciamus, et quae egisti imitatione compleamus; doctrinae et virtutis, quibus in terris, Solis instar, semper eluxisti, participes efficiamur; ac tandem earum suavissimis fructibus perenniter tecum delectemur in coelis, divinam Sapientiam collaudantes per infinita saecula saeculorum. Amen.

Quod Deus etc.

SSmus D. N. Leo Papa XIII omnibus utriusque sexus Christifidelibus, corde saltem contrito ac devote recitantibus suprascriptam orationem, indulgentiam bis centum dierum, semel in die lucrandam, benigne concessit. Praesenti in perpetuum valituro etc. Contrariis etc. Datum etc. 3 Iulii 1885.

I. B. CARD. FRANZELIN *Praef.*

FRANCISCUS DELLA VOLPE *Secretarius.*

Digitized by Google

SUMMA ACTORUM

QUAE IN HOC VOLUMINE XVII CONTINENTUR

LITTERAE ROMANI PONTIFICIS

EX AEDIBUS VATICANIS

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

EX S. CONG. EP. ET REG.

Digitized by Google

EX S. CONG. S. R. U. INQUISIT.

EX S. CONGREGATIONE DE PROPAGANDA FIDE

Digitized by Google

EX S. CONG. INDULGENTIARUM

EX S. CONGR. RITUUM

Digitized by Google

EX S. CONG. INDICIS

EX AEDIBUS VICARIATUS



Digitized by Google

INDEX GENERALIS

CONCLUSIONUM QUAE IN PLERISQUE ACTIS IN HOC VOLUMINE CONTENTIS ADNOTATAE SUNT, QUARUM MATERIA IN SINGULIS ACTIS, AMPLE EXPOSITA, VEL DECLARATA REPERITUR.

Eae autem conclusiones sub sequentibus verbis comprehenduntur.

Affiliatio religiosa

Tria ad rite explendam affiliationem requiruntur; nempe licentia Superioris, consensus religiosorum illius conventus, cuius aliquis erat filius, et alterius conventus in quo fit affiliatio. *pag.* 301.

Per declarationem pontificiam diei 9 Decembris 1859, professi votorum simplicium licite et libere professionem votorum solemnium emittere possunt in conventu vel domo in qua reperiuntur. *ibid.*

Aperitio oris

Ut conqueri et *aperitionem oris* obtinere liceat adversus Romani Pontificis decreta, oportet ut evidentissime evincatur eadem decreta infici obreptionis aut subreptionis vitio. *pag.* 447.

Aperitio oris rite denegatur, non evictâ prius obreptione aut subreptione, ut litigantium calumniis tempestive occurratur, et ut aditus praecludatur liti, quae iniusta agnoscatur. *pag.* 448.

Clericus quoad cohabitationem cum mulieribus

Ex iure vetatur ne clerici cum mulieribus, de quibus aliqua subsit suspicio, cohabitent aut aliquam servent consuetudinem vel familiaritatem cum eisdem, ita ut contra agentes habeantur quales concubinarii, etsi turpe non admittant peccatum. *pag.* 500.

Ii vero, qui tam graviter delinquunt, puniri possunt ab Episcopis per prohibitionem a sacris ministeriis, si pensiones aut ecclesiastica beneficia non habeant. *ibid.*

Digitized by Google

Concursus

Confraternitas

Digitized by Google

Digitized by Google

Emphyteusis

Fons baptismalis

Digitized by Google

Digitized by Google

Iurisdictio Episcoporum

Iuspatronatus quoad successionem

Digitized by Google

Legatum pium

Legitimatio

Digitized by Google

rentem per veram et absolutam paternitatis probationem. *pag.* 386.

Lex, ad civile filiorum constituendum statum, et ad innumeras arcendas de paternitate controversias, supplet paternitatis probationem, quam natura abdidit, iuris praesumptione: quia id exposcebat familiarum tranquillitas, matrimonii sanctitas, bonumque societatis. *ibid.*

Hinc quum directe evinci nequiret legitima filiatio, lex indirecte hanc demonstrationem et probationem desumpsit a nuptiis, statuens iuris principium, apud omnes fere gentes sancitum, quod *pater is est, quem nuptiae demonstrant; credendum est, eum qui ex iustis nuptiis septimo mense natus est, iustum filium esse. pag.* 387.

Quamobrem sufficit, ad proprios ostendendos natales, ut filius, de cuius legitimitate dubium exorsum sit, probet sese natum esse ex iusto matrimonio. *ibid.*

Quum adulterium formiter probatum non appareat, inter praesumptiones ea praeferenda est, quae delictum excludit, quaeque apparet honestior, naturae rationali magis consentanea, benignior, ac partui seu proli favorabilior. *ibid.*

Matrimonium

Maxima iudici ordinario adhibenda est circumspectio, propter negotii arduitatem, quando agitur de dissolutione matrimonii ex capite impotentiae, ad vitandas fraudes et collusiones coniugum; qui saepe mutuae habitationis pertaesi, solutionem quaerere audent, ut ad alias transeant nuptias. *pag.* 14.

Qua de re nulla iudicis superfluitas reprehenditur in indaganda veritate et exquirendis probationibus quoad impotentiam; quum dissolutio matrimonii sit res gravissima et animae periculum subesse possit vel dissolvendo matrimonium validum vel approbando irritum. *ibid.*

Pro valore matrimonii ex DD. est pronunciandum si vir dubie impotens asserat perfectam habuisse copulam, et mulier neget: quatenus tamen non adsint signa certa impotentiae, sed tantum dubia et ambigua. *ibid.*

Impotentia naturalis praecedit matrimonium, accidentalis vero matrimonium subsequitur; praesumitur enim praecessisse naturalis, quia qualitas a natura parta, semper inesse retinetur; accidentalis vero praesumitur matrimonium subsequi; quia natura potentes producit, et asserenti aliquem esse impotentem onus inest id iuridice probandi. *ibid.*

Mulier non ab initio, sed tarde proclamans adversus matrimonium minime esse audiendam, etiamsi illa fateatur impedimentum, quod tamen vir negat. *ibid.*

Attamen maximam habet vim nullitatis probatio quatenus uxor per aspectum probet se a viro cognitam non fuisse, fatentibus id ipsis matronis inspicientibus; tunc enim potius creditur uxori neganti copu-

Digitized by Google


Digitized by Google

Obligationes

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



IMPRIMATUR

Fr. Augustinus Bausa O. P. S. Pal. Ap. Magister.

IMPRIMATUR

Iulius Lenti Archiep. Siden. Vicesgerens.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DEC 12 '66 H
1270-B[illegible]

Digitized by Google



Digitized by Google